MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PULCHRO LIBRI SEX

Marco Antonio Natta

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
14
7 Q
23

14-5.I.12

MARCI ANTONII NATTÆ ASTENSIS

DE PVLCHRO LIBRI SEX.



PAPIÆ
APVD FRANCISCVM MOSCHENIVM.
M. D. LIII.

Domus S. Pantaleonis Schol: Piarum
Ex hered: Franci de [illegible]

MARCVS ANTONIVS NATTA HERCVLI GONZAGÆ CARDINALI ILLVSTRISS. S. P. D.

CVM Hos de pulchro libros ſuperioribus annis a me contextos cupiam Illuſtriſsime Princeps ſub fœliciſsimi nominis tui auſpicio in uulgus exire, optimum factu credidi, ſi hac epiſtola, qua tibi ipſos nuncupamus, quid eis contineatur, paucis explicarem: ſic enim facilius legi & cognoſci poſſe uidebantur. Imprimis illud propono, rem non meis modò, ſed (ut ego ſentio) omnium mortalium uiribus altiorem his literis tractari. Nulla materia maior nec animo agitari, nec uoce depromi, nec ſtylo effingi poteſt: nam ſi quid in rebus maximum eſt & ſummum, id eſſe uidetur pulchritudo, de qua ſermones conferre his libris aggreſsi ſumus. Hic enim quæritur, quid ſit pulchritudo, & unde ſit, quid eam præſtet, ſimplex ne ſit & unica, an multiplex, & partibus ſuis conſtet: utrum in corporibus duntaxat, an etiam in incorporeis quibuſdam naturis uerſetur: & ſi in incorporeis quibuſdam, quæ nam hæ, & quomodo ad eas accedat: uel num potius ipſa uera pulchritudo incorporea ſit, hæc autem, quæ in corporibus ſpectatur, eius tantùm referat imaginem: & quoniam boni nomen meritò eſt magnum magnóque æſtimatur, utrum bonum conueniat cum pulchro, ita ut bonum & pulchrum unum & idem ſint, uel in aliquo differant, & ſi differunt quid nam illud eſſe poſsit, in quo differant. Separatim autem ſuis locis diſſeritur, quanta ſit cœli, ſolis, lunæ, & reliquorum ſiderum tum errantium tum fixorum pulchritudo: quanta elementorum quatuor: quanta hominum, ferarum, uolucrum, ſtirpium, metallorum: quanta uirtutum & humanarum actionum: qualis demum huius uniuerſi ſpecies uideri poſsit. Nec ſiletur illud, imo uehementiſsimè diſquiritur, utrum pulchritudo omnia occupet, an uerò ſit in tam præclaro uniuerſitatis huius ſpeculo turpe aliquid, immundum, fœdum, uitioſum: & quoniam eſſe

conſtat, quis illud induxit, & quare, & num uoluntate, an neceſsitate inductum, & utrum aliqua ratione tolli auferrique poſsit, an uim habeat indomabilem. Age quæſita ſunt hæc, tractata, diſputata: ſed num his contenti fuimus? an aliud deinceps inueſtigatum? Aliud: quod nam hoc? quid ſcilicet ſit illud, quod omnis pulchritudinis initium ſit, fons, origo, quod ſanè quæſitum non leue aut mediocre, ſed tantum, ut in eo omnis ferè huius quæſtionis cardo uerſetur. Nam in omnium rerum genere optimum eſt quiddam, a quo proficiſcuntur cætera, quæ ſunt eiuſdem generis: ueluti in iuſtis una quædam ſumma eſt iuſtitia, per quam iuſta omnia terminantur: & in ueris una quædam ſumma eſt ueritas, de qua quæcunque uera dependent, & in calidis unus ſupremus calor, per quem cætera caleſcunt, & in motibus unus primus motus, idémque nobiliſsimus, cauſa & origo cunctorum motuum. Sic in pulchris conuenit ſummam quandam eſſe pulchritudinem, de qua mirabiliter fulgente quæcunq; pulchra defluunt, & idem nomen, ſimilem rem ſuſcipiunt: quicunq; id ignorat, parum ei profuerit reliqua cognouiſſe, quippe qui membra teneat caput ipſum non uideat. Sed illud quoque inueſtigare oportuit, quoniam reliquæ res pulchræ, quæ in conſpectu ſunt omnibus, ortum & interitum recipiunt, incrementum & decrementum, & quandoq; pulchræ ſunt, quandoq; ſecus habent, & ex hac parte pulchræ, ex alia turpes, et eædem res alijs pulchræ, alijs deformes apparent: denique omnis pulchritudo alterius ineſt ſubſtantiæ, ueluti cœlo, gemmis, ſoli, & reliquis talibus. Ergo inueſtigandum fuit, num quoddam inueniri pulchrum poſsit, quod his careat uitijs, quod neque generetur, neque corrumpatur, non accreſcat, neque decreſcat, neque aliquando pulchrum, aliquando turpe, neque hic pulchrum, illic deforme, nec quorundam æſtimatione pulchrum, quorundam non: denique quod non accedat alteri, ſed per ſe ipſum ſubſiſtat, immutabile, inuariabile, uniforme, nunquam deficiens, undique & ubique & ſemper florens, & omnium detinens aſpectum quicunque aſpicere poſſunt, & tam minimè pendens ab alteris, ut reliquis pulchris orientibus uel occidentibus nihil illi accedat uel decedat, nihilque patiatur: hoc ſi inuentum fuit, perfectam eſſe pulchritudinem nemo negabit, cui inhærendum omni ſtudio ſit. Et de his quidem, quæ liber iſte continet, talia habeo

dicere.

dicere. Quód ſi quis nunc roget, quis tantam rem & hæc omnia norit? equidem noſſe arbitror perfectè & explicitè mortalium neminem, dum mortali hac uita tenetur: paucos finito hoc æuo percepturos: poſſumus tamen, dum hic agimus, & cœleſtis mens terrenis his clauſtris coërcetur, ea aliquo modo ſpeculari, & intelligere, & confringere eos, qui nihil tale eſſe opinantur, quód tamen confici nequit ſine acri ingenio, & admirabili ſententiarum pondere & dignitate. Quamobrem non tantum mihi arrogo, ut audeam affirmare, quæcunque tanta de re in literas huc miſi, mea fuiſſe inuenta et excogitata: imo ſumpta profiteor de doctiſſimis auctoribus tum græcis tum latinis, quorum non ſententias modò, ſed uerba etiam, ſi quando ea mihi placuiſſent, tranſpoſui. Ego in unum, quæ potui, congeſſi omnia, meúmque iudicium atque ordinem in ſcribendo adiunxi, imitatus (ut uideor) eos, qui camporum æquora peragrantes floribus undique decerptis coronam ſibi intexunt. Nec ita tamen alienis ſtuduimus, ut non multa hic appareant nullius antea ingenij preſſa ueſtigio. Verùm hic alius explicitè adhuc magis ſcire forſitan cupiet, num aliquis eiuſdem tituli libros ediderit. Huic ſic reſpondeo: In catalago Ariſtotelis librorum, qui deſiderantur, inſcriptum uideo, De pulchro liber unus. Auguſtinus admirabili pollens acumine ingenij a ſe adoleſcentulo compoſitos aſſerit libellos De pulchro & apto, ſed amiſſos conqueritur: ab his nihil equidem ſumpſi. At ſcripſit de his alter philoſophiæ oculus Plato in Hippia maiore, in Conuiuio, in Phædro. Hunc igitur potiſſimum ſequutus, qui (ut omittam eximiam hominis doctrinam) tanta conſenſu omnium fertur eloquentia, quantum literæ ferre poſſint: nam illa in dicendo Ariſtotelis obſcuritas defendi, non commendari ſolet. Si qui poſtmodum recentiorum hac de re libros emiſerint eadem cum inſcriptione, haud equidem noui: quód ſi etiam noſſem, accedere nõ potuiſſem: nam Ariſtotelem ipſum uincunt obſcuritate ſermonis, quum cæteris rebus longè ſint inferiores. Ego uerò materiam ſuſceptam non dialecticorum more, ideſt conciſe, & anguſtè, & nudis argumentationibus tractare aggreſſus ſum, ſed fuſius & uberius, adhibito etiam multo cultu & ornatu, non ſecus ac ſi pulcherrima uirgo procorum multitudini oſtentanda foret. Huc enim plurima antiquitatis exempla ex hiſtorijs repetita, huc

fabellas, huc poëtarum carmina, huc plures imagines & ſimilitudines, huc multas philoſophicas theologicáſque ſpeculationes intulimus: nec ea temere, ſed loco & ordine diſpoſuimus: denique cuncta uerborum & ſententiarum ornamenta perſecuti ſumus, per quæ & grandior, & ſuauior, & luculentior, & lætior, & florentior redditur oratio, & ipſius eloquentiæ magnitudo magis elucere ſolet. Non cunctatus ſum etiã a materia ſæpius digredi, et plura inijcere ob uoluptatem, quo lectoris animus uarietate rerum reficeretur. Dialecticorum diffiniendi diuidendiq́ peritiam, probandi uim, interrogandi reſpondendique ſolertiam ualde amplector, éſtque nonnunquam huiuſmodi ſubtilitatibus in dicendo locus, ut his tanquam neruis & oſsibus corroboretur oratio: ſed non eſt negligendum ea ornatè & copioſe tradere: demum quæcunque ueniunt in diſceptationem, illuſtrius & ſpatioſius explicanda cum lepore etiam quodam & iucunditate, quo facilius intelligantur, & ſtudioſius legantur. Illa autem coarctata loquendi ratio non æquè ſatisfacit lectoribus, rectéque Themiſtocles, qui ſermonem humanum aulæis uariè depictis dixit eſſe perſimilem, quoniam illa, ſi conſtringantur, formas corrumpere ſolent & imagines, quas clariſsimè oſtendunt dilatata. Dicendum igitur fuſius & explicatius, præſertim quum nihil ulla in arte ſit tam immite, támque aſperum, quod proprietatem & lucẽ latinæ linguæ nequeat admittere. Hoc quod mihi quoque placebat, in hoc opere ſequutus ſum, ſed num aſſequutus aliorum ſit iudicium, uoluntas certè conatúſque non defuit. QVOD ſanè opus magna a me cura & diligentia elaboratum uolui Ampliſs. Princeps nomini tuo dicare & conſecrare, tum ut clariſsimi tui nominis titulo illud illuſtrarem, tum ut qualicunquè hoc munuſculo meam erga te obſeruantiam declararem. Non enim prohibes, nec prohibere potes, quin homines te ſuſpiciant, colant, uenerentur, quoniam non tam tibi quàm ipſis eſt honori, ſi eximiam tuam ſapientiam honorauerint, præſertim quum utilitatem afferat hominibus maximam, quod cum nobilitate generis ampliſsimiſq́; alijs fortunæ bonis, & demum cum gerendi facultate coniungitur. Sic etiam Deorum cultum ſuſcipiunt homines, non quia id Deis proſit, ſed ipſis: quia honeſtiores fuerint & meliores, ſi uoluerint ſumma animi pietate ſummam illorum ſanctitatem & beatitudinem uenerari.

Auget uerò ſeparatim ardorem animi in te meum, quòd Illuſtriſſimæ Palæologorum familiæ præcipua iungeris affinitate: ex ea nanque ampliſsimi tibi ſunt nepotes Mantuæ Montisferratiq; Principes. His & Margaritæ matri quum omnia debeam, non poſſum non te quoque ſingulari proſequi cultu in tanta ſanguinis animorúmque ueſtrorum coniunctione. Si fortuna me auro, argento, ebore, ſignis, tabulis, gemmis, equitatu, & alijs ſuis muneribus uarijs ditaſſet, potuiſſem pretioſiſſima quæque ad te mittere, ut animum erga te meum patefacerem: nam etſi tu his minimè egeres, ſignificatio tamen beneuolentiæ grata foret. Sed unde mihi tam luculentæ & tam ſplendidæ diuitiæ? quas nec ego peperi, nec alius dedit, nec caſu inueni, nec a progenitoribus ſuſcepi. Quamobrem, quum fortunæ opibus non adeo abundem, neque ab initio ætatis alias diuitias ſectatus fuerim, quàm eas, quæ de optimarum artium tractatione percipiuntur, uiſum eſt hunc ad te diſciplinarum mearum fœtum deſtinare, & ex mea copia id offerre, quod eſſet apud me præſtantiſsimum, munus forſitan re ipſa exiguum, at animo offerentis ingens & ſatis locuples. Cupiebam hoc loco laudes tuas prædicare e uulgari omnium conſuetudine, ſed omiſi, quia nihil uulgare te dignum uideri poteſt: & ſimul pertimui amplitudinem potentiæ tuæ, ne ob eam exiſtimarer, ſi de laudibus tuis apud te dicerem, captandæ gratiæ locum quæſiuiſſe: id autem quàm non ſit pulchrum ſcimus omnes. Illud etiam mouebat, nam ſi laudes tuas in aceruum conijcerem, rem planè exiguam me facturum uidebam, & ut ad tantæ perſonæ dignitatem minus idoneam. At laudabilia tua omnia membratim effingere, & ea cunctis exornare artis coloribus, maius id erat onus, quàm ut epiſtolæ committendum uideretur: demum te eum eſſe ſtatuo, qui non de uerbis alienis pendeas, ſed qui rectè agendo rectéque ſentiendo maximus eſſe uelis: neque geſta tua adeo in obſcuro ſunt, ut ea orationem cuiuſquam & eloquentiam deſiderent. Non poſſum tamen te inſpiciens me ipſum cohibere, quin ſummum illum & grauiſsimum philoſophorum omnium Platonem commendem, qui uidens ciuitates ferè omnes malè gubernari, idque ex inſcitia regentium, tandem dixit, imo ueluti ſacro quodam furore percitus exclamat, Beatas illas fore reſpublicas, in quibus aut docti principatum gererent, aut

principes

principes doctrinarum ſtudio tenerentur. Hæc ſententia, ſi unquam exemplo fidem ſui fecit, nunc forſitan facit. Sed nolo plura, ne, contra quàm propoſui, uirtutes tuas & res geſtas ingrediar, hæc enim (ut dixi) non ſunt huius temporis, nec forſitan mearum uirium. Quod ſupereſt petendum uideretur, ut hæc ingenij noſtri monumenta qualiacunque ſint, læta ſuſcipias fronte, & eo animo, quo oblata ſunt, quod tamen non peto, quoniam natura tua, & conſuetudo, quæ naturam ipſam corroborauit, ſponte tua id te facturum ſatis abundéque mihi pollicentur.

Vale.

Tabula rerum memorabilium quae in hoc opere continentur

A significat primam paginam et B secundam

A

Abraam diuino iussu patriam reliquit 145.a
Accerta reprehensio qualis 50.a
Actione et flatu stultus sapiens uideri potest 75.b
Adam unus ex nobis factus est trinitatem inducit 145.b
Adamas durissimus hircino sanguine rumpitur 50.a
Adimbus ... Cae. filium eum interemit 111.a
Aduersa magis homines probant quam prospera 124.a
Aduersa ingenium probant, et acuunt 124.a
Adulatione carere multis nocuit 53.a
Aegyptii mortem et futuram in elementis coniecerunt 17.b
Aegyptij sacerdotes medicina utebantur, sua diuitissima uiuebant 118.b
Aegyptij doctrinam a Iudaeis acceptam corruperant 145.b
Aegyptii sacerdotes a posteris Abraae aliquid de Deo cognouerunt 145.b
Aegritudo animi auertit a uitiis et conuertit ad uirtutes 119.b
Aemulatio calcar ad capessenda ardua 113.b
Aequitas mentis detrimentum affert sanitati 52.b
Aer describitur 127.a
Aer luminis et coloris uehiculum 127.a
Aer a combustione maris ...tatur 140.b
Aetas in augmento, et diminutione habet suos gradus 45.b
Aetatum diuersa officia 30.a
Aeternitatem tempus imitatur 44.a
Aeternum uerbum Dei caro factum est uera ... 136
Affectibus dominatis uitia et uirtutes ruunt 114.b
Affectus oriunt aut oriuntur ex animo utentis 114.b
Affectus equi pernices sunt quibus ferimur 115.a
Anima Augusto admodum similis 63.a
Albi superis nigra inferis dijs dicata 25.a
Alcibiades bella et literas pari ingenio tractauit 130.b

Alexa

Alexander se non esse Deum ex somno et Venere agnoscebat 8.a
Alexander Herodi admodum similis 63.a
Alexander magnus multis videtur minor esse 77.b
Alexander plures occidit mundos 88.b
Alexander adhuc puer, patri victorias invidebat 144.a
Alfonsus Rex mundi fabricam reprehendere est ausus 46.a
Alfonsus Rex se dignum Deo collegam credidit 46.a
Alfonsus Rex procella territus peccasse fassus est 46.a
Alfonsus Rex ob blasphemia in regno exutus 46.a
Aliqui se oculis privaverunt, ut contemplationi incumberent 84.b
Alui purgationem ibis ostendit 79.b
Amamus ea magis, quae nostro labore acquiruntur 70.a
Amans decentia forma tantum capitur 9.b
Amans qualis esse debeat 9.b
Amantes cupiunt non esse duo 6.a
Amantis honesti ad amasium sermo 10.a
Amare turbinem mulieres monstrum est 9.b
Amator ut piscis, cibum petit ut ipse sit cibus 8.a
Amor pulchritudine excitat 4.a
Amor est cupiditas pulchritudinis perfruenda 5.a
Amor ad pulchrum refertur, non ad bonum 5.a
Amor est voluntatis propensio erga pulchritudinem 5.a
Amor virtutes adducit 12.b
Amor ingenium excitat 12.b
Amor magister ad egregia facinora 13.b
Amor ornati pulchri 22.b
Amor cognoscendi habet semina in mente à natura 101.a
Amor omnia perficit 114.a
Amor scientiae Philosophos multas regiones adire coegit 114.a
Anaxagoras omnia a principio confusa posuit 68.b
Anaxagoras omnia simul miae dicit 67.b
Anaxagoras mentem omnia distinxisse et ornasse asserit 68.a
Anaxarcus quam tunderetur, Anaxarchi vasculum maledicebat 86.b
Anaxagoras Clazomenius praedixit quando lapis de sole caderet 105.a
Anaximander Lacedemoniis terremotum praedixit 101.b
Angeli sine argumentatione res percipiens intelligunt 147.b
Angeli in divina sapientia omnia speculantur 147.a
Angelorum divinum sacrum 147.a
Annibal venero se ab iniuria Romanorum eripuit 80.a
Anima ex instrumento corporeo clarescit vel obscuratur 28.b

Anima

Anima forma dicitur, quia tota est formosa 29.a
Anima tota in qualibet corporis parte 29.b
Anima cum nascimur est tanquam tabula uacua 101.b
Anima non congenitur ex elementis 104.b
Anima quia simplex non moritur 104.b
Anima libri similis 136.a
Animæ effectus quales 29.b
Animæ secundum Platonem non addiscunt sed recordantur 28.a
Animalia partem medicinæ nobis ostenderunt 79.b
Animalia uiuacitate sensuum superant 109.a
Animalia generata sua ad iracundiam prona 112.b
Animalia uiliora, quid nobis incrementa tribuant 116.b
Animalium dotes nostræ sunt quia nobis deseruiunt 116.b
Animantium tot genera mundum pulchritudine exornant 79.a
Animas exire in corpora improba sententia est 28.a
Animi uires quales 29.b
Animi passiones quæ 48.a
Animi est inuenire cognitu digna 99.a
Animi impietas morbos irremediabiles corpori induxit 63.b
Animi uis corporis imbecillitatem sustineat 116.a
Animi bona corpori nequeunt 44.a
Animi cogitantis ad Deum ascensus 136.a
Animus fert de pulchritudine terram 27.b
Animus hominis biformis 51.a
Animus et corpus tanquam uiuus cum mortuo copulatus 70.a
Animus post mortem non procedit a coniecturis 84.b
Animus à morte non arcetur syllogismis 84.b
Animus non exercitus omni iure spectandus 112.a
Animus diuinitus concitatus melius agit quam prudentia humanæ innixus 114.a
Animus scilicet sapiens 133.a
Animus quando sedet 133.a
Animus summam amat pulchritudinem 133.
Animus nouit se esse æternæ pulchritudinis radium 130.
Animus beatitudinem appetens præsagit eam alicubi esse 130.
Animus inuadens aere paulus deterior euadit
Arctioribus adminas noua procedunt 104.b
Ante mortem moreretur qui sibi crudeliter moriendum sciret 122.
Arbori adeo sana ut longa senectute dissoluantur 120
Athenienses tot oriter sunt uirtutibus claruit 130

Aco

Apollonius Tianeus eventum fu-
turum praedixit 101.b
Apollonius Tianeus Lamiam Co-
rinti detexit 101.b
Apollonius Tianeus daemonem
in senis mendici forma pestilen-
tiam causantem agnovit et
lapidibus obrui iussit 101.b
Apta fieri non possunt quae non
sint decora 40.a
Aptum quod ad aliud relatum pla-
cere potest 38.a
Aqua et terra materia rerum censetur 41.b
Aqua melior quae praecipiti fertur cursu 3?a
Aqua describitur 127.a
Aqua melior quo magis exagitatur 130.a
Aquae omnes rapiuntur ad medium 105.b
Aquila sola in solem oculos figit 105.a
Arbitrii libertas unde 73.a
Arbitrio humano boni aut mali
efficimur 124.b
Archidami spartani Regis dum
commendaretur modestia 39.b
Archimedes Siculus locum extra
terram habere optabat ut terram
libraret 41.b
Archimedes suas figuras con-
templans mortem non horruit 50.b
Aristoteles atra bili correptos
futura praedicare insulse affirmat 5?.b
Aristoteles nervos a corde ori-
ginem ducere falso autumat 39.b
Aristoteles causas naturalium ignoravit 115.
Aristoteles beatitudinem in virtute et
in bonis externis posuit 141.b
Arma ferocibus animalibus cur data 32.
Arma timidis animalibus cur negata 3?
Arma hominis quae 116.a
Ars imitando naturam suum ordinem
dirigit 34.b
Ars est ordo vel non sine ordine 34.b
Ars et virtus circa durum et difficile
versatur 77.b
Ars sequitur modum elevationis ... 111.
Artes a principiis rudes ingeniorum indus-
tria expolitae 103.b
Artes ex quibus constant 111.a
Artes tollendae si errata sua respicimus 11?
Artifex nullus summus sine dementiae
mixtione 114.b
Artium notitia magnum est onus 117.a
Artium omnium ars est ratio 117.b
Ascensus in rebus est ad unita-
tem contineat 40.b
Atheniensis adolescens bonae fortunae
simulacrum petulanter amavit 1?.a
Atomi Epicureis principia rerum 56.b
Avaro mortuo rident haeredes 30.b
Avarum unum lugent haeredes 30.b
Avarus aurum habet velut domi
depictum 30.
Auctor cur latina scripserit 2.b
Auctoritas ratione superior 135.

Augus...

Anselmus inter ecclesiasticos palmam attribu-
itur 24.a
Aures quid potissimum spectare 133.a
Aurum custodire seruile officium est 30.b
Aurum qui custodit auro seruit 30.b
Aurum de luto colligendum 144.b
Auctor quidam est qui de trinitate disserit 143.a

B

Bacchus quo ludo indos aggressus est 37.b
Beati nunc spe sumus 146.b
Beatitudinem finiri miseriam 142.a
Beatitudo est uiuere ut uelis 132.a
Beatitudo nec in uita nec in morte nostra
conspicitur 142.b
Bella secundum Varronem bona 35.a
Bellerophontis castitas et fides 23.b
Belua corporis dotibus nos superant 66.b
Belua aliqui instructiores quam homines 66.b
Belua in anima cuiusuis generis non sentiunt 67.a
Beluae de acceptis a seruibus non iudicant 109.a
Beluae ad morbos aliorum remedia inuenerunt 118.a
Bellum a bono per diminutionem descendit 39.b
Bestia non omnia ad uoluptatem referunt 77.b
Bina cur sint membra eiusdem figura 32.a
Bombarda a bombo dicta 107.a
Bombarda non diu ante inuenta 107.a
Bona iucunda experientia malorum 75.a
Bona nullo labore quaesita animam te-
dio afficiunt 76.a
Boni improbique uiri comparatio 52.b
Boni etiam in tormentis bene agunt 67.a

Boni a nomine quibus bonis fruemur 13.
Bonus semper bene coniungit malus
male 45.
Bonorum oppressio Deos non esse arguebat 52.
Bonorum minor potentia 70.
Bonorum recordatione molestiae obruuntur 112.
Bonum est superius pulchro 5.
Bonum singulare rebus insertum
ut non esset otiosum 42
Bonus qui esse non uult 42.
Breue non probabile 125.
Brutus simulans insaniam alios
esse insanos ostendit 110.

C

Cadauer indicat animam corpori pul-
Certitudinem probare 29.
Calamitate oppressus licet de se ma-
gnifice loqui 38.
Caldaei sideribus bona ut mala nostra
ascribebant 125.
Campana non diu ante inuenta 107.a
Canes uomere docuerunt 79.b
Carneades ab omni contentione su-
perior discedebat 57.a
Carneades omnibus sententiis aduer-
sabatur 57.a
Carneades contra iustitiam disse-
rens a Catone Roma pulsus 57.
Carneades nihil per se honestum
aut turpe dicebat 106.
Carneades ius, non natura sed opi-
nionibus constare uidebat 126.

Carre-

Carneades dicebat multos esse deos 105.a
Carneades Academicas partes suadebat licet cum voluptate audiretur 105.a
Carneades in sua doctrina non habuit sed errores 106.a
Carneades oracula negabat 106.a
Carneades divinatione homines privabat 105.a
Caro homini quid prodest 40.a
Carthago immunis Romanis prodesset 78.b
Castor genitalis venatoribus relinquit quoniam scit expeti 90.a
Catholica veritas filium patri aequalem facit 142.b
Cato Romanos negotium quam otium habere voluit [illegible]
Cato volebat Carthaginem deleri ne deesset Romanis externus hostis [illegible]
Cato superior quantis virtutibus claruit [illegible]
Causa numero quatuor 100.a
Causa prima artificem respicit 100.a
Causa secunda materiam comprehendit 100.a
Causa tertia ambit formam 100.a
Causa quarta ad finem respicit 100.a
Celestia corpora non sunt ex quatuor elementis 56.a
Celestia corpora sunt ex quinto corpore 56.a
Celestium corporum qualitates 56.a
Coelestium armonia creditur licet non sentiatur 105.a
Cervi officium quale 54.b
Cerebrum homini loco coeli 31.a
Certum est nihil esse certi 10.a
Cerebrum principium nervorum 55.b
Cervi serpentes e cavernis extrahunt 9.a
Cervi dictami virtutem ostenderunt [illegible].b
Cervorum caprorumque dentes ad candorem dentium valent 109.a
Caesar multos ob vitae integritatem interfici iussit 5.b
Caesar proditionem amabat non proditorem 65.a
Caesar annum decem mensium in duodecim digessit 107.b
Chamaeleon in terra omnium quibus adheret colorem refert 107.a
Caesaries cur data homini 40.a
Chelidonia ab hirundinibus nobis ostensa 70.b
Christianae fidei pulchritudo martirum medullas ad supplicia accendebant 114.a
Cibi appetitus cur homini datus 53.b
Cicero curam republicae ad philosophiam seuertit 122.a
Circularis figura omnes figuras complectitur 40.b
Circuli quadraturam fieri potest sed nondum facta 61.a
Civitas non dicitur ubi non est civium concordia 94.a
Claritatem in scientia quid facit 103.a
Cleopatra ne duceretur in triumphum serpentis venero se interemit 150.a
Coelo pulcher ordo describitur 127.a

Coelum

Coelum sua pulchritudine quid nobis tacito loquatur 136.b
Coelum toto amore exarsit 6.b
Comitio sola morum probitate nō gratiat 120.b
Coloratio accerrima ubi uerbis res gestā iungitur 38.b
Collum et ~~crura~~ crura cur terrestribus animalibus concessa 32.b
Commendationes diuersimode retorta 38.b
Commotio animi non est crimen 114.b
Comparationes res nilescunt 134.a
Communia ad morbos remedia 118.b
Coniecturalis causa quibus modis discernatur 106
Coniecturae non faciunt scientiam 70.a
Contingens pulchritudini creata substantia est increata 185.b
Contentione ablata ludus friget 108.a
Conscientia mille testes 88.a
Contraria esse oportuit 42.b
Contraria circa idem uersantur 94.a
Contraria se inuicem ponunt et perimunt 94.a
Contrariorum cognitio simul 94.a
Cor et cerebrum sibi inuicem aduersantur 42.b
Cor indicat temerariam fuisse humani corporis fabricam 64.a
Cordis officium quale 34.b
Corpora facta ex materia pulchra ex forma 20.b
Corporis pulchritudo mutabilis 29.a
Corporis incommoda externa atque interna 50.a
Corporis pars quae prima in uentre formatur incertum 61.a
Corpus nullum absolute pulchrum 20.b
Corpus in sole turgidat, gaudet sub umbra uideri 129.a
Corpus nullum omni ex parte pulchrum 29.a
Corpus semper ad senectutem tendit 69.a
Corpus humanum longitudini prior 33.b
Corpus humanorum cur molle 82.
Corpus animi uinculum 84.b
Corpus superfluis curamus, neglecto animo 132.
Correctio optimum in humanis bonum 131.
Creatis rebus multa tantum ad decorem data 40.a
Corruptionis generationisq rapidissimus fluuius firmari nequit 119.b
Credibilia multa falsa 105.b
Culpa nulla pallescere murus aheneus 96.
Cuncta fluunt 43.b
Cupiditas idem quod amor 114.a
Cur sedendo iudicandum 133.

D

Deus uoluit ne homo insolesceret 118.
De omne nihil in partibus, quod in uniuerso pulchrum non sit 53.a
De orme et uitiorum materia prima assignantur 65.a
Dei instrumenta qua 131.b
Deioces sua aequitate in iudiciis malis rex creatus est 107.a
Delus et Rhodus alicubi conspectus alio apparuerunt 75.a
Democritus uitae nullum terminum assignat 55.b

Demo

Democritus beneficium, et poenam pro-
bis habebat 125 a
Daemones esse in aere compertum est · 108 a
Daemones in idolis loquentes, malitiam suam patefaciebant 108 a
Daemones obscenis artibus coli volebant 108 a
Daemones humanis hostiis sibi sacrificari petebant 108 a
Daemones in idolis loquentes non erant boni ergo nec dii 108 a
Daemoniaci futura praedicunt 80 b
Demosthenes veneno se ab inimicis liberavit 80 a
Dentes hominis triginta duo 34 b
Dextrum hominis fortius 34 b
Deo plenus Deum cognoscit 145 b
Deo propius accedit qui sanctioribus cor-
tectus est 27 b
Deorum pluralitas unde 62 b
Dentium natura senectutem 79 b
Decus est mori morte militaram 95 a
Deum quaerens ipse se solum exhibeat 141 b
Deum nemo potest cognoscere nisi Deo
sit plenus 145 b
Deum nemo videbit et vivet 146 b
Deus varietate sui operis delectatus 47 a
Deus materia et idea Platonicis prin-
cipia rerum 56 b
Deus quomodo differat ab homine artifice 68 a
Deus cur hoc voluit nescio 73 a
Deus mavult peccata cogitationis de-
leri quam operis vindicari 72 a
Deus habet naturam bonam, et iustam paratam 94 a
Deus id non potest quod est sibi contrarium 94 a
Deus omnia potest quae non implicant con-
tradictionem 94 b
Deus ab illis fugit qui eum timido animo
inquirunt 118 a
Deus ab architecto quid differat 133 a
Deus verbo intelligibili omnia creavit 135 a
Deus non respicit personas hominum 136 b
Deus caeca creavit ut nos moneret pul-
chritudinis suae 136 a
Deus voluit per intermedia rebus conditis
providere 147 a
Date ut sim pulcher intus 306 b
Dictamnus a cervi indicata 70 b
Difficile adversus mulierem esse superiorem 20 b
Diffinire difficillimum 5 a
Dii a gentilibus adorati, dii non fuerunt 108 a
Diligimus aut odimus in homine, non quod
est, sed quod esse creditur 110 a
Diluvium in flavum fuisse constat 50 b
Diluvium cur missum 118 a
Diogenes Deos non esse aut nihil curare
affirmabat 82 a
Diogenes commendatio sui modestia 39 a
Discordia concors in rebus naturalibus 42 b
Dives aut iniquus aut iniqui heres 52 a
Divina pulchritudo sine sumptis et ingenia
haberi potest 137 a
Divinam scrutantibus pulchritudinem in
maximo lumine tenebrae oriuntur 130 a
Divi

Diminutus loqui est Deo aetate loqui 131.b
Diuinum aliquod in nobis est quod ad diuina cognitu penetrat 105.a
Diuinum non est ubi regnat improbitas 129.a
Diuinum et humanarum ius rudes animos erudit 124.a
Diuisibile non est incorruptibile 143.a
Diuitiae falsas similitudines ostendit 101.b
Diuitijs quis deformiter utitur 31.b
Dolia duo a Ioue contra quid narrant 75.a
Doctrina de mendacio curat non existimari 1.b
Doctrina uberior et uis corporea ad contemptum Dei procedit 118.a
Dolium aureum impleri nequit 75.a
Dolores diuturni 50.a
Democritus uoluit omnia densissima caligine circumfundi 54.a
Demarus culebre locata etiam salubris 40.a
Dormientes instar mortuorum sunt 27.a
Dormientes multa somniauerunt 101.a
Dracontitides gemma e capite serpentis eruitur 79.a
Ducum facinora manuum ministerio egerit 117.a
Dei contemptores uiribus ualuerunt 118.a
Duo rerum genera ad unum reduci possunt 111.a
Dura alijs et aspera, amanti facilia 114.a

E

Echeneis piscis mirum 50.a
Edificandi ars unde inceperit 70.b
Elementa recto motu mouentur 41.b
Elementa quatuor in homine 91.a
Elephantes ubi a uenatoribus negauerunt euadere quid agant 99.a
Eligere bene est difficile 55.a
Eloquutiones secundum genus sit uoce 49.a
Eloquutiones tertium genus scriptura seruitur 49.a
Empedocles causam esse amicitiam rerum principium esse uoluit 42.b
Examinandas commendatus in commu-
dantes gloriam transfert 38.b
Ephialtes de paupertate rogatus se etiam iustum esse dixit 38.b
Epicurus inferos supplicia fabulosa putauit 93.a
Epitteta rex multorum 45.a
Epictetus uoluit unum quodque habere duas ansas 122.a
Eritis sicut Dij, notat trinitatem 143.a
Erigendae mentis praecepta 140.a
Errans animi recensat 1.a
Errori debetur uenia, sceleri poena 111.a
Et creauit Deus Adam dixit Moyses 143.a
Europa Asia et Lybia est ueluti magna insula 124.
Ex scientia loqui non ex animi sententia 54.
Externa bona quia exigua bonis ma-
lisque communia 55.
Extremis adhaerere quam medium tenere facilius 67.b

F

Fabricij Romani duo uacare facinora 23.
Fabricius dixit se malle aurum haben-
tibus imperare quam aurum habere 115.
Fabula cauda cum capite draconis concordantis 33.

Faci.

Facies non virtus in oratione est 15.b
Faustus exitus mortis 85.a
Fallax visio veritatem non mutat 93.a
Falsitas si [illegible] aliquid decorum tollit 104.a
Falsum naturae placitur 1.a
Fames multa docet 77.b
Fames cibum gratiorem facit 138.a
Feracibus animalibus arma concessa 32.b
Fauoris imago ceca inuida neq stabilis 124.a
Fauorem quae [illegible] comitantur 124.a
Febricitantes sine medici iudicio non pereunt 119.a
Filio a Philosophis attributa 135.b
Filius dei mundus Archetypus 143.b
Fimus cur Saturnum nuncupatur 47.a
Finem vitae esse incertum beneficium est naturae 122.a
Fingendi licentia scriptoribus permissa 132.b
Fine [illegible] qui remissio animi suas iniurias narrat 115.a
Friget oratio non ardenter pronunciata 113.a
Finis creaturarum homo 117.b
Finis omnibus nobilior 117.b
Finis hominis est ut sit beatus 139.b
Finis ultimus hominis est ut deo placeat 140.b
Firmissima custodia [illegible] se tuentur 97.b
Flamma cum frigore ad generationem miscenda 42.b
Flectus hominis nascentis in felicis auspicij signum 67.a
Felicitas actionum nostrarum finis 14.b

Felicitas non est una [illegible] desinere 14.b
Felicitas est homini immortalibus gratius 142.b
Felicitatis est cum infelicitate dimicari 77.a
Felicitatis est non sentire mala 142.a
Felicitas non est supremum bonum si habet cum malo commercium 142.a
Felix qui amat quod amandum est 7.b
Felix miser fieri nequit 142.a
Foetu concepto matricis os constringitur 34.a
Forma in artificis mente non senescit 135.a
Forma rerum ante tempus fuit in diuina intelligentia 131.a
Forma vincens materiam pulchra decoraque apparet 25.b
Forma nimis fiducia multos fefellit 63.a
Fortes fortuna adiuuat 40.b
Fortitudo modestia illustratur 37.a
Fortitudo animi aegritudinem et corporis dolores minuit 53.b
Fortitudo phylosophis quid prosit 141.a
Fortuna misericors quum bonum virum supplicijs virtutem exercere cogit 86.a
Fortuna in deliberatione bene secta sua ducio 111.b
Fortuna manu paranda 117.b
Fortunae aut temeritati nihil licet in coelo 127.a
Frugalitas egregium vectigal 96.a
Frugalitate qui caret semper eget 96.a
Fulmina dolia exhauriunt relicto integro dolio 60.a
Fulmina aes et argentum liquefaciunt in [illegible] vinculo intacto relicto 61.a
Fulmen gladium liquefacit relicta integra vagina 107.b
Furari non amare est deteriora concupiscere 138.b

G

Galeri Augusti carmina ad ... 61.a
Galli omnia virorum fortium esse ... 53.a
Gallicus morbus à sexagesimo anno in Italia 64.a
Gaudii ... comparatio ad futurum 139.a
Generatio ex ... 42.a
Generationis officium ... inuerecunda ...
Generationis corruptionisque ... rapi=
dissimus sisti non potest 111.b
Generositas cum sapientia ... 95.a
Gentes à ... sedibus pulsa 50.b
Germania cogit hominem sibi ... 61.a
Gigantes à principio carnibus vescebantur
humanis 115.a
Gigantes cum parentibus et sororibus concu=
bitus iungebant 126.a
Giudai Cæsarum imagines recipere noluè=
runt 17.b
Grauidare ex testibus grauem periculum 63.b
Gordii nodus ferro dissoluendus 6.b
Graue et leue quid 57.b
Grauitas et leuitas à magnitudine, et par=
uitate corporum non dependet 106.a
Græci Helenam repetentes, pulchritudinem
omnibus rebus gratulabantur ... 11.a
Græci iudicum statuas manibus ... =
um conuexissis fingebant 97.a
Græci numina bona et ... colebant 125.a
Græci philosophi nihil ad Dei gloriam in=
quirebant 145.a
Græci suas historias à Nino Rege exordiuntur 145.a
Gubernatorem tempestas ostendit 77.a
Gutta ... lapidem
aliquid excauat 61.a
Hannonis Carthaginensis stratagema
aduersus gallos 110.b
Harpalus pyrata ... contra deos
testimonium ferebat 52.a
Helena pulchritudo Asia Europa con=
tentione clarauit 103.a
Heraclitus discordiam rex principi=
um ... esse uoluit 42.b
Hercules puniendis sceleratis clarus 53.a
Hercules ne aduersus quidem duos 64.a
Haredes auarum ... 10.b
Heresis humana ... habuit sectatores 142.b
Herodes aquilam auream supra templi
portam posuit 17.b
Hesiodus in Georgicis de fermentatione
non meminit 47.b
Hippolitus falso crimine damnatus 64.a
Hippocrates sanguinis missionem nos
docuit 79.b
Hirundo chelidoniam indicauit 76.a
Hispani suas regiones nuper inuenerunt 107
Hispani gloriantur se nouum orbem
inuenisse 107.
Hispani Alexandrum magna ... se
decipiunt 107.
Historiæ non excauent dempto narum
beneficio 117.
Homerus optabat pugnam, et contentioné
inter deos atque homines tolli 42
Homine sapiente nihil melius 69.
Hominem necessario ... esset ponder=
um tollere 61.

Hominem facit animus 51. a
Homines non christiani daemonum cultu obtenebrantur 30. b
Homines nasci nollent, aut nati ne mori 50. a
Hominum querela adversus mundi ordinem 50. a
Homines rudes esse insubentes 78. a
Homines veneno assueti tuto utuntur 80. a
Homines super terram convexis vestigijs incedunt 105. b
Homines coelesti semine oriundi 120. a
Homines in calidis regionibus prudentiores 133. a
Hominibus insita facienda vel pacienda 125. b
Homini indicta est libido nocendi homini 67. a
Homini optimum non nasci 71. a
Homini, ut domino, permittitur decernere quod magis arridet 116. b
Homini non conducit omnia explorata habere 118. a
Homini non expedit corporis firmitas 118. a
Hominis ad mundum per suas partes comparatio 31. a
Hominis cum alijs creaturis cognatio 31. a
Hominis voluptatis dediti nota 75. b
Hominis recta compositio ex mutatione formae dignosceretur 115. a
Homines carnacarnes molles meliore sunt ingenio 115. a
Homines arduum opus quale 120. a
Hominum causa verba ferimus 36. a
Hominum vita inter duo monosyllaba constat 57. b
Humana vita intereat et non vivatur 57. b
Hominum arma violentiora quam animalium 115. a
Homo non datur ad imaginibus res 7. a
Homo coelum aspicit, unde venit 21. b
Homo totius mundi simulacrum 21. b
Homo solus videt ut latus vivat 21. b
Homo deus terrestris 30. a
Homo ex affectu diversam imaginem induit 31. b
Homo nodus rerum creatarum 31. a
Homo parvus mundus 31. a
Homo nihil habet proprium, sed omnia cum alijs communia 31. a
Homo spectaculum omnibus spectaculis admirabilius 31. a
Homo summa, media et infima uno nexu tenet 31.
Homo corporeum omne incorporeumque obtinet 31. a
Homo ut Proteus mutatur 1. a
Homo mansuetum et sapiens animal inermis creatus 32. b
Homo exterius circulo clauditur 33. b
Homo sedens duos rectos triangulos efficit 33. b
Homo in rebus maximum obtinet gradum 43. a
Homo divinum animal 43. a
Homo solus miratur coelestia 43. a
Homo solus terrena gubernat 43. a
Homo ornat mundi ornamentum 44. b
Homo vellit vas vimas olerus 44. b
Homo parvus mundus 45. a

Homo.

Homo ad contemplandum mundum natus 59. a
Homo nesciens seipsum, alia certissime ignorat 68. a
Homo secundum aliquos corpore et animo male compositus 66. a
Homo solus in hominibus saevit 57. a
Homo sapiens vocatus orbecuit 69. b
Homo hominem tuetur 75. a
Homo in tormentis laetus felix est 80. a
Homo sui iuris et arbitrii 84. a
Homo bicens 102. a
Homo omni figurae similis 102. a
Homo ad sapientiam duplici potentia formatus dicitur 104. a
Homo curis non afflictus marmoreus crederetur 112. b
Homo dignior animalibus quia pluribus vestibus utitur 116. b
Homo pusillus etiam elephantes domat 116. a
Homo infirmioribus viribus creatus ad minuendam arrogantiam 117. b
Homo creaturarum finis 117. b
Homo sapientissimus eo quod manus habeat secundum Anaxagoram 117. a
Homo vestibus non contectus tectis se munit 117. a
Homo diutius sua animalia vivit quod anima est immortalis 122. b
Homo Deo veluti Lyra 131. b
Homo Deo gratus quod sua imagine gerit 140. a
Honesta nomina honestis rebus 9. a
Honestas verbis, utilitas re ostenditur 53. a
Honestati nullus honos 53. a
Honestatis dulcedo latet 53. a
Honestum ad utili semper fere vincitur 52. b
Honestas defensores suos odio gravat 52. b
Humana vita catenae consimilis 78. a
Humana si non ordine regitur, nec manet 85. a
Humana scientia describitur 102. a
Humana mens ad cognoscendum pulchritudinem impar 130. a
Humana anima velut aqua effluit 178. b
Humana vita curriculum 54. b
Humana forma descriptio 121. a
Humana forma nihil potest addi nec minui 115. b
Humana felicitatis culmen in hac vita est posse quod sancti in Christo potuere 145. b
Humani ingenii vis fabulosa multis videtur 105. b
Humanis miseriis non afflictantur qui sedem in divina pulchritudine posuerunt 138.
Humanitas ad homines tantum spectat 78.
Humanitas nostra belluarum ferociam comprimit 116. a
Humor et calor unde cuncta oriuntur 42
Hyperides quo astu Phrynem iudicio defenderit 7. a

I

Iacob Damasceni medici in medicendo infirmis auctoritas 118
Iacobus Damascenus medicus salvator appellatus 118

Ibis alui purgationem nobis exemplo manifestauit 79.b
Idea et sapientia idem in Deo 135.b
Idea atrorum exemplar eorum quae fiunt 140.a
Idolatrae ad lunae uiuere 62.b
Idolatra insaniam suam non naturae accusant 108.a
Iecoris officium quale 94.b
Ignis et aer infimam dicionem obtinet 31.b
Ignis luce uacuus scelestes exurit 13.a
Ignorantia uoluntaria maior caeteris 124.a
Ignorantiae humanae clarissima signa 63.a
Ignorantiam perinde atque tenebras horrescimus 100.b
Ignorantiam extremam quisque detestatur 101.b
Ignorare praestat quam errare 98.b
Ignorantiam aliquarum rerum non omnis cognitio abiicienda est 108.a
Ingeniorum uarietas 28.b
Imperitus ab intelligente quid differat 28.b
Imperitus pulchritudinis gradus ignorat 28.b
Imperitus de peritorum rationibus non iudicet 92.b
Imperitia confidentiam parit 54.b
Impietas odisse quod Deus amat 99.b
Impius nunquam liber a supplicio 90.b
Impius interficere potest laedere non potest 91.a
Impii scelestes puniunt 91.a
Imprimere libros non diu ante inuentum 107.a
Incertum quid seruus nescire ualeat 122.b
In coelo nihil generatur, nec corrumpitur 120.b
Incorporeis pulchritudo sempiterna 121.a
Incredibilia multa uera 105.b
In diuinis ordo est non inaequalitas 148.a
Indulgentia resipiscentiam prouocat 90.a
In filio Dei est omnium rerum forma 140.a
Infinitas millesio uirtutum rerum 59.b
Infima mundi superiorum bonorum dignitatem omni uere fecerunt 47.a
Infinitum finita omnia obrueret 59.b
Infinitum in natura esse non potest 59.a
Infinitum non esse et mente comprehenditur 59.a
Infirmus cur sanus infirmitate corripiat 63.b
Ingenia magna non edunt magnos fructus nisi uehementius ferantur 114.a
Inimici magis prosunt quam amici 53.b
Inimicissima in natura ueluti amicus amico congredi cupiunt 42.b
Iniustum nihil quod utile 98.b
Inopia nequitia uitiorum 30.a
Inquies quietem dulciorem reddit 138.a
Insaniens alios insanire putat 14.a
Insensibilia multis nos superant 66.b
In siluam ne ligna feras 3.a
Insula fabulosa abolita 75.b
Intelligens ab imperito quid intersit 28.b
Intempestiua uerecundia non differt ab otio 36.a
Intentio autoris in quaerenda pulchritudine 4.b
Ioci maiores si in seria inciderint 45.b
Iones in Graecia delitijs famosi 77.b
Ioui non paruerunt Dei nisi confecto multis periculis giganteo bello 77.b

Iovis aetate hominis artibus incubuerunt 73.b
Ira in bello quid valeat 113.a
Ira in obiurgatione quid valeat 113.a
Ira oratoribus quid possit 112.a
Ira accendit ad altiorem 114.b
Iracundiam fortitudinis cotem dicimus 112.b
Iter ad coelum omnibus patet 131.b
Iucundissimum re amata potiri 19.b
Iudaei soli sculptilia abhorrebant 17.b
Iudaeorum veris iter qualis 27.b
Iudex iuris peritus nix falli potest 112.b
Iudaeorum et quicquid philosophi de Deo dixerunt 141.b
Iudices non gestum sed gestum videri pronunciabant 6.a
Iudicium de coelis maturari potest 75.b
Iudicium in controversiis non properandum 71.b
Iugum in liberos homines non potest esse perpetuum 71.b
Iupiter voluit nos labore cibum quaerere 74.b
Iupiter dolorem laetitiae miscuit 74.b
Iupiter Saturni delitias abstulit 74.b
Iupiter mortalia terra visceribus condidit 74.b
Iupiter coronam aureis malis submisit 75.a
Iupiter carem suis veris abdidit 75.b
Iupiter mari turbare fecit 75.a
Iupiter rem communionem sustulit 75.a
Iupiter Saturnum muro inclusit 74.b
Iupiter uno pacto valles et colles fecit 75.a
Iure maluimus omnia quam per scelus 48.a
Iuris civilis principia quae 104.b
Iusta laudis recusatio facit ut magis laudemur 131.a
Iustitia homines pulchros reddit 30.b
Christiani omnium gentium pulcherrimi 30.b

Iustitia est acerrima ... 52.
Iustitia philosophis quid prosit 141.a
Iustus affligitur doloribus quam iniustus voluptatibus sequutus est 63.[illegible]
Iustum utile 94.[illegible]
Iustum iustitiae nomine venerabamur 110.[illegible]
Iuventa hominum ad voluptatem accommodata 121.

L

Labor praeteritorum iucunda recordatio 45.a
Labor cibus potus somnus veras omnia medicina 67.b
Labor longam facit adolescentiam 78.[illegible]
Lacedemonii civitatem inimicam evertere noluerunt 78.[illegible]
Lacedemonii ebrios circunducebant ut iuvenes ab ebrietate abducerent 94.[illegible]
Lacedemonii volebant templa mori 113.b
Lace insipientia de quibus iudicium est indicium 29.[illegible]
Lapis de sole cecidit in Thracia 105.[illegible]
Latina lingua Europae communis 2.b
Latinae linguae laus 2.b
Latini Graecis inferiores 3.a
Latrones a latronibus iniustitiam pati nolunt 93.a
Laurus a coelesti igne defendens veneris facibus castit 6.b
Lethalia signa ad probandum coniecturam
Legum utilitas ex contrariis legibus cognoscetur 111.b

Letum non omnia finit 93. a
Leo caeli causa canem terretur 60. a
Leonides suos apud inferos coenaturos ad prandium hortatur 85. a
Libenter trahi formis masculini 11. b
Libido fere tota oculorum est 15. b
Libido feruenti vsita vertero 14. a
Libido inflammat ad voluptates 114. b
Licurgus mulieres lege cohibet ne potarent 20. b
Ligratoris fabula qua asserit Deos esse 52. b
Linea animi habet eandem similitudinem 1. b
Lingua sermonis et saporis iudicio composita 84. b
Lis litem generat 71. a
Litterarum inuentor qui 49. b
Lidi in Asia delitijs famosi 77. b
Lucerna sublata nihil est inter mulieres 1[illegible]. b
Lucis non aeque splendor atque iustitiae pulchritudo 55. a
Lucrum non plus habere vel minus curare 96. a
Lucrum maximum abstinuisse ab iniuria 96. a
Luxuria tota vertendo vincitur 14. a
Lycaonis in lupum mutatio 31. b
Lyra pulsantes, musici nuncupantur 130. b

M.

Magi Persae duos Deos animos ponebant 125. a
Magnes ferro trahendi vim impertit 60. a
Magnetis mirum vel prorsus ignotum 60. a
Magnitudo rei breui sermone non clauditur 49. b
Magno animo magis de rebus iudicandum 87. a
Magnum tantum notione censetur 48. a
Magnum quod graui collocatione comparatur 77. a
Maior ignis celerius sursum fertur quam paruus 105. a
Mala esse non oportet ne venenum quaeramus 6[illegible]
Mala initia malos exitus sortiuntur 9. b
Mala cur cum bonis permixta 125. a
Mala hoc boni habent ut suis supplicijs alios terreant 35. a
Mali unde 73. a
Mali in libidinibus temperati vocantur 45. [illegible]
Mali in rapinis liberalissimi appellantur 45. [illegible]
Mali nec secum nec cum bonis amicitiam seruant 51. b
Malos bonis imperare in mundi ordine arguitur 51. a
Malos insequuntur qui eos malos ferunt 48. [illegible]
Malam causam non habet efficientem sed deficientem 125. a
Malum non natura sed vitium 125. a
Malum qui detrahit non adimit aliquam naturam
Manibus labatur socialis concordia 117. a
Manichaei duo principia concinnant 125. [illegible]
Manuum beneficium maximum scriptura 117. a
Manuum opus est artium notitia 117. a
Manuum ministerio ducum facinora cognoscuntur 117. a
Manuum ministerio praeclara ingenia viuunt 117. a
Manuum opera historias legimus 117. a

Manu.

Manuum structura omnium maxima in ad-
mirationem rapiunt 117.a
Manuum tacitus sermo omnibus gentibus commune 117.b
Manus data homini quoniam est animal unicus 117.a
Manus instrumentum pacis belliq. idoneum 117.a
Manus internos animi affectus significant 117.b
Manus nostra quibus artibus idoneæ 117.a
Manus ornatum ornatos 117.a
Manus omnium instrumentorum uice homini
seruiunt 117.a
Manus sui animi affectus exprimunt 117.b
Manus actio uocata 117.b
Manus iniunctas mirantur uetustatem 117.a
Manus meam linguam interdum suelet 117.b
Manu fortuna parandam 117.b
Manus hominem nec nudum nec inermem
esse uolunt 117.b
Mares ob calorem foeminis prudentiores 133.a
Marges Ciro Regi admodum similis 63.a
Maria nauigantes arguunt 81.a
Maria commune parenti nomen habet cum Deo 147.a
Maria filio arctius adhæret in natura quam
alia creatura 147.b
Maria uirgo summæ pulchritudini proxima
pulchritudo 147.b
Maria omnia creata pulchritudine antecellit 147.b
Maria matris Dei laudes accumulata 147.a
Mari scalia regali contracta tollunt 80.a
Martires deficerent in tormentis nisi ardore
fidei feruerent 114.a
Martires sibi pro beneficijs ducebant pro
Christo pati 114.a

Matris constantia in tormentis qualis 45.b
Massilia habebant uenenum his ex uita
exire cupiebant 80.a
Materia rumpens hochinatam ostendit 25.b
Materia hochinatam ostendit 25.b
Materia prior origine, non tempore 25.b
Materia prima nouam formam appetit 41.a
Materia prima meretrici similis est 41.a
Materia prima pulchritudinem uocatur 41.a
Materia prima uellet omnes formas simul
recipere 41.a
Materia prima omnis mali causam
nullis creditur 125.a
Materia durissima non admittit nobi-
lem formam 82.b
Materia prima qualis 40.b
Materia prima debuit carere omni for-
ma ut omnem formam reciperet 42.b
Materia prima omnium formarum sinus 42.b
Matres cur magis diligunt filios quam patres 75.a
Matres filios magis estimant quam patrem alterum 7
Matrum affectus erga filios sui 67.a
Maxima pars eorum quæ scimus minima
est eorum quæ ignoramus 46.a
Maxima doctrina multis obfuit 128.a
Maximum est aliquid minoris collatione 48.
Medicamenta deorum immortalium manus 118.
Medicamentorum omnia plena 118.a
Medici officia qua 58.a
Medici non natura sed fortuna mi-
nistri appellare deberent 69.a

Medi

Medici officium est cito celeriter et iucunde curare 110.b
Medicina aliud non est quam coniectura 68.b
Medicina non tuetur nos a morbos inuisibil. 9.a
Medicina praeterita non veniet 60.a
Medicina antiquis nulla 58.b
Medicina non solum morbos depellit sed etiam sanitatem tuetur 120.a
Medicina ars imbecillis 58.b
Medico turpe audire Medice, curate ipsum 120.b
Medicorum desidia liuore an imperitia morbi non curantur 119.a
Medicus serius quam morbus periculum creat 58.b
Medicus non sanans medicus haberi non potest 128.b
Meditatio unum eloquutionis genus 40.a
Meditatio intima animi actio 49.a
Meliore sensus i. e. habenas gubernare nemo potest 128.b
Melissus omnia esse unum voluit 58.a
Melissus quod digitos dentesque haberet ignorabat 58.a
Melius est imperare animalibus quam animalium dentes habere 116.b
Melius quod sublimius 30.a
Melius fuit rose quam belua volans quam ea habere 116.b
Melius erat diuina parte caruisse quam illam seruilibus exercitijs occupare 138.a
Memoria est animi pars 29.b
Mendaces sibi mentiri nolunt 1.b
Mendacium cupit verum existimari 1.b
Mendacium dicere in bonum virum cadit non autem in sapientem 58.b
Menecrates quo pacto cognouit se non esse de Iouem 38.a
Menecrates medicus Iuppiter appellari voluit 58.a
Mensa Veneris non vehit sed auerit 7.b
Mens peccatorum conscia surdo verbere flagellatur 58.
Mentis cogitantis actus 68.b
Mercurij Trismegisti libellus de verbo secreto idest de filio Dei 144.b
Mercurius Trismegistus proxime ad catholicam doctrinam accedit 144.b
Mercurius Trismegistus Abraae tempore veritatem cognouit 145.a
Mercurius Trismegistus quando natus est 145.a
Mercurius Trismegistus optime de creatione scripsit 145.a
Metalla habent suos gradus 45.a
Metu ademto adimitur pudor 113.b
Metu dempto tolluntur artes 119.b
Metu dempto leges perirent 119.b
Metu dempto diligentia nulla esset 113.b
Metu pudoris pars 113.b
Meum et tuum a republ. expelli nequeunt 57.a
Metus ab iniustitia atque dedecore hominem auocat 119.b
Miser qui ob voluptatem corporis amat 75.a
Miramur insolitis 60.a
Miserandum est videre hominem nasci 67.a
Miserias laboresque sedatas apud inferum vocat 53.a

Miseria

Miseria dii turna uoluptas momentanea 50.a
Miseriæ hominis numerantur 70.a
Miserrimus est homicida 142.b
Mixtura animus reficit 46.b
Moderatum est quod in propria sua natura consistit 26.b
Modestia fortitudine fit clarior 37.a
Modestia inter nimium, et parum consistit 68.a
Modicum delectum nec Dij nec homines curant 119.a
Moises scripsit creauit Dij coelum et terram 143.b
Moises scripsit dixitque Dij faciamus etc 143.b
Moises diuinas condidit litteras 140.a
Molestum idest habere quod auferri potest 137.a
[illegible] de errores ueritatem uenerantur 1 b
Monstra diuersa in Africa 33.a.b
Monstra oriuntur, non contra nam naturam sed praeter ipsius naturæ usum 49.b
Mortuo examine corpora fiunt et nutriuntur 54.a
Moralis philosophiæ præcepta summatim tradita 66.b
Morbi natura impero nobis adsunt 64.b
Morbos a Deorum ira immitti ueteres credebant 83.a
Morbos nostra intemperantia attrahimus 64.a
Morbus difficilis pharmacis non instigandus 64.b
Morbus durior qui non sentitur 94.a
Mores boni traniscunt et eo quod amamus dignoscuntur 138.b
Moriendi [illegible] latissima 80.b
Mors impios illos punit, et bonos a peccatis retrahit 38.a
Mors omnem finit molestiam 84.a
Mors uitæ melioris initium affert 84.a

Mors celebritatem mundi offendit prolis successione 84.a
Mors scientia bonum non eripuit sed auget 84.b
Mors patriam distractio 104.b
Mortalibus prouidisse nec obiuisse, est Dea fieri inter homines 67.a
Mortalium nemo omnibus horis sapit 63.b
Mortalium forma summa pulchritudinis imagines 137.b
Motus materia et priuatio peripateticis principia rer 56.b
Motus paranda foelicitatis non frustra est in mentibus humanis 139.b
Mota ingenium excitatur 133.a
Muliere ueritatum est sicut ignis, et aqua 20.b
Mulierem ornat silentium 38.a
Mulier nuda praeparata pulchrior 5.b
Mulier mali maxima illecebra 13.b
Multa fiunt, quorum causam ignoramus 60.a
Multa contra sensuum fidem affirmantur 12[illegible]
Multa ad usum uitæ uetustate obliterata 107.
Multa sunt quæ rudes animos informant 11[illegible]
Mulieri pulchro corpore nihil pulchrius 10.b
Multi statuas ardenter amauerunt 145.a
Multi se ex mana hominum uerenis exinueruit 80.a
Multitudinem de mundo auferens cor ac oculo non habebat 96.a
Multitudo ex mali bona esse non potest 51.b
Multos timeat quem multi timent 68.b
Mundana omnia quo strictius retinentur eo facilius dilabuntur 138.b

Mundi forma omniu absolutissima 42.b
Mundi pulchritudo mirabilis in sensibus 40.a
Mundi universalis pulchritudo 40.a
Mundi res ad scalas modu se habere 43.a
Mundi fabrica à malis arguitur 46.a
Mundi circularis motus ab impiis arguitur 51.a
Mundi structura describitur 123.a
Mundi ordo describitur 126.b
Mundo nihil rotundius 40.b. 41.a
Mundo semper laborante homo non torrescat 74.b
Mundus non timet periculum nec senectutem 41.a
Mundus à se omnia facit et patitur 41.a
Mundus se ipso contentus est 41.a
Mundus homini similis 43.b
Mundus curvus sed similis incerto 45.a
Mundus divina voluntatis organu 45.a
Mundus non unus simpliciter sed ex pluribus unus 56.a
Mudus Cosmos idest ornamentu vocatur 126.a
Musica hominibus concessa ut curas laborq. versicn alleviat 99.b
Musica inventa ut feros mulceant affectus 99.b
Musica laudes sua 99.b

N

Nascendi via unica 50.b
Natura in caloribus maiori lasciuia lusit 25.a

Natura nihil imperfectum reliquit 32.b
Natura ad suus generationis cuncta solertissime curavit 34.a
Natura unicuique iusta tribuit 30.a
Natura non omnia seruit necessitate 42.a
Natura arguitur quod boni infortuniis iactantur, mali contra 52.a
Natura culpatur honestum ab utili distrinxisse 52.b
Natura arguitur quod dolores immiserit hominis corporibus 54.a
Natura arguitur quod nobis et ignorantiam indiderit 54.a
Natura culpatur, quod multa fallacia imitatione vere nobis immisit 59.b
Natura culpatur ex incertitudine scientie 61.b
Numeri summo nobis ignota 61.b
Natura arguitur quod verum falso coniunxit 62.
Natura culpatur quod sensus fallaces nobis tradiderit 62.b
Natura culpatur quod virtutes à vitiis parui discrimine separavit 64.b
Natura arguitur ex incerta morte 65.b
Natura videtur odisse hominem 66.a
Natura arguitur quod caput fragile fabricaverit 67.b
Natura arguitur quod in homine ledendi hominem affectum inseruit 67.a
Natura culpatur quod affectum nocendi alteri homini non substulerit 67.a
Natura arguitur quod morbos contagione lethentes yenuerit 6[illegible]

Natura omnibus mala proposuit venena cauens 68.b
Natura homini omnia recta ac perturbata dedit 70.a
Natura arguitur ex linguarum varietate 70.b
Natura arguitur id condidisse quod reliquisse satius fuit 70.a
Natura homines ad artes excolendas instituit 77.b
Natura homini cupiditates ingenuit ut ad virtutem insurgeret 82.a
Natura homini certamen proposuit ut virtute resisteret 82.a
Natura omnia ad suos affectus aptissime concinnauit 82.b
Natura defenditur quod morbos homini immiscuit 83.a
Natura cur morbos homini dedit 83.a
Natura non iucundam sed aptam nobis dedit 83.a
Natura voluptatem dedit sed non immoderatam 80.b
Natura defenditur quod bonos malosque homines produxerit 85.a
Natura defenditur quod boni mala et mali bona assequantur 85.a
Natura horret a commissis sceleribus 86.a
Natura defenditur quod malos esse permiserit 74.a
Natura veritatem in profundum demersit 102.b
Natura pretiosa quaeque consilio occuluit 122.b
Natura voluit homines in ambiguitatis campo equitare 103.a
Natura iudicium veritatis rationi in sensibus dedit 108.b
Natura de sensibus iudicans ab illis falli non potest 108.b
Natura eximiis muneribus hominem ornans, calumnias non effugit 108.a
Natura defenditur, quod tales sensus homini dedit 108.a
Natura defenditur quod cor non posuerit in fronte 110.a
Natura defenditur quod iudex ex ignorantia innocentem torquet atque interficit 110.b
Natura defenditur quod a iudicibus ignorantiam non abstulerit 112.a
Natura iudici ignorantiam relinquens ne homines a caede deterruit 112.a
Natura defenditur, quod nos veri similitudine capi voluit 112.a
Natura defenditur quod homines miseriis onerauerit 112.b
Natura utiliter nobis affectus impressit 112.b
Natura defenditur quod animi aegritudinem homini dederit 113.b
Natura defenditur quod metum homini dederit 113.b
Natura defenditur quod homini cupiditatem indiderit 114.a
Natura defenditur quod homines nasci nudos permiserit 115.a
Natura defenditur quod corporis fabricam talem creauerit 115.a

Natura secundum aliquos homini noverca 115.a
Natura defenditur quod homini pilos cornua et alia baluina non dederit 115.b
Natura duce multi ignorantes cupiditatibus imperaverunt 115.a
Natura q̄re nervi nodos non fecit 115.b
Natura cur voluit animalia augeri deinde senescere ac interire 116.a
Natura nihil repentinum placuit 116.a
Natura paulatim procedens liberos parentibus conciliat 116.a
Natura cur homines caecos in luce prodit 116.a
Natura defenditur quod hominē nudum genuit 116.b
Natura lachrimas homini dedit tanquam indicia humanitatis 116.a
Natura defenditur quia homines statim nati lugent 116.a
Natura dans manus homini arma atque vestes tradidit 117.b
Natura a principio gigātes producebat 118.a
Natura a principio hominibus in mille annos vitam producebat 118.a
Natura disposuit ne in arrogātiam inciderenus 118.a
Natura in herbis omnem medicinam collocavit 118.a
Natura nos ad letitiam produxit 121.b
Natura benigna mater 122.b
Natura defenditur quod omnia concessa homini possunt ab illo auferri 122.b
Natura defenditur quod voluerit mortis diem hominis latere 122.b
Natura benefica voluntate nobis beneficia contulit 123.b
Natura cur pestifera genuit 123.a
Natura defenditur quod ignorantiam homini affixerit 124.b
Natura cur homini verba dederit 131.b
Ostenditur accutissime beatitudinem non esse in hac vita 139.b
Naturalia nesciremus nisi ~~efa~~ fuisset philosophi 106.a
Naturali pulchritudini alia adhibetur, quae priorem non obscuret 36.a
Naturam nervi nodos non fecisse queruntur aliqui 115.b
Natura ordo in concipiendis, et educandis infantibus 34.a
Natura ninihil repentinum placuit 41.b
Naturae reparationem cur auctor tam exacte expresserit 70.a
Natura simplex a doctis pariter atque indoctis calumniatur 115.b
Natura beneficium est incertum esse vita finem 122.b
Naufragio pereuntes naturam arguere nequeunt 81.a
Navis pulchra quae ornata 42.a
Negotia fere omnia scripto tractatur 117.a
Nemo altitudine factus est sapientior 105.a
Nemo ea re laeditur qua hic melior 91.a
Nemo quod patitur amat 83.b

Neronis domus orbis effigiem representans 35. b
Nescire levius crimen qua non obtemperare scientia preceptis 120. b
Nicetas siracusanus terram solam moveri affirmabat 59. a
Nicias pictor sumendi cibum obliviscebatur 59. b
Nihil de sermone huius operis detrahi potest; enim detrahatur de materia eius 49. b
Nihil hominibus sine labore 29. b
Nihil simul inventum et perfectum 103. b
Nihil creatum universam habet pulchritudinem 135. b
Nimis intelligendo, nihil intelligitur 58. a
Ninus primus Babiloniae Rex libidine dominandi finitimis arma intulit 145. a
Nobilissima quaeque maiore catiuntur motum 75. b
Nobilitas forma in corpus durissimum non cadit 82. b
Nolentem fata trahunt 53. b
Non probatur quid de facili fierit 77. b
Non incidimus casu in sapientiam sicut in thesaurum 104. a
Non fallitur qui falsa videt sed qui falso advertitur 108. b
Non quod quis irascatur, sed quare irascatur 114. b
Non est res mala, quae ad bonum converti potest 123. a
Non iudicandum ex amore, sed amandum ex iudicio 131. a
Non culpatur qui prius dicta lucidius tract~~ant~~ tant 132. b
Non vivit ut vult qui non vivit quamdiu vult 126. b
Nullo ordine querimur, quam ordine describimus 61. a
Noxia nulla ordine suo posita 60. b
Nulla ars nascitur magistra seu perfecta 103. a
Nullum hominum genus sine iustitia vivere potest 98. a
Numerus simetria atque harmonia pythagoricis exercitia rerum 50. b
Obiurgatio medicina acerba, sed salutaris 131. a
Obiurgatio vera suum fructum parat 131.
Obiurgatione falsa gaudendum 131. a
Obsequium amicos veritas odium parit 53. a
Oculi sarua sunt corporis et animi perturbationibus 13 b
Oculi aureque pulchritudinis non sunt indices 27. b
Oculi pulchritudo cum utilitate coniuncta 39.
Oculi quid prius capiunt 133.
Oculis captus nunquam intelligit colorum lumina 28.
Odores sentire tribuitur pulmoni 61.
Omnia quamvis aspera et inimica alteri commiscere possunt 42
Omnia in orbem sunt nexa 43.
Omnia omnibus succedunt 43.
Omnia si esset unum bonum, et malum idem esset 58.

Omnia non esse ac ... ex motu comprehenditur 58.a
Omnia si esset unum ignis et glacies idem esset 58.a
Omnia si esset unum nec moueretur 58.a
Omnium rerum uicissitudo 42.a
Omnes idem in numero sequimur 2.b
Omnia ad unum tendunt 45.b
Omnia aequalē recipiāt probationem 104.a
Omnia creata sunt ad hominem contemplandum 121.b
Omnis amore non sentitur labor 78.b
Opinabilia utiliter inuenta raro fallunt produnt saepissime 122.a
Opinio quid 111.a
Opinor uerbum non est in usu post mortem 84.b
Optima mens optimi causa unumquodque instituit 68.a
Optima uita consultio paucis eget 77.b
Optimum quod est imitandum 20.b
Optimum in omni genere unum 67.a
Optimum sic uoluisse quum optimus est qui uoluit 73.a
Optimum dese medice seruire 114.a
Oratores uerisimilis curam habeant 67.a
Ordine nihil in natura et arte mirabilius 34.b
Ordine placere quae singula displicent 47.a
Ordinis praestantia ex confusione cognoscitur 34.b
Ordinis uis qua 35.a
Ordinis est interdum non seruare ordinem 45.b
Ordo rerum a pueris et insanis non agnoscitur 34.b
Ornamenta rebus adhibere semper licuit ac licebit 39.a
Ordo in amore 146.b
Orpheus Trismegisti doctrinam coluit 144.b
Orpheus mineruam e capite Iouis nasci affirmans uerbum ex patre nascentem indicare uoluit 144.b

P

Pacifica terra ultra oceanum 124.b
Pacifica terra Saturni aetatem refert 125.a
Palamedes Ulissi technis falso damnatus 64.a
Pallas de Iouis capite cum clypeo et hasta prodijt 116.a
Pani in Heleporto contactu uenena tollunt 6.a
Paris Veneri pomum tradens mulierum pulchritudinem omnibus pulchris praetulit 11.a
Paris laudandus quod deas nudas conspicere noluerit 128.b
Paris Helenae simulacrum tantum abstulit 138.a
Parui admodum pulchri non sunt 16.a
Pater a filio alius, sed non aliud 143.a
Parthi filios annulis heredes instituentis historia 62.a
Pauper nemo nisi qui se pauperem esse indicat 97.b
Pauperes tuti a principibus 122.b
Pauperes liberi a tributis 122.b
Pauperes liberi a ciuilibus negocijs 122.b
Pauperes ab inuidia atque insidijs soluti 122.b
Paupertatis securitas qua 122.b
Peccantibus rerum grauissima est peccasse 57.b

Peccare est avertere se de humana pulchritudine 137.a
Peccatum quid pariat 137.a
Peccata poenis non auferuntur 92.a
Peccata auferuntur admissi detestatione 92.a
Pelen si in fovea haereret adhuc discere vellet 100.b
Peius terrere obisse 79.b
Perfecta minus non ideo sunt mala 45.a
Perfectum nihil re et opere tentamus 70.a
Pericles arma et litteras tractavit 130.b
Pericula non rebus sed nobis ascribenda 44.a
Periculorum praeteritorum iocunda recordatio 127.b
Peripatetici soli nunc scholas occupant 16.a
Peripatetici deambulantes disputabant 133.a
Peripatetici ridicule beatam vitam descripserunt 141.b
Poena timorem inducit 54.b
Periti omnis pulchritudinis gradus novit et efficiunt 24.b
Peritus artifex vult a peritis suum opus aspici 28.b
Phocion periclitatur quod improba consilia accusabat 52.b
Philosophia a sensibus in intellectum introducta 108.b
Phylosophia multa habet incognita 63.b
Phocion litteris atque armis operam dedit 130.a
Phylosophia est solutio animae a corpore et conversio ad divina 141.a
Phylosophi in oscuris impendunt scientiam 57.a
Phylosophi otio inertiaeque dediti 68.b
Phylosophi deos gentium contempserunt 108.a
Phylosophi daemones inter deos et homines posuerunt 108.a
Phylosophi daemonibus sacrificandum censebant, ne irati nocerent 108.a
Phylosophi nequeunt verum dare affectibus 115.a
Phylosophi veteres veram pulchritudinem non cognoverunt 139.a
Phylosophi voluerunt deum non esse stabilem 139.b
Phylosophi voluerunt deum genuisse sibi filium 139.b
Phylosophi vita mortis meditatio 141.a
Phylosophi non terrentur adventu mortis 141.a
Phylosophi res ad pauca genera deduxerunt 14[illegible]
Phylosophi posuerunt mundum animatum 143.[illegible]
Phylosophi mundum tertium deum fecerunt 143.[illegible]
Phylosophi daemones colendos tradiderunt 143.b
Phylosophi materiam primam non a deo conditam posuerunt 144.[illegible]
Phylosophi voluerunt deum non posse omnia 14[illegible]
Phylosophi beatitudinem aliquando defuturam pronuntiarunt 144.[illegible]
Phylosophi voluerunt animas repetere corpora 144.
Phylosophi voluerunt animas certo numero creatas a principio 144
Phylosophi voluerunt animas non discere sed reminisci 144
Phylosophorum genus verbosum 68.

Phylosophus inter tormenta beatus 142.b
Phylosophus molestiæ nomen 142.b
Pictores naturæ pulchritudinem repræsentant 47.a
Pietas omnes virtutes complectitur 142.b
Piscibus collum et crura cur non data 32.b
Plato album colorem cæteris præferebat 25.a
Plato animabus scientiam infusam assignat 28.a
Plato mundum animatum esse dixit 59.b
Plato astra inter deos ponenda censuit 59.b
Plato voluit de sua repub. Meum et tuum expellere 57.a
Plato mentem necessitatem quæ naturæ in mundi creatione coniunxit 65.a
Plato materiam primam parem æternitate dei fecit 65.a
Plato de quibus deo gratias agebat 122.a
Plato, et pauci philosophi verum pulchritudinem effecerunt 139.a
Plato, nihil beatitudinem non esse in hac vita 139.b
Plato doctrinam de deo à Mercurio Trismegisto sumpsit 144.b
Platonica philosophiæ summa 141.a
Platonica philosophia finis qui 141.a
Platonici doctrinam de divinis non omnibus declarabant 141.a
Platonici vocant verbum dei patris fabrum 141.b
Platonici multum cum sacris literis conveniunt 141.b
Platonici filium dei minorem patre ponunt 142.b
Platonis Aristotelisque conciliatio 28.a
Plures adversis quam prosperis victi 124.a
Pluribus signis concurrentibus res diffiniri possunt 104.b
Plurima indicium firmius 103.b
Plutarcus echeneidis piscis navem remorantis causas assignat 127.b
Plutarcus magnetis ferrum attrahentis causam adducit 127.b
Poeta in diis facit necesse esse putant esse poetam 9.b
Poetæ ex animi sententia susceptæ corporis non animum affligunt 166.a
Poetæ hominum vitia rebus ascribunt 81.b
Poetæ egregii qui inflammatione animi ceciderunt 114.b
Poetæ in fingendis vocibus naturam imitantur 45.b
Poetis nihil fidei habendum 74.a
Polipus in mari, omnium quibus adhæret colorem refert 128.a
Populi sæpe luunt peccata principum 51.a
Populus probabilia sequitur 106.a
Populus ut multa ignorat ita multa putat se nosse 106.a
Populus quæ non novit deridet 141.a
Portentum non est quod fit naturalibus causis 116.a
Posse artis incumbere non est malum, sed nimia amplecti 94.a
Posterior dies de priore iudicat 103.b

Poste.

Posteris non celanda que nobis Deus revelauerit 2. b
Per mortem una dies nesciens occasum 134. b
Potentia maxima qua quis potest contra seipsum 66. a
Potiones nisi urgentes necessitate non sumenda 118. b
Preceptores iuventutis parentum loco habendi 16. b
Praua uoluntas unde 73. a
Praescire homines non posset si nihil scire esset 101. b
Praestat in paucis errare quam in cunctis temere nugari 111. a
Praetenta nulla ratione reuocari possunt 102. a
Probi uiri stolidi habentur 52. b
Probi uiri malunt iniusta pati quam iusta silere 53. a
Probitatis causa semper deterior 52. a
Probus uir studio probitatis sibi nocet 52. a
Probi uiri uirtus et caeteris fructum parere 37. a
Prospera et aduersa cur alternatim nos circumstant 124. a
Protagoras res esse tales asseruit, quales uidentur 58. a
Protagoras uolebat neminem alteri contradicere 72. a
Prouidentia diuina ad minima quaque peruenit 73. a
Prouide cogitationes cur latere debuerint 110. b
Prudens cogitatione percipit quid quisque cogitat 110. b
Prudens finite non pronuntiat nisi de re certa 112. a
Prudentes uerbis delectari possunt, non decipi 126. a
Prudentes simulando stultitiam laudantur 112. a
Prudentia non eluceret, cessantibus malis 77.
Prudentia nulla esset si careret cogitatione 110
Prudentiam philosophis quid ualeat 141.
Prudentibus uerba dare difficile 106. a
Prudentia est a nullo decipi 125. a
Iustitia est neminem decipere 125. a
Psilli Africae populi contactu uenena tollunt 6. a
Psyllei experiendo uxoris pudicitiam infantes modo genitos serpentibus obiiciebant 80. a
Pudore confracto nihil integrum mulieri 12
Pulcherrimum quod iustissimum 19.
Pulchra forma plena 25.
Pulchra habent aliquid pulchritudinis propter materiam 25.
Pulchra omnia qua sibi congruunt 25.
Pulchra et ordinata menti attribuuntur 64
Pulchra quaeque difficilia 77.
Pulchra omnia effigiem tenent summae pulchritudinis 135.
Pulchra et proba uxor qualis 137.
Pulchra eodem modo non omnia 128.
Pulchra mulieris nota 10. a
Pulchri amor sacer furor 11. b
Pulchri diffinitio ab Augustino tradita arguitur 24.
Pulchris libentius obsequimur quam aliis dominamur 11. b
Pulchris omnes fauent 11. b
Pulchritudine corporis quisque redditur honestior 18.
Pulchritudo honestatis pars 19. a
Pulchritudo paruum bonum 19. a

Pulchritudine aeterna quando fruemur 138.a
Pulchritudinem habent corpora aliunde 2.a
Pulchritudinem quam homines à Deo petant 30.b
Pulchritudinem divinam nisi ius non amicitis 197.a
Pulchritudinem hic amare possumus et contemplari 136.a
Pulchritudinem veram qui amat nō invideat eam amantibus 137.a
Pulchritudines aliae sunt terminatae 135.b
Pulchritudines quibus nominib[us] appellamus 130.b
Pulchritudini licet animā submittere 11.b
Pulchritudini venerentiā debetur 11.b
Pulchritudinis ratio ubi est temperantia 19.a
Pulchritudinis aeternae effectus quales 137.b
Pulchritudo est res incorporea 2.a
Pulchritudo magnum nomē 11.b
Pulchritudo oculis tantum auresque auribusque percipitur 8.a
Pulchritudo excipit amorem et conservat 5.b
Pulchritudo etiam Deos in contentionem adduxit 11.a
Pulchritudo res sacra est 11.b
Pulchritudo veneficijs non eget ut sibi amorem conciliet 11.b
Pulchritudo qua ex Aristotile 16.a
Pulchritudo qua ex Galeno 16.a
Pulchritudo qua ex mēte auctoris 16.a
Pulchritudo est venustas de forma veniens 24.a
Pulchritudo pulchrior quo formam suam alijs imprimit mentibus 24.a
Pulchritudo in coloribus 24.b
Pulchritudo in numeris 24.b
Pulchritudo in arboribus 24.b
Pulchritudo à forma oritur 26.b
Pulchritudo bonum atque ideo utile 39.a
Pulchritudo sic nō tantū iucunda etiā utilis 39.a
Pulchritudo veluti quota Dea 40.b
Pulchritudo decessione, et successione ostenditur 44.b
Pulchritudo humani corporis maior cogitari non potuit 115.b
Pulchritudo universi veteres ad philosophandum vocavit 128.b
Pulchritudo summa sexto libro exprimitur 130.a
Pulchritudo non omnibus praebet se videndam 130.a
Pulchritudo artifex omnium pulchritudinum origo 134.b
Pulchritudo summa in rebus creatis nō invenitur 134.a
Pulchritudo summa describitur 135.b
Pulchritudo summa per se subsistit 135.b
Pulchritudo humana sine additamento alterius nominis pulchrum vocatur 135.b
Pulchritudo vera est filius Dei 135.b
Pulchritudo aeterna nō frustra diligitur 137.b
Pulchritudo divina nos vocat de coelo 136.b
Pulchritudo vera simplex atque integra undique statim arripi potest 136.b
Pulchritudo divina à nemine eius cupido arripi potest 137.a

Pulchritudo divina tantum vitat peccata 137.a
Pulchritudo summa idem quod Deus 137.b
Pulchritudo Dei filio attribuitur 143.a
Pulchrius utilius 40.a
Pulchros tanquam Deos oramus 11.b
Pulchrum nos excitat et bonū sequimur 5.a
Pulchrum sub ratione boni firmius amore detinet 6.a
Pulchrum inquiratur ab animis nequitia purgatis 2.a
Pulchrum pulchro cognatum 12.a
Pulchrum diffinitur 23.a
Pulchrum per seipsum laudatur 24.a
Pulchrum diversis in rebus 25.a
Pulchrum in corpore non nascitur à magnitudine 26.a
Pulchrum quodcunq; vi naturali urget 35.b
Pulchra actio qua virtuti adiuncta est 36.b
Pulchrum in bonorum numero 39.a
Pulchrum vere unum cui nihil par, nec simile 134.a
Puniri non est deforme sed fieri pœna dignum 35.a
Purpureus color cæteris præstantior 25.a
Pythagoras cur fuit inutilis potentati 2.b
Pythagoras duo principia, bonum et malum posuit 44.a
Pythagoras animas hominum in beluas transire asseruit 58.b
Pythagoras nihil scripsit 143.b
Pythagoras et Plato ægyptios sacerdotes audierunt 144.b
Pythagorei doctrinam suam de animo in animum transmittebant 144.b
Pythia responsum ad Athenienses 83.a

Q

Qualitates contraria elementorum valent ad eorum copulationem 126.a
Quæstionibus credere erroneum 63.b
Qui placet non vera dicit 53.b
Qui ab alijs metuitur nō est expers metus 68.
Qui negat, paucū assequitur 106.b
Qui flagitat multū recipit 106.b
Qui libenter rapit, plurimū ditatur 106
Qui sibi cotidie moriendum putant à vitijs abstinent 122.
Quicquid de Deo dicitur, à iudeis emanavit 145.
Quod factum est fieri potuit 145.
Quod quisque amat, pulchrum ducit 53.
Quod non posueris ne tollas 78.
Quod corpus iuvat animo repugnat 78.
Quod displicet in partibus id in toto placere potest 128.
Quot capita tot sententiæ 56.

R

Rapere scientiam nulla lege prohibetur 106.
Raritas et habendi desiderium voluptatem parit 76.b
Ratio decipi nequit 109.a
Ratio est ars omnium artium 117.b
Ratio sine manibus ethica et habilior 117.b

Ratione praeeunte nullus error 52. a
Recta animi affectio in falsa existimatione 110. a
Rectam lineam unica uia teremus obliquam pluribus 67 a
Rectum modo afferas nō refert unde 22. b
Reges antiquitus sibi assignata diuidebant 4. b
Regiones ab Hispanis inuentae nō minus ambiunt quā Europa 127. a
Regū uerba quamuis blanda inuidiosa sunt 61. a
Res in mundo non pereunt, sed nouantur 41. a
Res in cursu esse debent ut uniuersi pulchritudo appareat 44. b
Res meliori nota sunt in animo artificis quam extra 135. a
Rex gradus ab auctore eleganter descripti 43. a
Rex ditiotione aliqui fortunae attribuunt 68. a
Rex gestax memoria scripto conseruatur 117. a
Reus timens et non timens tormenta mentitur 63. b
Ridiculum nescire nos uigilemus an dormimus 109. a
Risus letitiae testis 116. a
Risus letitiae comes soli homini datus 121. b
Romani ex motu externi hostis, liberi rempub. cū libertate amiserunt 78. b

S

Saliua hominis serpentum faucibus iniecta necat 60. a
Saliua ieiuni hominis uenenū est serpentibus 60. b
Salomon neminem beatus ante ultimum diē asserit 142. a
Saluti quod satis est uoluptati parum 60. a
Sana corpora etiam aegrotant 69. a
Sani nunquā sumus 69. a
Sana mens expauescit quod cōmota cupit 114. a
Sanguinis missio ab Hippocrate indicata 79. b
Sani sunt quorū actio naturae est accomodata 119. b
Sanitas quid 66. a
Sanitas ferrea saxeaque esse apparuit 66. b
Sanitas in quo consistit 119. a
Sanus cur infirmo sanitatē nō afferat 67. b
Sapere contra omnes in malis desipere est 103. b
Sapiens in oratione seipsū ostendit 12. a
Sapiens non re sed conscientia percipitur 70. a
Sapiens ab infoelicitate tutus non est 61. b
Sapiens praeterita contemnit et futura non formidat 71. a
Sapientia seruo contingit 1. a
Sapientia in contemplatione humanarū diuinarū que rerū ponitur 133. a
Sapientia dei splendor uocatur 139. b
Sapientia summa pulchritudo eiusdē naturae et aeternitatis cum deo 135. a
Sapientior magis oblectatur 135. a
Satiatur amor nisi gaudia torqueat 76. b
Saturni aurea aetas qualis 74. a
Saturni Iouisque uirā regni fabula 74. a
Saturni aetate homines uetiti uino utebantur 75. b

Sa

Saturni aetas uita à Ioue instituta in Isoia 77.a
Saturni seculum uirtutibus exercendis locu non dabat 77.a
Satyri fabula igne anglecti uolentis 80.b
Saxa cur creditum est non esse rata 22.b
Scelera colore aliquo inuris excusamus 88.a
Scelerati miseri sunt quia peccant 87.b
Scelerati ministros sciosque sceleris obseruant 88.a
Scelesti in magistratu opera qualia 87.b
Scelus sceleris supplicium est 87.b
Scelus auctori displicere est etiam ultio 88.a
Scenata poetis oratoribusque familiaria 48.a
Schola ad quid inuenta 124.a
Scientes terror, nescientes error beatos esse prohibet 144.a
Scientia ab experientia quantum differat 54.a
Scientia spontaneo animi motu delectamur 100.b
Scio uerbo utitur animus à more 84.b
Scientiarum principia certa 104.b
Scriptores à poetis mercede recipiunt 49.a
Scriptura maximum beneficium manuum 117.a
Scripturae statuarum et imaginum officium clarius exprimunt 49.a
Scythae nisi in motu et inde mouentia sapitabant 151.a
Secundas res quae sequantur 78.b
Sedendo sapientiores euadimus 133.a
Segnum cognoscere magnum donum 29.b
Senectus morbus 69.a
Senex in iuuentute facinorosus consenuit in poetis 9.b
Senex decrepitus annum sperat se uicturum 122.b
Sensibus quae subiacent pulchra dici non possunt 27.
Sensibus nihil esse erroris, detrahunt rationi 109.
Sensibus errorem sensuum deprendimus 109.
Sensibus pluribus ad unius rei cognitionem utimur 109.
Sensibus ministerium datum re indicis 109.
Sensuum error multis exemplis obseruatur 62.a
Sensuum utilitas unius amissione cognoscitur 108.
Sensus in homine quam in alijs animalibus obtusior 7.b
Sensus aliquam habet cognitionem 105.
Sensus meliores iudices eorum quae illis subiacent 108
Sensus non falluntur referentes quod acceperunt 108.
Sensus philosophiam in mente adduxerunt 108.
Sensus rationis satelites in capite tanquam in arce collocati 109.
Sensu experientia nos superant colore et splendore 66.b
Seria iocis condita gratiora 45.b
Sermo tacitus manuum omnibus gentibus latus 117.a
Sermo deterior quo magis procedit 13.
Serpens qui uiuus laedit mortuus prodest 86.a
Serpens uix naturali morte confi... 74.b

Serpens masculus uix sine foemina procedit 79.b
Serpentē ueteres Aesculapio medicinæ Deo sacrarunt 79.b
Serpentis membra plurimum ad medicinā ualent 79.b
Seruitus in amore qualis 71.b
Sibaritæ gallos non alebāt, ne eos cantu à somno excitarentur 77.b
Sibaritæ equos ad fistulā saltare assuefecerāt 77.b
Sibaritæ fabrilem artem propter strepitum non admittebāt in sua ciuitate 77.b
Signa, nouitate offuscāt 1.a
Signa clarissima ignorātiæ humanæ 43.b
Sileni extra tibicinis intra Dei alicuius similitudinē habebāt 37.b
Silentio et solitudine contemplantibus uerendum 140.a
Siluas cur creditū est nō esse mutas 22.b
Similitudo partium et mens Anaxagoræ principium rerum 56.b
Simulacra habere nō prohibetur 17.b
Si necessario trahimur, nullus uirtuti nec laudi locus 94.a
Socius in eade capitali supplicio puniendus 112.a
Socrates sileni similis 37.b
Socrates uenenū sibi propinatū læto animo bibit 66.b
Sol ipse qui mortalibus tacite loquatur 136.a
Solon Atheniensis tyrannidē exorientē multo ante prospexit 101.b
Solon simulans insaniā alios insanire demonstrauit
Somni causa quales 65.a
Somnus à uigilia quibus signis dignoscatur 109.b
Somnus nec se nec uigiliam agnoscit 109.b
Somnus à uigilia tantū ferè differt quātum mors à uita 109.b
Statuā, non hominē intuetur, qui animam non nouit 13.a
Statua à multis ardenter adamata 16.a
Statuæ et imagines scripturæ officiū explent 49.a
Statua iudicium autem sine oculis et manibus apud Thebas Aegypti 97.a
Sterentius Deus sterorationi præpositus 47.b
Striges etiam senectutē incurrunt 69.b
Stoici Cynici et Epicurei ridiculè beatā uitam indicarunt 141.a
Struthio camelus ferrum concoquit 62.a
Studium inueniendi in ueteribus laudabile 104.a
Stulti à callido ingenio uerbis capi possunt 105.b
Stulticia non est seuerosa, sed tumefacia 96.a
Stulticia principum uincens 96.b
Stultus etiam rem factā intelligit 6.b
Sua quæque membra animalia docent 82.b
Suauitas huiusmodi fastidium 76.b
Sūma pulchritudo sapientia eiusdem naturæ, et æternitatis cum Deo 135.b
Summum malum non inuenitur, quia excluderet omne bonum 125.a
Sup

Supplicia virtutum seges atque materia 67.a
Suam non esse in anteriori parte queruntur aliqui 115.b
Sybaritæ multarum voluptatum inventores 77.b
Sybaritæ voluptuosam vitam ducebant 77.a
Sybaritis maribus et foeminis omnia pro libidine agere licebat 77.a
Sybaritica mensa venerunt in proverbium 77.a

T

Tales milesius sapientiam tempori ascripsit 107.b
Taletes voluit aquam esse rerum principium 58.b
Taletes voluit orbem terrarum aqua sustentari atque ideo tremere 58.b
Tauri sanguis epotus hominem interimit 52.b
Tellus hominis cur non omnia servat 76.a
Temalhista etiam trinitatem habere 143.b
Telum occidendi hominis causa habere, capitale supplicium irrogabat 112.a
Temperantia philosophis quid valeat 141.a
Tempestates uno modo custodiri potest: transgredi clavibus 67.a
Tempus si consisteret, non esset tempus 44.a
Tempus aeternitatem imitatur 44.a
Tempus sapientissimum 107.b
Teramenes venenum sibi datum hilari vultu bibit 0.b
Terminum mortis qui nesciret interim voluptatibus indulgeret. 66.b
Terra ad universam relata punctus est indivisibilis 122.b
Terra exalans vapore alimentum praebet sidereis ignibus 41.a
Terra ab omni parte deorsum est, coelum sursum 105.b
Terra in medio universi 105.b
Terra æquali pondere librata immobilis 105.b
Terram qui possideret, coelum appeteret 58.
Terra describitur 127.b
Terram esse globosam sensu non percipitur 105.b
Terra mensura coeli quoque mensurationem indicavit 105.a
Terremotus causa qualis 58.b
Themistocles Atheniensium numero perfecit, prohibentibus lacedemoniis 110.a
Themistocles non capiebat somnum, invidens Miltiadis victorijs 114.a
Theseus puniendis sceleratis clarus 35.a
Thesaurus carbones fuerunt 73.b
Tiberius Imperator ligni amore captus 17.
Thucidides in exilium actus ad historiam scribendam se contulit 122.c
Timendum in toto vitæ cursu 66.b
Timendum priusquam ingrediamur pericula 81.a
Timidis animalibus arma negata 32.c
Timotheus Atheniensis de nimia felicitate criminabatur 77.b
Timotheus armorum et literarum studio clarus 130.b
Tiranni carnifices sunt divinæ iustitiæ 31.b
Terminorum vita qualis 67.

Tormenta corporis animum adulnerant 66.b
Triginta res pulchrae mulieri inesse debent 17.b
Troglodita venenatis serpentibus vescuntur 80.a
Troiani Helenam sibi restituentes, pulchritudini palmam super omnia reliquerunt 11.a
Turpe est quod iustam magnitudinem excedit 26.a
Turpe nihil praeter peccatum 124.a
Turpis sui iactantia 37.b
Tyrrheni in Italia delitijs famosi 77.b

V

Vacuum nihil in mundo 103.a
Valere constanter animo et corpore paucissimis datum 67.a
Valitudo perfecta cogitatione tantum percipitur 79.a
Vastum pelagus res et angusta cognitio 109.a
Vates furentibus animis venturam cecinerunt 114.a
Vecores videt in sua vecordia 90.a
Vel humano generi si vietus sine labore veniret 76.b
Velis quod possis miserum consilium 76.b
Velle alterius nollo, nolle nolo 76.b
Venator tenebrosum locum emptor lucidum petit 24.a
Venere absente, nil iocundum 6.b
Veneris mensa communis 6.b
Venidij stratagema adversus parthos 110.b
Venus crinitis formosis mulieribus gratior 17.a
Vera fratribus suadentur 104.a
Verba si emerentur, parcius loqueremur 109.b
Verbi Dei ad solem comparatio 140.a
Verborum mutatio quid efficiat 37.a
Verbum incorporeum nihil aliud nisi quam cogitatio 135.b
Veritas natura odiosa 1.a
Veritas sero reperitur 1.a
Veritas sacrum domum immortalis Dei 1.a
Veritas in iudicio veritatis adhibenda 1.b
Veritas iocunda, qua homines in amore errare non permittit 2.b
Veritate cognita, nihil obest alia ignorasse 2.b
Veritas in rebus incorporibus habitat 2.a
Veritas more seniusti torvis exagitata splendescit 25.a
Veritas si cum falsitate contendat, certior apparet 103.a
Veritas temporis filia 103.b
Veritas nuda aperta, sed contrarijs reiectis gratissima 103.a
Veritas nuda clarius apparet quam verbis lenocinijs contexta 105.b
Veritas verbationibus signisque cognoscitur 112.a
Veritas a quocunque dicatur recipienda 144.b
Veritatem Deus iure abdidit 1.b
Veritas laus 1.b
Veritatem dies aperit 103.b
Veritatem cum falsitate pugnantem videant iudices 103.a

Veri:

Veri similitudine decipimur 62. b
Veri et falsi vicinitas ambiguitate parit 57. a
Veri aliquid inuenisse dubio 102. b
Vero consentiunt omnia 124. b
Veteres philosophi quid iunioribus voluerunt 103. b
Vetis sua non subiacere necessitatis sunt capacia 14. a
Vico nec cum virtute nec cum vitio conuenit 91. b
Vigilia sui et somni iudex 109. b
Vigilia a somno quibus signis dignoscatur 109. b
Vilia qua habentur, quanta praestant admirationem 47. a
Vinculum omnibus connectendis datum 42. b
Vir bonus omnia sibi pro lucro habet 67. a
Vir bonus exilium non nouit 57. a
Viri boni patria mundus et coelum 97. a
Vir bonus non celabit emptores vitium rei 95. b
Virgilius de iusti nece Deos arguit 51. b
Virgilius seculum Iouis Saturni praefert 70. b
Viri fortis est dura atque aspera adire 112. b
Viri praestantes similitudine non culpantur 106. b
Virtus in formoso corpore gratior 17. a
Virtus in actione consistit 30. b
Virtus a voluntario animorum motu proudit 66. a
Virtus sine aduersario marcet 9. a
Virtus in agendo consistit 86. b
Virtus vita gratiosior 95. b
Virtus clarnit, quam ei Epicurus voluptatem opposuit 103. a
Virtute ammota, nulla actio laudabilis 39. b
Virtutem unam qui habet, omnes habet 36. b
Virtutes sunt animae forma 30. a
Virtutes a quibusdam animalia esse credebantur 79. a
Virtutes a vitiis latissimo distant limite 112. b
Virtutes qui inuenit, Dei vestigium reperisse credunt 126. a
Virtutes omnium quae in mundo sunt, pulcherrimae 134. a
Virtutis materia difficilis 77. a
Virtutis campus iniuria 77. a
Virtutum vitiorumque affinitas exemplis ostenditur 64. b
Virtutum dignitas propter vitiorum turpitudinem aboleri non debet 114. b
Visus et auditu duo ianua animae 27.
Vita a Ioue instituta melior omnibus 76.
Vita humana ad incertos fortunae exitus exposita 81.
Vita est linea recta, quae flecti non potest 64.
Vita infoelix mortem foelicem esse indicat 64
Vita finem ignorantes nobis carnos vomittimus 122
Vita gaudiis fruimur, quia incertus est dies mortis 12
Vitae finis cognitus nos anxios haberet 12
Vitam execrari imprudentis est 12
Viuamus ita ne vixisse pudeat 64
Vitam agentes humanam Deum videre non possunt 146

Vivendi spatium fato circumscriptū 68. b
Vivat bonor oportet si beate vivendū est 131. b
Vlixes sua eloquentia Aiacē in armorū iudicio superavit 57. b
Vltimum vitæ diem lætera conducit mortalibus 122 b
Vltra oceanum alia terra animalibus divitijsq quā nostra copiosior 127 b
Vnicum principium rerū Christianis ponitur 68 a
Vniversi idea mundus nobilior dicitur 131 a
Vnus non corrumpendus, ut alter proficiat 97 b
Vnusquisque in pellem suā se contrahat 118 a
Voce propria delectantur urbani homines 4. a
Volentē fata ducunt 53. b
Voluntas non debet esse otiosa 5. a
Voluntas voluntatū nostrarū dña est 29. b
Voluntas diuina est rerū necessitas 125. b
Voluntati diuinæ standum 73. a
Voluntatis nostræ motus ad nos refertur 124 a
Voluptas est qua sensus iucunde movetur 6. b
Volūptas nūquam expugnatur 66. a
Voluptas tuta minus grata 70. b
Voluptas non satis diues nisi ex indigētia nascitur 135 a
Voluptates corporis tantum poenitentiā relinquunt 7. b
Voluptates leves, et momentaneæ 50. a
Vomere et canes vindicarunt 79. b
Vita irrita et spes nunquā implendas somnia sunt vigilantium 75. b
Vrbani homines propria delectantur voce 4 a
Vtile in consilijs honesto præfertur 52 b
Vtile plures habet illecebras quā honestum 55. a
Vtile nosse omnia esse utilia demonstratur
Vtilitati fructus in promptū est 59 a
Vulcano imperatū ut Cardines Cœli fabricaret 74. b

X

Xenophanes volebat concavum una habitari 58. b
Xenophanes mentiri volens, mendaciū dixit. 58. b

Z

Zelotipia nihil miserius 7. b
Zelotipia describitur 7. b
Zeno amissa navi, fortunæ gratias egit quæ illum ad philosophum impellebat 67. a
Zeusis pingere volens Iunonē pulcherrimā à pulcherrimis puellis formā est mutuatus 129. b

Finis

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PVLCHRO LIBER PRIMVS.

NON Sum neſcius multis mortalibus mirum videri,
quòd ſummus rerum Opifex, quem Deum vocamus,
veritatem ipſam adeo latere voluerit, vt non ſtatim, ſed
non niſi poſt multas conflictationes collationéſq; argu
mentorum, nec ab omnibus, ſed niſi a paucis doctis &
eruditis, nec ab initio vitæ, ſed niſi ſerò reperiatū. Nam
ab incunabulis ipſis, dum lac bibimus nutricum, non
modò ratione, quæ vna maximè quid verum ſit inqui
rit, ſed ne ſenſibus quidem ita vtimur, vt nos illis vti agnoſcamus. Deinde
vbi parentibus redditi ſumus, & magiſtris tradimur, modicum quid puerili
in ætate cernimus, nec ſponte ducimur, ſed ab his, quibus curæ ſumus, impel-
limur, vt doctrinis liberalibus animū excolamus. At vbi adoleuimus, iámq;
iugum magiſtrorum excuſſimus virili robore membra induentes, tum in va-
rios multiplicéſq; incidimus errores, vt niſi aliqua cœleſtis numinis cura men
tem direxerit, reliquo omni vitæ ſpatio pręcipites eamus. Nam ſenſus ipſi ſua
uiter blandiuntur, & ad corporis voluptatem impellūt, & fallaci ſpecie cuiuſ-
dam naturalis boni innata nobis virtutis ſemina extinguere moliūtur. Tum
verò popularis opinio nō parum corrumpit, quæ honores, imperia, magiſtra
tus, diuitias, & fluxam famæ auram, veluti magna quędā, proponit: hac com-
moti omnia cōmouemus, vt plurima vel aliqua eorꝝ adipiſcamur. Et quanta
tunc circunfuſi caligine oberramus, luce ipſius veritatis minimè perſpectaū?
Quòd ſi diſſimillimis viuimus moribus, non ideo tamē fit, quin ſimili errore
a vero recedamus. Paucitatem autem eorꝝ licet cernere, qui aliquando reſipi-
ſcant, quorꝝ tamen ferè nemo niſi ætatis progreſſu rectam capeſſit: vt moleſtè
ferendū videatur, in tam volucri tempore, tam tardè ſapientiam contingere.
Accedit qđ in rebus ipſis nonnulla eſt obſcuritas, & ſigna quædam ita com-
munia ſunt vero cum falſo, vt internoſci vix queant: qđ cōmouit philoſophos
eruditiſſimos, vt defenderēt aſſiduis diſputationibus nihil hominē percipere,
nihil certi tenere poſſe: adeo illis veritas vel obruta latere, vel confuſa nō emi
nere viſa eſt. Nec illa etiam leuis plaga, qđ pauci quidā, qui ſummo ſtudio,
ac labore verum inuenerant, tamen veluti nō inuenientes idoneos auditores,
illud literis cōmittere neglexerunt, pręclarè euenturū putauerūt, ſi obliuione
inducta theſauros erutos iterū defodiſſent. Sed vix eſt, vt errans ſe redargui
ęquo animo patiatur, idq; naturæ aſcribitur, quę veritatē odioſam, mendaciū
blandū effinxit: hinc fit ſępius, vt ſi boni eſſe volumus, pœnā: ſi mali, præmiū
expectemus. Hæc autē omnia eò indigniora videntur, quia nihil homines ſibi
maius parare poſſūt aut ſanctius veritate, nec Deus ipſe immortalis mortali
bus cōcedere. Iſtorꝝ hęc obiicientiū rationibus, & ſi alio loco his libris reſpon
ſum ſit, nihil tamē prohibet nunc paucis occurrere, vt reuocantes eos a deſpe
ratione veritatis aſſequendę, non horreant diſciplinas attingere. Quāuis enim
quæ obiiciuntur, poſſint prima animi inductione quemlibet cōmouere, & in

a admirationē

admirationem pertrahere: veruntamen ſi altius inſpicere voluerimus, & in ipſo iudicio veritatis ipſam adhibere veritatem, quæ reliqua omnia hæc iudicat, a nemine ipſa prę terꝙ a ſe iudicanda, inueniemus naturam rerũ omnium parentem, vt in cæteris, ita & in hoc humano generi conſuluiſſe, & rite cuncta diſpoſuiſſe. Nam quum aurum & argentũ venis montium abdiderit, gemmas ſecretis pelagi profundis crediderit, quæ ornamenta ſunt tenuia cadentis huius vitæ, quid veritati fieri oportebat, quæ vitam ipſam regeret ac bearet? Vt enim ſe habet mortaliũ conditio, veritas ſi ſubitò ſe oſtẽderet, haud magni fieret: quæ nunc dulciſſima eſt multo eruta labore. Quis inde torpor humana pectora occuparet, ſi rerum cauſę in aperto & palam ſpectarentur? nunc excitamentum manet ingeniorum, nunc liberalium artium ſtudia quærũtur aduerſus mentis caliginem, multáꝗ prę lia cum ſenſibus rationi: illud etiam fallax multitudinis iudicium fortiter debellandum. O ſumma animorũ illuminatrix veritas (te enim præſentem credimus) O perſpicuum humanæ vitę decus, quis ſui compos te non diligat, & ſequatur? præſertim quũ perſpexerit vim tuam maximam atꝗ indelebilem. Tu mundũ, & quæ ille complectitur omnia, genuiſti, nec p̄ſentibus modò, ſed præteritis, & venturis ſtatũ tribuis: ſi quidẽ a te id habent, qd' verè ſunt, nec ceſſantibus illis deſinis, quin occidentibus oĩbus ſuperſtes ſola fueris, oſtẽdens illa omnia verè fuiſſe, & occidiſſe. Nec ſi moleſtè ferũt quidã vocẽ tuam, id tibi probro, ſed illis fuerit, quorꝫ corruptis mentibus diſplices: pro te enim ſupplicia ferre & occũbere glorioſum. Quòd ſi qui ſunt, qui ad aliqd' tempus mẽtiri dicunt oportere, qua in ſententia nonnullos video olim ingenioſos homines extitiſſe, ij tamen ad tuũ confugiunt patrocinium: nam doctrinam, quam de mendacio tradunt nobis, eam non mendacẽ, ſed veram cupiunt exiſtimari: quanꝗ maximè admiror, ſi mendacio, cui tota aduerſaris, fauere potes. Sed hinc perſpici poteſt quantę venerationi eſſe debeas piis & religioſis hominibus, qui nullum vnꝗ tempus incidere putant, quo non omni ratione quibuſcunꝗ rebus anteferaris, quum illi ipſi mendacii defenſores in eo ipſo, quòd prædicant mentiendum, tibi honorem habere, & tuum ſuſpicere numen cogantur. Sed ne ex eorũ quidem numero, qui mentis vitio importunè mentiuntur, vix inuenietur vnus, qui ſibi ipſi alium mentiri velit, idꝗ oſtendit, ne mendacibus quidẽ hominibus mendacium per ſe gratum, ſed illud, quod de mendacio ſperant ſibi fore: nam ſi mendacium probarent, illud quoꝗ ſibi dici affectarent. Ineptè autem quicunꝗ impercepta & imcomprehenſa eſſe omnia clamitant, quum perſpicua ſint plurima, quæ negare non poſſunt, niſi & mentis & corporis oculos ſtudioſe ſibi effoderunt. Nam vt omittã innumerabilia, Solis, & Lunæ diſpares curſus, & meatus ſiderum cogniti, & a Muſicis ſonorum interualla, & eorundem coniunctio, & ab Agricolis natura terrarꝫ, necnon numerandi metiendiꝗ rationes a peritis diligenter perſpectæ. At mundanis in rebus diſcerpta alia, alia confuſa ſunt: nemo negat: ſed potens eſt ratio, quæ ſedet in homine, & hæc ſecernere, & illa colligere, vt tandem purgatę partes diſtinguantur, & inter ſe copulatæ ad vnum genus redigantur. Attamen ſenſuum (inquiunt) ſemitæ, per quas gradiendum rationi, anguſtæ: quod meritò irriſum eſt, quaſi rhedas, & quadrigas aſcendere rationẽ oporteat ad comprehenſionẽ veri: alia

quædam

quædam impedimento ſunt, quominus veritas maioribus in rebus ſequaci aſſenſu teneatur, ſed præcipue duo. Primum vbi nō ſatis purgatus eſt animus ſorde terrenarũ cupiditatum, nō ante idoneus maiorem veritatis aduentantis fulgorem infirmo & turbato oculo ferre, hinc ſuis tenebris perpetuò delectatur. Alterum eſt, quòd nimia familiaritate & aſſuetudine corporũ incorporeũ aliquid nō credimus, & ſæpe neſcimus: at ſcire oportebat, quòd natura in corporibus veri tantum eſt imitatrix, quum ipſum verum in rebus incorporeis maneret, neceſſe eſt autem in vero omnia eſſe melioris notę, deterioris in ſimulato. Ecce linea in tabula, vel puluere ſtylo ducatur, hęc quãuis ſit tenuiſſima, tamen, quia corpus eſt, non ſolum in longum porrigitur, ſed & lato diffunditur, & eminet profundo: illa autem vera linea, quam animus nouit, & ad cuius ſimilitudinem hæc ducitur, ſolam habet longitudinem, nullam nec latitudinem, nec profunditatem. Punctum indiuidua eſſe dicitur nota, in medio rotundæ figuræ: qui oculi punctum tale vnquam viderunt, quod diuidi nequeat? hac in re caligant ſenſus & deficiunt: ſed nec minus cogitatio tale quicquam ſibi poteſt fingere, ſola autem ratio quale ſit agnoſcit. Ex hoc ſatis colligitur nobiliora multò eſſe incorporea, in quibus veritas planè habitat: deteriora autem eſſe corporea, quæ effigiem ab illis ſumunt. Hæc quum ita ſint, admonendi videntur quicunque in hæc ſcripta inciderint, poſtquam fatendũ eſt naturam ab hominibus veritatem neutiquam abſtuliſſe, ſed inquiſitione adhibita inuentum iri voluiſſe, qua ratione effectum eſt, ut plura antea indagata fuerint, & in poſterorum notitiam perducta, ſic pariter putent pulchritudinem, de qua nunc agitur, inueniri poſſe, modò cura, ſtudium, diligentiáque adhibeatur. Ante omnia verò opus eſt, ut diuitiarum, honorum, mulierum, & ſimilium nugarum, quas pulchras putãt, amorem exuant: nam niſi malis cupiditatibus purgatus fuerit animus, non poteſt magnum aliquid & ſublime videre: deinde, vt pulchritudinẽ ſua natura, quæ incorporea eſt, metiantur, a corporibus quantum licet recedentes, quæ pulchritudinem aliunde acceptam reddunt. Sic duo illa, quæ modò diximus veri inueſtigationem impedire, ſublata erunt, hæc quoque nos his libris præſtitimus, dum mulierum amorem, qui vehementior ſolet eſſe cæteris, vituperauimus, & ab eo animos hominum abducimus, & diſputationem hanc omnem de pulchro ad ſpecies incorporeas retulimus. His rite peractis demum veniendũ eſt eò vt quæratur, quid ſit vnum illud, quod cunctis rebus pulchritudinem infuderit, quo inuento ſummã eſſe illam pulchritudinem nemo negabit. Quemadmodũ enim ſi de calore diſputatio incumberet, illud in inquiſitione præcipuè verti deberet, quæ origo ſit & cauſa caloris, & quum diceretur eſſe ignis, colligerem tunc ignem maximo calore teneri, propter quem cætera calerent. Sic quærentes de pulchro ad fontem, & ſeminarium reliquarum pulchritudinum progredi oportuit, nec dubitare fulgentiſſimam illam eſſe pulchritudinem, quæ cętera pulchra efficeret & præſtaret: hanc inuentam (quantam licet homini diſſerendo inuenire) modeſtè vidimus & contemplati ſumus. Equidem initio operis illud affirmare poſſum, non quò beneuolos mihi homines & attentos reddam oratorum more, quaſi verear ne ab auditorum corona deſerar, ſed quod res habet, ſeu quid ipſe exiſtimem dicendum eſt.

quũ multa vera ſint cognitione digniſſima, ego hanc ſcientiam reliquis omnibus antepono, quæ oſtẽdit, quæ ſit vera pulchritudo, & quid in rebus ſummè pulcherrimũ. Amamus enim neceſſariò omnes, & quamuis non eadem amemus, idem tamẽ in amore ſequimur: nemo eſt enim, qui deformitatẽ iure non oderit, & ſe ad amandum duci pulchritudine nõ fateatur. veruntamen multi opinione decepti pro ſolida & vera pulchritudine nudam quãdam effigiem, & inanem vmbrã ſectantur. Quæ igitur magis neceſſaria, aut auditu iucundior veritas, quàm quæ hominum amores aberrare non permittit? quę oſtendit quò conſilia, cogitationes, volũtates noſtras referre oporteat? hæc veritas tãtam habet vim vtranq; in partem, vt ſi affuerit, nihil obſit reliqua ignoraſſe: ſin abſuerit, nihil proſit reliqua cognouiſſe. At in occulto latet: Ideo excitãdæ vires ingenii fuerunt, ideo cuncta prudenti ratione diſquirere oportuit, vt aliquando comprehenderetur. Sed quoniam ſermo, quem in cœtu habui amicorum, diffuſius iſta complectitur, decreui multorum vtilitati inſeruiens, illũ in literas mittere, nihil omnino celans, aut de induſtria proferens obſcurè: nec deterritus eorum iudicio, qui nihil ſcribendum putabant abditiſſimis de rebus, ne ſi ineptum & inſipiens vulgus in talia ſcripta perueniret, irrideret, & contemneret ſumma veneratione dignam veritatem; nos enim Latino ſermone ſcribimus, qui a vulgi notitia iam dudum ſeiunctus eſt: deinde ante nos alii quidam iiſdem de rebus literas confecerant, ut ſi qua culpa ſuſcepta ſit, illam in auctores refundamus. Tantum intereſt, quòd quæ apud illos inconditè & confuſè nulla dicendi copia, nullo orationis flore tradebantur, nos ea diſtinctè, & ornatè ꝓnuntiauimus, ſicuti ſuſceptę cauſæ dignitas poſtulare viſa eſt. Mouet etiam me id, nam quũ Euangelio per terras omnes immiſſo maximæ veritatis myſteria Chriſtiano populo cognita ſint, quid periculi eſt, ſi hæc etiã innoteſcant, quæ contemnere non poſſunt homines, niſi prius illa reiecerint? Ego tandem is ſum, qui malim veritatem inuentam impromiſcuè edi, quàm ita celari, ut pereat nullo veſtigio eius relicto: hoc enim maximum damnum, illud leue ſit: qua ratione Pythagoram, pythagoricóſq; omnes inutiles fuiſſe poſteritati creditum eſt, qui omnia ſua celabant. Et quoniam illata eſt modò mentio latinè nos ſcribere, ne illud quidem omittendum videtur, non poſſe induſtriam hanc noſtram culpari propterea, quòd reiecto vulgari Italorum ſermone ſuperiorum ſæculorum lingua vtimur, tanq; mortuis ſcribamus potius, quàm viuentibus, hoc enim ſæpius multis obiectũ eſt. Ego verò ſi lingua vterer incognita, verè tũc mortuis ſcribere mihi viderer, omnes enim mortui eſſent ſcriptis meis, qui ea legere & intelligere non valerent: ſed linguam latinam notiſſimã eſſe quis non nouit, non in Italia modò, ſed reliquis Europæ partibus? huic enim linguę maximè ſtudet, eáq; cauſa vnicuiq; eſt ab initio ætatis literas attingẽdi, ut latina norint: hac iura, leges, ſacra, cerimonię, religio, mos maiorũ continentur, hac grauiſſimæ quæq; diſciplinæ tractantur, hęc nutrix eſt & altrix eruditorũ, hęc omnis ſapientiæ magiſtra. Itaq; ſi lingua quæritur vulgaris, hæc vulgaris eſt ſtudioſorũ omnium, exteras etiam terras incolentium: ſed eadem ad exprimendos quoq; ſenſus videbatur locupletior, & ſono grandior, & ornatu comptior. Itaq; nihil mirum ſi hanc potius ſecuti ſumus, præſertim quum omnia ferè his libris exarata de latinis ſumpſiſſem

auctoribus, & eorum teſtimonio multis magniſque in rebus nitendum mihi viderem. Sed addunt quidam latinam linguam libris etiam ſuperfluere, & vetere præcepto in ſyluam ne ligna feras: quod ego, qui latinæ linguæ ſplendori faueo, dici non moleſtè fero: eſt enim illuſtris prædicatio Latium copia librorum abundare. Veruntamen, ſi quod ſentio dicendum eſt, quam iſti dicant librorum copiam non intelligo: mihi nanque videtur bonorum librorum apud latinos anguſta eſſe & curta ſupellex, & in ea conſenſu omnium longè græcia inferiores ſumus: quòd ſi etiam eſſet copioſa, tamen nullam ingenioſe ſcriptorum copiam nimiam arbitrabar. Sed iam his omiſſis ad diſputationem veniamus, quæ quemadmodum inſtituta fuerit, paulò altius repetam. NAM ſuperioribus annis cum Franciſci Galliæ Regis duces magnis copiis in ſubalpinam regionem irrupiſſent, & eam in poteſtatem redigere vellent: Carolus verò Auguſtus tum per ſe, tum per ſuos contraria regis conatibus arma inferret, nec auctoritate Pontificis a peſtifera contentione diſcederent, nec vllis conditionibus rem componi paterentur: eo in bello teterè multa fœdéque vtrinque fiebant, vrbis noſtræ in finitimo poſitæ opes paſſim exhauriebantur, cuncta bellico tumultu complebantur, ſola animi, & ingenij bona in direptione rerum omnium neglectui erant: ſtudium verò iuris, cui dediti fueramus, iuxta inclitum oratorem iacebat: non enim iudiciis & actionibus, ſed ferro & manu res repetebantur: non iuriſconſultus bonus quęrebatur, ſed horridus miles amabatur: non gallorũ cantus, ſed buccinarũ clangor ſomnos excutiebat. Hæc quũ eſſent, ego in caſtellum quoddã vrbi proximũ me contuleram, & humanarũ artium ſtudia a puero mihi olim culta & in negotiis poſtmodũ omnino non intermiſſa tunc acrius reuocaui: videbar enim meo iure intemperãter quoque poſſe in literis verſari, vt & ſolatium & maiorẽ etiã excuſationem huius ſeceſſus haberem. Poſtquam æſtate iam media Carolus in finitimam prouinciam Gallo parentem bellum tranſtuliſſet, quieſſetque parũper illud malum, vultu pacis agris reddito, illuc vna die familiares quidã & noti, & in his adoleſcentuli complures finitimis de locis confluxerunt, viſendi mei gratia: ad quorum aduentum quum lætatus eſſem, veluti oblato lucro mirificè & tanquam feſto die abacos argento ſamio oneraſſem, vbérque pecus, & lac, & poma in epulas propoſuiſſem, & de vetere dolio infudiſſem, placuit ſumpto iam prandio in agrum deſcendere, qui proximus caſtello imminebat: inde itinere mille ferè paſſuum confecto ad hortos peruenimus, quos e noſtratibus paterfamilias locuples nobili atque fœlici ortus genere ingenti ſumptu inſtruxerat, atque exędificauerat: Illò introgreſſi viſus eſt ſupra priuati hominis fortunam locus ipſe conſurgere: quis enim flores, herbarum genera, arbuſculas ſuauiter halantes, ligna pomifera, vmbroſos truncos, irrigua prata, topiaria opera, porticus, ſtagna piſculenta, auiaria, & reliqua multa ordine & ornatu miro poſita paucis queat enarrare, & pro meritis celebrare? Ab aquilone locus ipſe non muro, ſed colle edito admodum, & prærupto cingitur: ad cuius radices ſylua extulit ſe proceriſſimarum arborum. Reliquis peragratis huc deflexìmus opportunè, grauior enim æſtus vrgebat, & denſiſſimarũ frondium vmbracula feruidos ſolis ictus depellentia opacitatem iucundam præſtabant. Auxit voluptatem fons, qui non longè ſonabat euomens argenteas

vndas, qui mox tenui riuo dilapſus virentia inter gramina fugiebat. Vbi autem propius acceſſimus, ſtatua quædam e marmore in muliebrem habitum formata ſaxo imminens videbatur fonticulum illum medio ex vtero fundere. Supra eam ſub tecto & cupidinem geminum vidimus ſpicula dirigentes aurata, & puerum legentem plenis de vitibus vindemiam, & ſatyrum admirantem tum primũ repertas tibias, lacrymabundam præterea matronam, & vinoſam anum, & nudam meretricem gaudio effuſam, & nouam nuptam pudore ſuffuſam. Inter hæc molliſſima e marmore ſigna penè ſpirantia, vnum vetus ligneum non minus affabrè expolitum, Mercurij credidi, propter talaria & virgam. Hic, vt fieri ſolet inter homines ocio affluentes, certari cœptum de ſignorum pulchritudine, & alio aliud præferente: Tum ego Dionyſium cõſanguineum meum, maximę ſpei iuuenem, literis deditum, & muſices præcipue ſtudioſum compellans, Num de horum (inquam) ſignorum pulchritudine ò Dionyſi idem tibi videtur, quod mihi? Sciam iam (inquit) vbi iudicium audiuero tuum. Vides (inquam) inter has ſtatuas muliebres nudam illam gaudentis habitu formatam? hæc excellit (vt mihi videtur) pulchritudine: nã & ſi in talibus non ſum admodum intelligens, id tamen ſignũ optimè mihi videor intelligere: eſt enim nudum & apertum vndiq; & omnes laudes humani corporis oſtentat acrius, venis, capillo, muſculis, cunctis deniq; artubus diligenter expreſſis, ſic Venerem Gnidiam Praxitelis manu formatam, veſte polita, ingens fama concurſuſq; in Gnidum populorum celebrauit. Alteram autem, quam idem artifex effinxit velata ſpecie, Chiis pari pretio emptam, cõſtat minoris nobilitatis extitiſſe. Sed quod ſatyricus poëta facit captatorem mittẽtem orbo locupleti nuda & candida ſigna, iſtud quoq; oſtendit nuditatem æquè ac candorem in ſignis placuiſſe: ergo hæc, quæ nihil nos ſui celat, præferatur cæteris mea ſententia, primum oculorum iudicio, ita enim illi iudicant, deinde ratione, ſi in talibus exquirenda eſt ratio: nam, vt eſt apud Plautum,

Pulchra mulier nuda erit, quàm purpurata, pulchrior.

Nec amor ꝓhibet quĩn ita videatur, ſed id videri magis facit: quia, vt ait idem,

Non veſtem amatores mulieris amant, ſed veſtis fartum.

Sed me hoc etiam in iſta delectat, quòd non muta, vt cæteræ, ſed etiam eſt loquax: habet enim ſola in baſi inciſos verſiculos: an non vides? Etiam. Num quid cauſæ eſt, quin legamus? Nihil. Tum lectũ eſt epigrãma huiuſmodi.

Gaudeo pulchra nimis quia ſum: ſi me ipſe Cupido
Inſpiciat (nam nunc lumina clauſa gerit)
Non alios vrat flammis, non vulneret arcu,
Sed ſuamet figat viſcera, ſic vt amet.

Perſpicis (inquam) hanc ſtatuam non vulgari more, ſed eleganter loquutam, atq; adeo omnia numero verſuq; pronuntiauiſſe? Perſpicio (inquit) nec me illud latet, quod ais eleganter loquutam: nam idem quoq; iudico. Nõ arbitror, (inquam) laudari in iſtis literis earum figuram, ſicut modo in ſtatuis fecimus, nam hoc non multum ad nos, quòd rectè fuerint inſculptæ: illud magis attenditur qualis ſit ipſarum contextio, & quid per eas ſignificetur. Non inficias ierim non eſſe laudabiles has literas: ſed inepti eſſet laudare ipſarũ literarum corpora, cum adſint alia meliora. Ergo laudabit hic alius acumen ſententiæ,

alius

alius dignitatem metri, alius vtrunq;, ego vero contemplor aliud quoddam ad philoſophiã pertinens, quod, quale ſit, paucis explicabo. Nam ſępius quęſiui mecum, vnde amor in nobis procreetur: multa enim veniebant in mentem, virtus, diuitiæ, voluptas: neſciebam de quo fonte amor flueret: nunc indicat epigrãma amorem excitari pulchritudine. Manifeſtè (inquit Dionyſius) hi verſus amorem indicant de pulchritudine effloreſcere, quod ita fore ego credo, rationémq; poſcenti cuilibet reddere ſum paratus. Hęc quum dicta eſſent, viderémq; animos hominum ad audiendum conuerſos, hoſpites meos his fere verbis alloquor. Nemo mihi hoſpites hoc tẽpore his locis decedere ſuaderet: agri enim nunc ipſo ſole torreri incipiunt: hic arborum lætiſſimæ comæ, hic iucundiſſimum fontis murmur, hic vndiq; virentia ſola floribus intertexta, ex quibus incredibilis etiam odorum ſuauitas afflatur: itaq; ſi me audieritis, hic recubantes, donec ſe calor veſpertinis horis fregerit, diem hunc colloquentes ſuauiſſimè tranſigemus. Hęc etiam vna erit ratio, & æſtum, & ſomnum meridianum fallere: ſumus etenim inter nos beniuolentia & familiaritate coniuncti. Inſuper vos video omnes a prima ætate ingenuis artibus inſtitiſſe, & in his elaboraſſe: qui fieri igitur poteſt, vt iucundus non ſit ſermo inter amicos eadem ſtudia colentes? mihi perſuadeo illum etiam fore vtilem ea tractantibus, quæ nos aliquando literę docuerunt. Equidem ſi agreſtiũ vos & rudium hominum loco haberem, conduxiſſem huc fiſtulatores & tibicines non paucos, quibus obſtrepentibus ſaltare potuiſſetis, & choreas ducere: nec dubitaſſem mulieres vnà ſaltatrices finitimis de locis conuocare. Sed noueram hæc vobis minimè cordi eſſe, quoniam vrbani homines non alienam ſequuntur fiſtularum vocem, ſed propria oblectantur: ſermones igitur inter ſe miſcent, inutiles tamen & nullo fructu, ſi indoctus eſt cætus, & a muſarum conſortio alienus. Proponuntur enim tortuoſa ęnigmata, quæ, & ſi quis neſciat diſſoluere, nihilo tamen magis ineptior fuerit & imperitior. Ludos ſibi etiam alios fingunt verborum, veluti dum iubetur vniſquiſq; e cætu dicere, quod ſibi maximè adeſſe cuperet, etiam ſi id minimè eſſet e natura. Hic alij humeris ſuis pennas aptant volucres, vt per aëra librato corpore multa terrarum mariſq; ſpatia breui percurrant, admirationiq; ſint infra ſpectantibus populis, a quibus deorum more colantur. Alij lapidibus quibuſdam manu retentis inſpectabiles ſe reddunt, vt poſſint vidente nullo de nummulariorum menſis auferre argentum. Alij exercitus inſtruunt, aduerſus hoſtes contendunt, & infinitas ſibi parantes victorias, tandem omnium gentium & populorum dominos ſe conſtituunt. Iucũdus forſitan ſermo, ſed non magis vtilis, quàm ſi illa ſomniaſſent: neq; illi tunc de vtilitatibus ſuis cogitant, id tantùm agunt, vt cum aliqua oblectatione tempus exhauriant. Nonnulli etiam feſtiuius, qui inconditam verborum quorundam ſeriem in medium deducunt, quæ quicunq; e corona neſcit ordine proferre, huic atro carbone frons atq; os notatur, hinc vbi in orbem ſępius circunductus eſt ſermo, videre eſt obliuioſos ęthiopis vel nigri dæmonis vultum gerentes, cum ſummo omnium riſu: quandoq; peccantibus grauior iniungitur pœna, nam pignora auferuntur, quæ deinceps redimunt epulo ſocijs præbito. Hæc fieri nemo veſtrum ignorat, ſed inter indoctos, vt dixi; Minime autẽ par eſt nos, qui literis imbuti ſumus, & diſciplinis

inſtructi pluribus, indoctorum hominũ more æmulari: ſed eum deligere ſermonem debemus, qui non minus vtilis, quã iucundus: nã, vt eſt penes Horatium,

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Olim finitimi Reges mittebant alterutris ænigmata, & ſophiſticas quæſtiones, quas ſi neſciret alter diſſoluere, pecunia aut aliqua parte regni alteri mulctabatur, & ſimul is, qui vincebat, ſapientior & melior habebatur, quemadmodum Ioſephus aduerſus Appionem, & Plutarchus in ſeptem ſapientum conuiuio oſtendunt. Græci item homines aliqua eruditione præditi, vbi in conuiuiis conuenerant, ſublatis iam menſis huiuſmodi ſcirpos, & nodos, & (vt illi vocabant) gryphos ſibi ipſis viciſſim proponebant non ſine pœna, & præmio, quemadmodum apud Athenæum legere potuiſtis: quorum ſanè reſolutio, & ſi ingenium poterat exercere, nulli tamen erat vſui, & (vt vere dicam) haud multum diſſimilia ſunt hæc iſtis, quæ nuper dixi homines ineruditos ocio abutentes inter ſe agitare. Nos autem nunc quid faciemus? nõ deerit (vt opinor) ſermonis materia digna tali cætu: nam ſi nihil aliud ſuppetat, poſſumus ſermoni iam inchoato inſiſtere. Diſceptabamus enim nuper de ſtatuarum pulchritudine: idem maneat ſermo, correctione tamen quadam adhibita: non enim de ſtatuarum pulchritudine, ſe de ipſa pulchritudine in vniuerſum loquendum cenſeo, ſiue ea fictis hæſerit corporibus, ſiue veris, ſiue etiam extra corpora alicubi ſit: ſic a particula quadam in genus ipſum translatus ſermo magnificentior erit, & ditior, & cognitione illuſtrior. Quærendum eſt enim vbi pulchritudo ſit, vbi hęreat, quid eam præſtet, vbi melius dominetur. Et ne illud quidẽ omittere poſſumus, de quo admoniti ſumus, num pulchritudo materia ſit, & ſeges (vt ita loquar) amoris. Non abnuo etiam, ſi aliquis in dicendo locus ſe obtulerit, anſámque præbeat habilem, de mulierũ pulchritudine, deque earum amoribus diſſeri, vt inter illa humilius aliquid tãgatur ætatibus veſtris aptum. Hoc ſtudium maneat, & curriculum diſputationibus noſtris, niſi quid vobis videatur ſecus. Ergo aggrediatur quiſpiam veſtrũ, ſermonem, conferátque cum hoc Dionyſio, qui ſuſcipere illum paratus eſt: vix enim fieri poſſe video, quin pulcher ſit ſermo de pulchritudine habitus, vbi enim aderit ſi ab his ſermonibus receſſerit, quibus tractatur? At locus ne de talibus loquamur deterret. Deterret? an potius adhortatur? nam diſputationes illas quidem diuinas doctiſſimorum virorum, quas libri oſtendunt, inter nemora & lucos & huiuſmodi receſſus ſcimus inductas fuiſſe & perfectas, illic eorum doctrina perfluẽte. Quò magis turpe puto nõ ſimili mentis impetu conari, atque aliquid efficere ſtudijs noſtris cõſentaneum: ſermo enim ſilentio potior, non modo vbi loqui neceſſe eſt, ſed etiam vbi inſtruere animum, & docendo inuicem aliquid & diſcendo reddere poſſumus meliorem: tunc enim rumpendum maxime ſilentium, vbi aggredimur promere, quæ minimè ſilentio ſunt digna. Dixeram hoc, & vix dixeram, conclamauerunt omnes, ita fieri oportere. Tum certatim vnuſquiſque dicere nullam hac materiam potuiſſe proponi digniorem aut vtiliorem, etiam ſi ſponte delecta fuiſſet: nunc autem eò magis amplectendam, quia forte oblata non ſine aliquo diuino numine videretur. Reperiebatur tamen nemo, qui princeps eius rei tractationẽ ſuſcipere, dúxque vellet eſſe ſermonis: omnes id mihi munus iniungebant, quod etſi malebam

alteri

alteri delatum, ſuſcepi tamen, nec diu recuſans nec pertinaciter, quid enim facerem? parendum erat vnanimi hoſpitum ſententię, & meis me legibus captum uidebam. Faciam igitur quæ vultis, modò ſi quod inter diſceptantes duos natum fuerit certamen, id ſententiis veſtris dirimatis: neminem enim ab hoc iudicandi munere eximo. Conſenſerunt. Et mox paululum infra digreſſi marmoreis ſedilibus fontiuomam propter ſtatuam recubuimus: tum animis omniū ad audiēdum arrectis, ſilentio pauliſper facto, demū ſic exorſus ſum.

MARCVS. Manifeſtum eſt hominem in aliquo cupiditatis ſuę motu ſemꝑ verſari: induxit enim id præclariſſimè natura vt rei cognitę, & perceptæ ſequax ſit ſemper affectus, quo vel amor vel odium concitetur: non enim decebat voluntatem diuino munere nobis traditā ocioſam manere, & quodam modo dormitare. an non ita tibi videtur? DIONYSIVS. Videtur. MAR. Quid? omnes, qui amore vel odio cuiuſpiam rei ducuntur, amaré ne vel odiſſe rectè, concedimus? DIO. Non omnes quidem rectè: ſicut non omnis, qui ędificat, ratione ędificat: nec quicunq; agrum colit, bonus agricola eſt. MAR. Amare te ſcis? DIO. Scio. MAR. Et amari? DIO. Opinor. MAR. Quoniam igitur amorem vſu perceptum habes, potés ne mihi diffinitione complecti quid ſit amor? DIO. Et ſi ante decreueram ſermonem finire potius, quàm quicquā diffinire, quoniam id ipſum difficillimū eſſe non ignoras, attamen nunc tibi morem geram, nam mihi res hæc multum & diu pręmeditata fuit: vel ſi etiam nō pręueniſſem cogitatione, & tardus eſſem ingenio, tamen hoc ipſum epigrāma, quod modò lectum & laudatum fuit, admoneret quid reſpondendum eſſet. Amor igitur eſt quędam voluntatis propenſio erga pulchritudinem, qua fruimur uel frui exoptamus. ſic patriam, leges, amicos, honores amamus: quia in illis inuenimus ſpeciem quandam, qua tangimur ita, ut placeat eis perfrui. Poſſum etiam dicere amorem eſſe cupiditatem pulchritudinis perfruendę: quia ſi quis fruatur pręſenti pulchritudine, nōdum tamen a cupiditate recedit, quia cupit in poſterum idem ſibi manere. Malui autem dicere amorem ad pulchrū ferri, quā ad bonum, quia bona eſſe nonnulla multi concedant, nec placent tamen, nec ea amant. At pulchrū irritare ſemper ſolet animos, & quadam ſuauitate perfundere: ſicut etiam ſi rogarer, quid appeterent homines in cibo, reſponderem non quodcunq; dulce eſſet, ſed quod ſaperet: hoc enim palato omnium iucundū, alterum nō item. MAR. Incipis iam nonnullorum errores proponere errans & ipſe cum iſtis, ſiquidem aliquid inueniri putas pulchrum, quod non ſit bonum, quinimo bonum ſuperius pulchro videtur. Nam ſimulac id, quod conueniens mōſtratur & ornatum, commouit aſpectum, ſequimur id deinceps, quia bonū videtur: ſic bonum erit in cauſa amoris, non pulchrū, quod ſui conuenientia & ornatu ad ſe tantum conuertit aſpectum. DIO. Longi quidem ſermonis initium pepuliſſe te video de differentia boni & pulchri. Ego quidem hactenus locutus ſum de vulgarium quorundam hominum opinione, qui putant quædam eſſe bona nō tamen pulchra, ideo minimè ſequenda. Cęterum in ſcholis inter eruditos, qui cuncta ad ſubtilius referunt examen, quæri valde ſolet, vtrum nihil interſit inter pulchrum & bonum, an aliquid: ſi nihil, cur duo nomina? ſi aliquid, quid ſit illud? & quid horum vni, quid alteri tribuatur? Demum eò

venitur,

venitur,ut quæratur, vtrum horum duorũ cauſam amori præbeat: qua in re ego magis aſſentior his, qui amorẽ aſcribunt pulchritudini potius,quàm bonitati, propterea quòd pulchritudo non ſolum ſui conuenientia & ornatu pellicit ad ſe mentem, ſed etiam demulcet, hinc ad ſe blandè trahit cupiditatem eius perfruendæ:hoc & ſi poſtea,vel ſenſu,vel ratione bonũ iudicatur, tamen amor iuſtius attribuitur pulchritudini,quæ illum initio excitauit,& deinceps detinet. Accedere autem fateor firmius amori vinculum,dum pulchrum ſub boni quoq; nomine cenſetur. Quòd ſi eorum placet ſententia,qui tenuerunt pulchrum a bono diſtingui vix poſſe propterea, quòd vnum inſit alteri:nam quod bonum eſt pulchrum eſt, & quod bonum pulchrum: hi tamen negare non poſſunt, quin conueniens ille rei ſtatus & ornatus delectans intuentem, magis proprie pulchri nomine, quàm boni ſignificetur. Quamobrẽ vituperari non debeo, ſi in diffinitione amoris dixi illum eſſe pulchri cupidum nihil dicens de bono: nam ſi nihil refert vtro vtar vocabulo, quum re ipſa vtrunq; idem ſignificet,libera fuit optio ſumendi alterutrũ: quin potius pulchri vtendum fuit vocabulo,quod melius & ſignificantius id exprimit,quod per id intelligi volumus. MAR. Tu igitur rectè diffiniſſe videris, dum inquis amorem eſſe cupiditatẽ pulchritudinis perfruẽdę. DIO. Videor equidẽ. MAR. Diffinitionem hanc,quam profers vt tuam,in priſcorum hominum libris me ditatus es. Sed reſponde obſecro,qualis tibi videtur eſſe diſcipulus,quo primũ tempore accedit ad magiſtrũ? DIO. Quid dicam niſi rudem,& omnis doctrinę expertem mihi videri? MAR. An non magiſter hunc, quem opera & labore erudiendũ ſuſcepit,amat? DIO. Amat profectò. MAR. Rudem igitur & informem amat diſcipulum, tu autem amorem poſueras in affectu quodam pulchritudinis fruendæ. DIO. Dixi equidem pulchritudinis,ſed nõ addidi eius,quæ in amato poſita eſſet:fieri enim poſſe videbam,vt in amante verſaretur,ſicut exẽplo liquet a te propoſito: Nam magiſter doctrinæ amans pulchritudinem,quam in ſe perſpicit,transfundere cupit in alterum,vt illa pariter in diſcipulo perfruatur: hoc idem in parentibus vſu venit, quos non dicendum amare liberos nondum natos,ſed ab initio ſplendore proprię formę oblectati, ſimillimam alteram effingere cupiunt: hinc poſtea genitos amant, in quibus formam per illos traditam elucere vident. Eodem modò Deum humanũ genus condidiſſe & amare fatendũ eſt: itaq; tam ex ſua,quam ex aliena pulchritudine amor excitatur: vtrũq; autem diffinitio mea indefinitè loquens complectitur,vt a te fruſtra tentata ſit. MAR. Præclarè omnino & egregiè quod obieceram diluiſti: Itaq; ſic te a me laceſſitum fuiſſe plurimum gaudeo. DIO. Et ego,quia tibi ſic reſponderim,plurimum audeo. MAR. Ego verò metuendum tibi magis cenſeo,quia nulli facilius inſidijs aduerſariorum capiuntur,quàm qui ſecunda pugna elati ſunt. DIO. Immo nulli ſecurius pugnant, quàm qui inſidias aduerſariorum euaſerunt. MAR, Cupis pugnare. DIO. Cupio. MAR. Vin vincere? DIO. Et hoc. MAR. Quid? victus nũ ſibi placebit? DIO. Minime. MAR. Quid tibi? DIO. Maximè. MAR. At vinci num turpe aut decorũ exiſtimas? DIO. Turpe quidẽ. MAR. Ergo turpitudinẽ amas in altero,ſi quidem vinci turpe eſt,& victũ te amare dixiſti. DIO. At volui dicere victoriam me amare meam, quid autem illi,cum quo

pugno

pugno, accidat, non admodum curo. MAR. Eodem reuolueris, non enim victoria conſtaret tibi, ſi alterum victum videre nolles. DIO. Neſcio quo me vertam, & laqueis tuis velut improuidam auem captum fuiſſe moleſtum eſt. MAR. Hanc moleſtiam vt effugias, ſuſcipe aliud non minus moleſtum, vt diffinias nobis quid ſit pulchrum: aliter hinc euadi nõ poteſt. DIO. Egregiè verò, vt quum diffiniuerim tu mihi laqueos alios, atq; alios tendas, vt magis, magiſq; inuoluar, ita vt haud ab re ſit aucupis. Itaq; diffinitionis iſtius onus tibi, ſi pateris, impono. MAR. Hoc agam poſtea, &, ſi ſermonẽ hunc vt ſpero perfecero, intelliges curam hanc tuam mihi curę fuiſſe: non enim hunc cenſeo Gordii eſſe nodũ, qui ferro diſſoluendus ſit. Interim dic quæſo, num turpium mulierũ vidiſti aliquos amore captos? DIO. Quid ni? innumeros. MAR. Ergo hi veſtigia diffinitionis tuæ minimè ſequuti ſunt: non enim pulchritudo fax amoris illis fuit. DIO. Quid refert, ſi quod deforme erat, illis pulchrum videbatur? falſò quidem, ſed videbatur tamẽ. MAR. Sequitur igitur, vt qui turpia amant, verè non ament, ſed inſaniant. DIO. Sequitur. quin vt meam iam teneas ſententiam, ſi pulchram quiſpiam adamarit ea de cauſa, vt ſtupro ſecum miſceatur, non pulchritudinis hunc, ſed fœditatis dixerim amatorem. MAR. Qui fieri iſtuc poteſt? ludis ne? Nam qui pulchram mulierem attrectat, amplectitur, oſculatur, in pulchritudine verſari mihi videtur. Tu quod pulchrum eſt, quomodo detorques rurſum, vt pulchrum nõ ſit, ſed deforme? DIO. An non deforme eſt obſecro fœmineo complexu ſuam & alienam polluere caſtitatem? MAR. Vereor ne adoleſcentuli hi, qui ſermonibus noſtris aures arrexerunt, te in hac ſententia manentem derideant: rem ipſam in medio ponamus, & tanq; oculis ſubiiciamus. Finge mulierem quandam diuitẽ cultu, ditiorem forma, equo huc inuehi: vbi conſpexerit, ad nos deflectere: aduenit, ſalutat, in cõſeſſũ recipitur, fabulatur. Hic ſtatim e grege noſtro lautus iuuenis attentè incipit ſpectare: videt comptiſſimã arte & manu, & magis adhuc naturæ dotibus collucentem: delectat illum celſus & erectus corporis ſtatus, flagrantes oculi, aurei capilli, purpureæ genę, eburnei dentes, labra cerasis concoloria, candida ceruix. Quid plura? ſignũ pulchrè depictum ſe conſpicere arbitratur: mulieres, quaſcunq; antea viderat, deſpicit, & nihili facit, primam hanc omnium exiſtimat, huic inhærere certum eſt. Petit poſtmodũ ſecretò iuuenis mulierem, amorẽ fatetur, poſtulat vt ſui miſereatur. Illa (ſicut mos eſt) honeſti primò curam obtendere, reluctari precibus, & ſpem tamen oſtendere. Tandem dum vrget iuuenis, prodit illa cauſam ſuam, vel potius adiuuat, idem enim cupiebat: ergo obſequitur, & ſui poteſtatem amãti facit. Hic quid vituperatione dignum iuuenis? nam vt amaret iuuenis, pulchritudo in cauſa: amor, vt pulchritudine frui velit. Itaq; venitur ad illud, quod Galienus Auguſtus, dum ſponſos iungeret, dixiſſe fertur,

Ite (ait) o iuuenes pariter ſudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura veſtra columbæ,
Brachia non hederę, non vincant oſcula conchæ:

Student enim amantes duorum corpora, quantum poſſunt, in vnum contrahere, non exiſtimantes ſe duos eſſe, nec cupientes. Aut igitur pulchritudo ſubducenda mulieribus, aut, ſi manet, amabitur: qua vt, ſicut cupimus, fruamur, corporũ

corporum permixtio impedienda non erit. Et forſitan, poſtq̃ in hanc vitam demiſſi ſumus, non fruſtra eſſe debet, quòd natura has nobis voluptates infuderit. Sunt profectò ex alio genere voluptates quædam: ſed vbi ſimplici appellatione voluptas nominatur, hanc intelligimus, qua ſenſus iucundè mouetur, quia & vſus eius frequentior, & cõmunior, & notior, & vix reperitur animal, quod eam excludat. Si medicina amatur, quę dolorem pellit tantũmodo, quantò amabilior voluptas, quę contraria agit dolori? nõ enim ſolùm liberat ab aſperrima doloris iniuria, ſed ſuauitatem etiam ſecum affert, quæ ſenſum permulceat. Cui autem magis tribuere oportet, quã ei voluptati, cui vel hoc ipſum debemus, quòd homines ſumus, & propter quam in hanc vitam peruenimus? & quomodo ſtultũ non eſſet labores, quos vita affert, omnes tollere, ſi quid autem ea habet iucũdi, pręterire? Lepidum illud Martialis & feſtiuũ,

Vnguentum hæredi nunquam, nec vina relinquas:
Ille habeat nummos, hæc tibi tota dato.

Si de unguentis & uino cenſuit hæc aſſumenda, nõ hæredi relinquenda, quantò magis hoc idem cenſuiſſet de tori uoluptatibus, quas ſi prætererimus, nec hæredi relinquere poſſumus: nõ ſunt enim hæreditariæ, ſed earum omne ius cum perſona finitur. Aſſumendæ igitur & hæ, uel rapiendę potius, dum licet. At non commoueat hæc uoluptas, niſi etiàm ſit maior reliquarũ omnium uoluptatum: quæ eo etiam gratior, quòd æqua uoluptatis pars redundat in eam, quę obſequentem amoribus ſe noſtris prębet: cõmunis enim Veneris menſa. Itaq; non inuidioſè aut auarè unus tantum iucundè expletur eſuriente altero, ſed cibus unà capitur, & adminiſtro eadem exhibetur uoluptas. Quęſiui ſępius mecum, quomodo ferrum & marmor incluſa ignis ſemina tenerẽt: nam ſi quis ea colliſerit, ignis exilit, & id fieri mirabar propter aſperitatem & frigiditatem materię. Nunc autem ſcio homines nõ marmoreos eſſe nec ferreos, & nihil penitus miror flammas ferre incluſas ſecum cupiditatũ. Veruntamen nullius rei in animo hominis, quã muliebris complexus libido, vehementior, nec ſenſuum vlla illecebra maior, quam ſi contemnis, uide, ne parum eius intelligens exiſtimere. Nec eſt quòd pudeat te, aut quenquã noſtrum, aut alium omnino mortalem Veneri ſeruire: quãdoquidem Dij quoq; ueteres, quanq; fabuloſè, Dii tamen crediti, huic Deo ceſſerunt, & ut cætera mittã, ipſe quoq; Phæbus Muſarum dux ceſſit: non illi profuit citharam, & intonſam comam lauro implicuiſſe, quaſi hęc arbos a cœleſti igne defendat: nam nõ ideo minus illum Veneris fax percuſſit. Quòd ſi inſtituta ea creduntur eſſe optima, quę uetuſtiſſima, ſimulac mundus cum ornatu hoc tali atq; tanto conſtitit, cœlum perhibent terrę amore exarſiſſe, & lunę ſolem, & ex eorum mutuo complexu cuncta fęcunditate lętitiáq; repleuiſſe. Hæc ſuadeant, ut inſtitutum hoc tam uetus atq; nobile perſequi uelis: nam & uir es, & facta tibi eſſe debet mulieris pulchritudo, cuius potitus, quid uita tua eſſet lætius? Deum te credas, ut qui Venerem ſortitus eſſes benignè fauentem deorum omnium fauſtiſſimã atq; iucundiſſimam: Non enim fruſtra ille cecinit.

Gratia quid? vel quid iucundum, ſi Venus abſit?
Tum moriar, Veneris quum mihi cura cadet.

Alter autem poëta ardentius multò & magnificentius illud protulit,

Fœlix

Fœlix, quem Veneris certamina mutua perdunt:
Dij faciant, leti cauſa ſit iſta mei.
Induat aduerſis contraria pectora telis
Miles, & æternum ſanguine nomen emat.
Quærat auarus opes, & quæ laſſarit eundo
Æquora, periuro naufragus ore bibat.
At mihi contingat Veneris langueſcere motu
Cum moriar, medium ſoluar & inter opus.

Sic iſte non imprecatur ſibi mortē, ſicut ille prior, quotieſcunq; Veneris opus neglexerit, tanq; magnum aliquid tūc delinquat, ſed in ipſo opere mori & extingui affectat, idq; pluris facit, quàm ſi pro patria pugnans occumberet. Et iſta quidē ſic habere videntur, niſi tu cōtradicis, & quid forſitan habes ad hęc. DIO. Oratio tua, & lenis admodum & ſuauis fuit, poëtarúmq; carminibus, & multorum aliorum verborum laſciua floſculis, quamobrem improuidum quemuis iuuenem intercipere parata. Pinxiſti mihi omnibus verborū coloribus pulchram mulierem, & nudam penè ante oculos collocaſti, quaſi conatus voluptatis illecebris iudicium meum corrumpere, ſicut feciſſe olim dicitur Hyperides Athenienſis rhetor: qui quū Phrynem formoſam meretricem præſtantiſſima pulchritudine florentem, capitis accuſatā defenderet, cauſæ diffidens, ad extremum tuniculam meritricis diſcidit, pectúsq; & vbera nudauit, petijtq; a iudicibus, ne tantam pulchritudinem capite aut exilio mulctarent, ſed vrbi cōſeruare vellent. Hoc tam illecebroſo viſu deliniti iudices ream abſoluerunt. Me verò nihil horum adeo commouet, vt cauſam temperantiæ, & pudoris velim prodere: quia id non expedit, non modo in præſens, ſed ne in reliquū quidem vitæ tempus. Nec tamen marmor eſſe me vel ferrum putaueris, quanq; ſi ita haberem, hęc tibi viſa ſunt etiā in illa ſua frigiditate & duritie habere aliquid caloris. Dicam igitur mollitudine me humana præditū, neq; enim id negauero, veruntamē viri aliquid geſtare in pectore. Pulſant & feriunt ſæpius, nec ſæpius modò, ſed etiā vehementius animos noſtros imagines illæ voluptatis, cū omni ſuauitate affluentes: ſed virtute ſubnixa ingenia, & Deo freta haud difficulter eas repellunt. Beluę autē ſcio illud nō facerent: nam illę cęco quodā naturæ affectu trahuntur ad id, qđ obiectū eſt ſenſibus. Homo autē fertur voluntate, nec ducitur imaginibus rerū, ſed eas ipſe potius ducit, imperiúmq; mentis humana actio ſemp̄ obſeruat. Ergo vbi impellitur humanus animus a ſenſibus, vt voluptatib⁹ inhęreat corporis, ſurgit ſpeculatrix & vindex temeritatis ratio, & ab iniuſtis animū deducere conatur: tūc aduerſus libidinē pugnās, ita quodāmodo loquitur tacitè. O qd agis? noli ſeruiles has & ingratas voluptates homine nullo modo dignas ſectari: multò meliora oſtendā, quę ſequaris. Cur autem quū ipſe excellas, bonū tuum quæris in corporū complexu? Meminiſti (inquit animus) quomodo primas rerum notitias duximus a ſenſibus? Memini (inquit ratio) ſed illud aliud eſt, hoc autē aliud, nō enim ſenſibus ſummā rerum debes credere, ſed mihi, quæ de ipſis ſenſibus etiam iudico: nihil enim illis fallacius, qui multa ſæpe renuntiarunt, quæ ego rebus ipſis aliter ineſſe deprehendi. Quo auerteris? inſpice ad me diligenter, vt videas, quàm abſonum ſit, vt de hominis bono non pronuntiem ego

arcē tenens iudicij, ſed ſenſus, res ſponte ſua obtuſa, & quę in homine magis, quàm in aliis animalibus ſit obtuſior. Hęc & his ſimilia vbi intra nos loquitur ratio, nón ne iuſta & decentia proponere videtur? Miſerū eſt ſi tunc ſequimur non rationem, ſed libidinem à ſenſibus commotam, cui ſummū bonum videtur corporis voluptas. Quale autem bonum, & quàm ſummū? quod adepti aut faſtidio ſui ingraueſcit, aut in mediis beatitudinis ſuę vndis ſitiētes adhuc habendi deſiderio torquet. Agnoſcitur tunc facillimè animi noſtri error, qui ſecundum leuiſſimam & nequiſſimam ſui partem iudicauit. Verum enim bonum nec cum faſtidio adhæreſcit, ſed grata quadam recordatione deſiderium ſui excitat: nec curtum eſt, ſed tantum, vt extincto omni ardore repleat plenè animi affectus. Tale autem bonum non præſtat corporis voluptas: ſed niſi adeptione boni nemo efficitur beatus, & qui non beatus efficitur, miſer eſt: miſer igitur omnis, qui ob voluptatem corporis amat. Sed quid illa complexione munitius, propter quā ab vtroq; latere coarctantur? aut enim fœmineos amplexus, quos tanto appetunt ardore, nō adipiſcuntur, & ipſi miſerrimos ſe iudicant: aut adipiſcūtur, & tunc eò miſeriores, quò ſibi minus videntur: licuit enim id agere, quod ne cogitare quidem oportebat. Nam non fœlix quicunq; habet id, quod amat: ſed ſi amat, quod amandū eſt: vbi autem res noxia amatur, miſeriores ſunt homines habendo, quàm carendo. Et hoc noxium eſſe, quod amatur ab iſtis, in dubium venire nō poteſt: nihil enim tam virile animi robur eneruat, nihil tam mentem ex arce ſapientiæ deiicit, nihil æquè frangit valetudinem corporis ſecundàm, nihil tam carè emitur multis laboribus & periculis, quàm hæc corporum lenocinia blandè ad ſe trahentia, quæ tamen in ſeruili illa ſui impudentia vnum hoc habent liberale, quòd citiſſimo auferunt ſe receſſu. Cuius autē prudentię, anhelare ad id, quod apprehenſum aquæ in morem, tanquam pertuſa vndique membra geramus, ſtatim effluit? Diuitiæ amantur, ferri id poteſt, fructuoſæ ſunt etenim, & quodlibet illæ facile expediunt. Sed voluptates corporis amauerit quis: Cur? ſteriles ſunt etenim, & nihil illæ niſi pænitentiam ſui expediunt. Adiuuant illa in corpore: vires, velocitas, valetudo, præ ſe fert etiam dignitatem quādam pulchritudo: at titillans dulcedo ſenſuum quā dignitatem quód ue iuuamē habere poteſt, vt ad illam reſpiciamus? iccircò ne nos homines natura genuit, vt beluarum ritu inſequamur alterum ſexum? ſed fœliciores eſſent beluæ, mutuam enim voluptatem ſentiunt copulatæ: nos eandem, ſed angores longe duriores. Mitto excidia vrbium, vaſtationes regnorum, officia deſerta ac prodita, & ſingulorū cædes, & vulnera propter huiuſmodi nepharios ardores: talibus enim exemplis non hiſtoria modò omnis, ſed & quotidiana vita fœdata eſt. Certè pallens vultus, marcentes oculi, crebra ſuſpiria, flebiles querelæ, quàm malè amoribus noſtris accepti ſimus, facile indicant. Et ecquæ hora vnquam fluit dolore vacua? Nihil miſerius Zelotypia, quæ ab huiuſmodi furore abeſſe non poteſt. Angit animum riualis, ne acceptior ſit & gratior: & nullo etiam riuale mens illius miſeri amore perditi adhuc ſolicitatur, quum metuat quoſcunque iuuenum vultus etiam pictos; & tunicam, vel in tunica puellæ ſuſpicetur eſſe virum. At ſeruitus quanta? poſcit mulier, dandum eſt: iraſcitur, ſupplicandum: eijcit, flendum: reuocat, fingenda hilaritas: minatur, pallor

induendus

induendus: quicunq; hęc ferre poteſt, non his modo, ſed uinclis etiam & uerberibus dignus uidetur. Iam uerò unguenta olere, multicolores inducere ueſtes, ad lyram canere uel ſaltare, ante alienas pernoctare fores, quantę leuitatis ſunt & nequitię? quę ſtudia ſi manent in ſenectute, quid peius, quã effętum corpus fruſtra tradere libidinibus inflammandũ? & grauiſſima in ætate ad ineptias redire epheborum? ſin abeunt, cur iuuenes id amplexari tantis conatibus oporteat, quod progredientibus annis deſeri debeat? quod ſenectus, ut uitę, ita ſapientię humanę culmen, non admittat? Menſa igitur Veneris (ſic enim ipſe appellabas) non reficit, ſed atterit conuiuam: ubi enim crapulam illam quiſpiam edormierit, intelligit ſe nihil comediſſe, ſed potius comeſum, ſummaq; cõtumelia affectum. Sic piſcis cibum petit, ut cibus ſit ipſe, qui quum eſcam hamo pendentem uoraciter apprehenderit, gaudet, nec intelligit falſa illa eſſe gaudia, donec captus, & exenteratus a piſcatore uoratur. Similiter hominem ubi illecebroſa ad ſe corporis duxit libido, quaſi alere uelit, illum deinceps atrociter abſumit, non corpori, non famę, non opibus, non ſæpius uitæ parcit. Illud teterrimum, quòd ſordibus cænóque mentem obuoluit, quam cœleſti ſemine oriundam nil decebat niſi purum ac ſpiritale tractare ſemper, atque verſare. Et audes tu dicere uideri ſibi Deum, qui Venerem habet fauentem? quomodo? an Deus eſt, dum his malis urgetur? Alexander Macedo quum a cæteris ob rerum geſtarum amplitudinem Deus vocaretur, ipſe dicebat ſentire ſe non eſſe talem ex ſomno & veneris uſu, his enim duobus temporibus langueſcere natura uidebatur, & ſe ipſa fieri deterior. Tantum igitur abeſt, ut hę duę uoluptates efficiant Deum, ut nec umbram etiam & ſpeciem deitatis imprimi ſinant. At enim cenſes uitę labores diluendos eſſe uoluptatibus. Quibus? expectabam ut animi diceres, tu corporis dixiſti: ſunt enim animi uoluptates dignæ, pulchræ, nobiles, elegantes, lucidæ, puræ, diuturnæ. Contra, corporis voluptates fœdæ, ignobiles, noxiæ, maculoſæ, exiguæ, breues: quãta enim lætitia repleri animũ eius putas, qui meditando, & mentis aciem intendendo inuenit aliquid quotidie dignum in artibus liberalibus? quanta eius, qui eruditè ſemper quędam ſcribit ad commendationem ſui nominis, & poſteritatis fructum? Falleris, ſi voluptatẽ ventris, & eorũ, quę ſub uentre ſunt, putas maiorem: ſtudio enim uirtutis, & nobilitate gloriæ faciliùs feruntur labores, quàm propter epulas, aut amicę noctem. Vide quantum inter meam ſententiam & tuam interſit tu uoluptates corporis hauriendas cenſes, quò uitę labores tolerabilius ſe habeant: Ego quoslibet labores ſubeundos cenſeo, quò corporeæ uoluptates minus ſint moleſtę: laborum enim præteritorum iucunda recordatio, at illarum voluptatum odioſa penitus & ingrata. At voluptas bonum. Credo alijs, ſed non iſtis, qui hanc ſibi malo comparant more. An non diuitiæ bonum? Nempe bonum, ſed non ei, qui piraticam exercet. vulgo homines, qui nunquam vllam puram & liberalem perceperunt voluptatem, confugiunt ad has corporeas: ſed magis cenſendum eſt eas veras eſſe voluptates, quas bonus vir diligit, atque ſectatur: is enim omni cupiditate ſolutus rectè ſingula metitur, huic quæ odioſa ſunt, ſi cui iucunda videntur, pugnant deprauato iudicio cum eo, qui iudicat incorruptè, nec

mirandum diſſentire iudicia eorum, quorum diuerſa eſt conditio: nam in dulcibus quoque diſſentiunt ægroti a ſanis, & in calidis imbecilli a valentibus, ſed de ſe viderint cæteri: mihi verò detur, relicta non modo mulierum, ſed etiam vrbium frequentia, concedere in ſolitudines aliquas, ibique geſtis veterum heroum legendis paſcere animum, vel poëtarum carminibus oblectare, vel quia iſta minora ſunt forſitan, ipſo perfrui ſapientiæ ſtudio, quod cæteris philoſophia nuncupatur: illa docebit me non voluptatem concubitus quanta ſit, rem tum fœdam, tum viliſſimam cognitu, tum etiam paſſerculis omnibus notiſſimam, ſed cauſas huius maioris voluptatis: illud enim fortaſſe, non paruum eſt noſcere, quid ſcilicet efficiat, vt in illa maris & fœminæ coniunctione ſenſus tam ſuauiter mulceantur. Oſtendet etiam ne ex inſcitia rerum laborem, quòd non geminum ſexum voluptatis nutriendæ cauſa inſtituit Deus, ſed prolis tantummodo ferendæ, neque verò ad honorem vllum, ſed ad contumeliam potius ſummam & pœnam ægris mortalibus laſciuientes illos carnis motus aſſignatos fuiſſe, quibus concedere non oporteret: hoc enim precipuum virtutis lumen mores ſuos in adoleſcentia & reliqua omni ætate ad modeſtiam compoſuiſſe. Huiuſmodi autem amatores, muliebris complexus cupidos, non pulchritudine corporum tangi, ſed ſordibus maximè oblectari. Nam quum pulchritudinem, oculorum tantùm & aurium nuncio animus accipiat, quod reliquis exquiritur ſenſibus, fœdiſſimum eſſe. Impudenter igitur facere, ſi iactare audeant ſe pulchri ardore teneri: nam qui pulchra amant, turpia obſcenáque iure oderunt. Hæc & talia quædam ſapientia docuerit, cuius ego vocem veluti diuinam venerabor, huius ego auctoritate fulcior. Quin tu mihi nunc altera ex parte virum optimum Epicurum tuæ ſententiæ auctorem conſtituis pro voluptate concionantem, beluis veluti teſtibus incorruptis vtentem de ſuo bono. Hunc & huius ſectatores congruo nuncupare ſcirem vocabulo, ſi vellem: ſed neſcire malo. Sed hos omittens, oculos in te deflecto, & quomodo illa dicere potueris quæro, qui alium dicentem eadem corriperes, tanquam ineptum hominem & flagitioſum? Tu laudas libidinem? tu flagitia veneris? tu concubitus vagos? tu adulteria? tu ſtupra? tu inquam, qui caſtiſſimos antea præferebas mores? cui nihil cum Venere eſſe commertii omnes opinabantur? num abire cogitas in diuerſam vitam? Sed quoniam monendi etiam, atque etiam eſt locus, moneo, vide quid agas, quò progrediare, qui ſi in animum induxiſti obſcenos hos & flagitioſos amores oratione defendere, concurrent ad te ſcortatores omnes adulteri, & impudici, totus aderit laſciuiæ chorus, te vnum patronum adoptabunt, tibi honores dicabunt, & ſtatuam fortaſſe ponent medio in foro, cum inſcriptione præclara. At bonis & doctis accuſantibus viris, quorum iudicium extimeſcere ſoles, mirabor, ſi aptam & idoneam inueneris defenſionis figuram, non enim negabis dixiſſe quod tam frequens conſeſſus audiuit. Accuſabunt autem illi longe doctius & paratius, quàm nunc ego, nec minus mirabuntur, quòd Venerem probaueris, qui antea partes ſequutus fueras Mineruæ, hanc illa valde iudicans pulchriorem, niſi forſitan ironia nunc vteris, & aliud loqueris, aliud ſentis. Neq; tamen ego is ſum, qui mulieres oderim aut bello inſequar;

quar: imo amandas, ſed alia quadam meliori ratione cenſeo, quam ſi quis ſequat.ır, magnus fuerit & cōſpiciendus vir: laudabile enim illud amandi genus, hoc autem turpe & nefarium. Itaq; nō tam amori repugnare me dixeris, quàm pro amore pugnare aduerſus intemperantiam & inſaniam libidinum, hoc ſanctiſſimum & caſtiſſimum amoris nomen a natura proditum occupare conantem. MAR. Voluptatem tu quidem corporis acriter, & veluti infeſtis ſignis adortus es, neq; conſiſtere permittis, adeo ut ſi Epicurus ipſe hic affuiſſet huius aſſertor, his tu illum probè in ventre percuſiſſes: eodem modo Ariſtippum, & quemcūq; alium, qui de eodem bibiſſet poculo. hoc ego ipſum accidiſſe non adeo moleſtè fero, poſtquam in orationis tuæ calce dixiſti, non te illa in odium mulierum dicere, ut pote qui aliud laudabile amandi genus ſcires eſſe. Itaq; poſtquā de omni amandi ſpe nos minimè deponis, tuum eſt iam exponere, quomodo id fieri oporteat: ſic enim nobis profueris vniuerſis, & ciuitas omnis gratias tibi habuerit ingentes. Ego vero nō celabo, nec ſpoliabo te gratia, ad me transferens aliena inuenta, nec diſſimulabo didiciſſe me, ſed infinitis vndiq; laudibus præclariſſimæ doctrinæ præceptorem extollam: imprimis vero concione populi aduocata ante omnium ora te collocans rem in medium proferam, & ita loquar. Viri Aſtenſes, adoleſcens hic probus & ſapiens eſt, non aſpicite ætatem, ſed ingeniū: vtilia enim multa nouit & docet. Nuper quum ipſe in hortis audiente nobilium iuuenum cætu voluptatibus corporis inſeruiendum proponerem, laudans de illis muliebres amores, contradixit ipſe acerrimè, & rem fœdam, turpem, noxiam vitare monuit: mox aliud oſtendit nobis honorificum & præſtans amandi genus, quod huiuſmodi eſt: dicam tunc quod mox nos docueris. Deinde ſic concludam ſermonem: hunc hominem de vobis & de vniuerſa Rep. benemeritum publico decreto collaudate, & quam ille mihi ſtatuam dixit ab impudicis fore ponendam, ſi voluptatem ſenſuum defenderem, luteam ſcilicet, hanc uos illi argenteam virtutis ergo medio in foro decernite. Scio ubi audierint, venerabuntur, & gaudebunt ſenes etiam vtile aliquid a iuuene didiciſſe. Demum collaudatus publicè, publicè quoq; ſtabis malleatus medio in foro tutelaris cuiuſdam dei vice. Num parua hæc videntur? Quòd ſi preces etiam addi vis, peto a te atq; adeo obſecro meo & horum nomine, ne graueris oſtendere, quomodo cum laude amare poſſimus. DIO. Non opus eſt precibus, non ſtatua, non vllo laudis genere, quia ſponte cupio quicquid habeo hac de re in medium proferre inter amicos. Sed quod tibi addubitare viſus ſum, factum eſt, quia voluebam mecum animo, an repeterem ordine ſermonem, quem olim optimo viro congrediens excepi. Itaque ſi mihi hanc dederis veniam, enarrauero. MAR. Age ſi videtur, equidem libenter audierim. DION. Primum igitur a te & his omnibus peto, vt putent me non dehortari ab amore mulierum, quum doceo quomodo eas vtiliter & iucūdè amare poſſimus, tametſi difficultatem ea res forſitan quandam habere videatur. Nam recta quoque iaculatio difficilis eſt: non tamen prohibet iaculari quicunque id non temere, ſed ex arte fieri vult, & docet ſigno infigere ſagittam. Ego quum viderem amatores omnes miſeros eſſe & infœlices, qui ſuccenſi libidine impuræ voluptatis, vitam in huiuſmodi malis ducerent, forte fortaſſis

 accidit,

accidit,vt his de rebus verba facerem cum Deitaiuto, quem plerique veſtrû (vt arbitror) norunt, ille mihi dicebat amari mulieres poſſe fœliciter,& ſine vlla prorſus moleſtia: idque maximum incitamentum fore ad virtutem & ad omnem impetum laudis. Tum ego inopino quodam ſermone percuſſus, veluti ſi monſtrum mihi quoddam & prodigium verbis ſuis pinxiſſet, Dic (inquã) Deitaiute, nec fallas obſecro: id quod de amore nunc dicis muliebri, ſerióne id dicis, an ioco? DEITAIVTVS. Equidem non ioco, ſed ex animi ſententia. DIO. Eſto, ex animi ſententia: Decet enim me tibi credere. Sed num ab alio accepiſti, an ipſe potius expertus? DEI. Expertum pariter credito. DIO. Quomodo igitur, quum tot in mulierum amoribus impendeant procellæ, ipſe tamen non modo incolumis, ſed fœlix etiam euadis? a quo id habes? DEIT. Si idem roges nauigii gubernatorem a quo habeat, quòd truces maris fluctus fragili ſecans rate ad portum rite prouehitur,

Votáque ſeruati ſoluunt in littore nautæ,

Nonne reſpondeat ſe id habere a mortalium nemine, ſed a ſe ipſo tantum, adhibita ſcientia & arte? DIO. opinor. DEIT. Quid igitur prohibet, quin ego idem reſpondeam? DIO. Nihil, ſed vt tuis inſeqtrar te veſtigiis, vbi illa audiſſem de gubernatore, ſi quærerem, quæ ſit hæc ſcientia regendæ nauis, quibus in rationibus verſetur, præſens ipſe Gubernator exponet: ſic tu, qui quandam ponis eſſe ſcientiam amoris ipſius regendi, quæ ſit hæc, & qua in re, declara. DEIT. Rudis non es ipſe in amatoriis, & nondum intelligis, quid ſequi amans debeat, quíd ue potiſſimum vitare? DIO. Si id intelligerem, eſſem longe prudentior, vt mihi viderer, neque admiratus eſſem te ſic in amore fœliciter euntẽ, nunc ad te confugio diſciplinæ huius gratia. DEIT. Non tenebo te diutius. Diſciplina hæc (ſi ita appellare oportet) vnico ferè conſtat præcepto, Cupiditates .s. animi temerarias cohibuiſſe. Principio enim decet amantem egregiam habere indolem, & magno temperatóque animo eſſe præditum. Ex hoc fluunt cætera: nunquam enim qui ſic erit affectus, fœda quædam & obſcena quæret, tanquam intemperantiæ ſuæ famem quandam velit explere: quę enim immodeſtè, & veluti rabioſè expetuntur, malo initio malos etiam exitus ſortiuntur: hæc ſumptus, pericula, moleſtias, & magnas calamitates in amore ſecum trahunt. DIO. Quale igitur exiſtimas amantis munus? & quid in amore potiſſimum quiſquam ſequetur? DEIT. Quid? niſi vt ſolam ſpectet decentiam formæ, hac capiatur, obſtupeſcat, rigeat & veluti de Meduſæ cõſpectu in lapidem vertatur? ſic nihil terrenum, nihil ſordidum, nihil limoſum amauerit, ſed puram quandam corporis vnius lucem, hac in flamma clarius ardeſcet. Ego Theodotam mulierum omnium plurimi facio, vel potius enixè amo, ac me ab ea arbitror redamari: Quã primis illis ardoris mei temporibus, quum non ſe ſatis mihi concrederet, verita (vt opinor) ne cęterorum inſanientium more de ſe quidq́ flagitioſe depoſcerem, vbi primum colloquẽdi poteſtas fuit, metu omni liberaui: quem ſermonem, (niſi moleſtum fuerit) referam. DIO, Moleſtum non erit, Imo te libentius audierim, quàm ſi fictum aliquem veterum heroum Amorem mihi narrares. Dic modo DEIT. Sedebamus

vnà,

vnà, arbitri aberant. Tum ego, Intelligere potuiſti Theodota quàm ardeã plurimum tui cauſa, quo te amore vel qua te potius veneratione complectar: Nec mirum, adeſt enim tibi ea pulchritudo, quæ attonittos ſpectatores reddat arbitrantes non mortale aliquid, ſed cœleſte videre. Natura enim tanquã ſi rogata fuiſſet ſparſam venuſtatem vno loco colligere, ſeu quia ſingulare quoddam pulchritudinis exemplar mortalibus commoſtrare vellet, ſic tibi omnia contulit ad decorem, vt infra omnium vota reliquerit: atque ita ſe rem habere ex eo facile deprehenditur, quòd nihil arte, & manu factum in contentionem tuæ formæ venire poteſt. Si quis corpus conſideret tuum, iuſtis videbit membra iuncta interuallis, & apta eſſe ſingula, & inter ſe omnia ꝓclamabit. Oculi cuiusuis feri & agreſtis hominis mulceri poſſunt coloris ſuauitate, præſertim ſi attendere libeat hunc oris tui candorem, roſeo infectum ab ipſis genis tuis, atque labellis: totius enim corporis lumen, vultus huius oculi, qui in capite tuo, veluti ſidera duo refulgent, tametſi quicunque aſpexerit aliquid tui adeo tangitur, vt vix ad aliud membrum transferre libeat aſpectum: vbi tamen tranſtulerit, tunc & illud pulchrum iudicat, & immorari illic etiam iuuat. Denique quodcunque adeſt in præſentia ſub oculorum tractatione, perplacet, & prolixius laudatur. Hæc a natura prębita auges ipſa optimis moribus: ſeruas enim omni loco, & tempore decorum: quicquid agis mirè oblectat, ſiue, ſtas, ſiue ambulas, ſiue lętitiam effundis vultus, ſiue ad grauitatem componeris, ſiue legis, ſiue ſcribis, ſiue ſaltas, ſiue cantas, ſiue ociaris, ſiue negociaris, omnia decenter agis. Hęc conſiderans arbitror homines huiuſce ſeculi plurimum oculis ſuis debere, nihil enim vnq̃ tale ſuperiores viderunt. Hinc ego non tam ferreus, nec ſaxeus eſſe poſſum, vt non amem eam, in qua inſunt præclara omnia, quæ a natura & virtute proficiſcuntur. Habeant alij ſibi regna, magiſtratus, imperia, opes, atque alias ſuas inſanas cupiditates. Ego præ illis fœlix videor, qui hac forma paſcor, quæ ad decorem omnem ſic floreat, quæ humana in figura pręferat diuinam quandam dignitatem, quæ abſens animos extimulet, præſens nequeat oculos exaturare, quanq̃ ego vbi abſum a tuo conſpectu, non videns videam tamen: poſtquã enim forma tua meæ impreſſa fuit menti, omni loco mihi ades, vndique occurris. Nam ſi per agros incertus erro, illic te ſpecto lentis pariter ambulantem paſſibus, & quacunque torques veſtigia, vernare humum, & magnam effundere florũ copiam de tuis pedibus animaduerto. Sæpe mihi ſcopuloſa aſſidens rupe conſpecta, & pecudes tunc, & feras gregatim ad te currere, & ipſos in te conuerſos eſſe lapides credidi, formę bonitate ſtupentes. Flumini propior factus illud euaneſcere vidi, & te mihi pro illo ſubſtitutam, quę vini lactisq; ferens latices, longè lateque diffflueres. In cœlum ſuſpiciens Solem arbitror domi relictum, te illius conſcendiſſe currum fulgentiſſima hæc dantem terris lumina. At in noctis crepuſculo heſperus mihi fuiſti, quoties cum Luna colloquutus, tanquã tu in illa, vel tu illa potius eſſes, quandoquidem illam æquiperas argenteo hoc tuo candore. Demum fas non eſt obliuiſci tui quicquid contra ſpecto, eam, quam cupio, mihi exhibet præſentem: tota in viſceribus mihi hęres, & in medullis. Hæc oratio fuit mea, qua dum vterer, ipſam maxime contemplabar. DIO. Quid igitur

illa? quomodo audiebat? DEIT. Pudenter quidem (vt videbatur) deiecto parumper vultu. Interrogauit autem, num colloquium illud expetiſſem, vt tantū de ſe mentirer. Mendacij mihi culpam intendis (inquam) o Theodota, quam neſcio vtrum agnoſcere debeam, vel refellere: nam dum cogito nihil dixiſſe falſò de formæ tuæ bonitate, nullius equidem mendacij ſum mihi conſcius: rurſus mentitus mihi eſſe videor, quia inferius eloquutus ſum omnia, quàm dignitas tua ferret. Itaque hac in re neſcio quò me vertam, et abſurdè omnino me habeo. interim tamen illud admiror, quomodo ſuſpicari potueris ineſſe verbis meis adulationis veſtigium, vel mentiendi voluntatem, quaſi dubia ſint & incerta tua bona, quæ ſunt clara omnibus & aperta: nemo ambigit. Roget hoſpes quiſpiam, quamprimum huc appulerit nondum te viſa, quæ mulier in ciuitate excellat, præpoténsque ſit bonis omnibus, reſpondeant cuncti eiſdem ſyllabis te appellantes, & ad vnam te reſpicientes. Cur autem colloquium expetiuerim, manifeſtum eſt quidem, vt colloquerer ſcilicet: nollem enim Theodota te mutam aſſidere mihi, tanquam ex ebore fictam, aut ex marmore, quanquam ne contemnenda quidem eſſet hæc imago, cui non alia mulier conferri poſſit. Ego tamen imagini tuæ te vnam duntaxat præferens expeto audire loquentem, vt maiorem etiam tui pulchritudinem agnoſcam: nam ſæpius tenes te belliſſimè intra gratiſſimum quoddam ſilētium, quod ſexum veſtrum plurimum ornare ſolet: ſed magnopere tamen oblectant verba, quæ roſeo ex oſculo erumpunt, cum claro admodum ac ſuaui vocis ſono. ipſa vel mouere Tigres, vel quercus potes ducere ſpargens ſermonem nunc vrbanum, aliàs grauem, nulla vnquam in re rudem: intelligere tunc manifeſtò datur, quanta ſit pulchritudo animæ, vnde verba illa manant. Miror (inquit illa) ſi non derides & ſimulas amorem erga mulieres, quoniam hæc pulchritudo, quam memoras, dictorum in vobis eſt maior, longè verò maxima factorum: natura enim uiris prǽſtantiora tradidit. Præſtantiora (inquam) eſſe poſſunt: ſed non amabiliora. Atque hac in re licet naturam ipſam conſulas, ad quam prouocas: illa enim quòd fœminis delicatiſſimam ſpeciem conceſſit, quódque earum mores ingenua quadam timiditate, & verecundo pudore ornauit, videtur hoc præcipue habuiſſe operis & muneris, vt mentes noſtras illis per amorem coniungeret. Virorum eſt ſemper magnificè, ſplendidè, fortiter, generoſe aliquid, dicere, vel facere: veruntamen ineſt ſæpe illis contumax quoddam, ac penè acerbum, ſeueritáſque multorum ſummi iuris retinens plæriſque inuiſa fuit: ſed mulierum tum corporibus tum animis molle quoddam ac tenerum natura infudit. Ideo quæcunque a vobis ſunt, dulcius, & ſuauius fluunt, & ea validè animos noſtros oblectare poſſunt. nam ſi in brutorum genere non ſolum laudamus ea quę vi pollent ac robore, ſed quorundā etiam clementia, & māſuetudine, & lenitate delectamur, quāto magis talia expreſſiora in genere noſtro cernentes conuenit permoueri? præſertim quū bene pulchro mulieris corpore nō aliud pulchrius reperiri queat. Ego verò te, non dico magis quàm fundos, ædes, ſtatuas, equos, canes (hæc enim infimam habent ſpeciem, & turpiter fere quiſpiam illic animum adiecerit, ad res ſcilicet vel ſenſu vel ratione carentes) ſed plusquam alium quenlibet hominū amare debeo, poſtquam

in nullo

in nullo tam bonam formam, & tam elegantes mores ſpecto. Adeóne tibi videtur (inquit) muliebrem pulchritudinem cæteris præferre? Non ego (inquam) ſolus, ſed quilibet, & quò eſſet ſapientior, eò magis præferret: exemplis ad eam rem vti poſſem plurimis, ſed vno duntaxat contentus ero, quod (quia notiſſimum eſt) te non poterit latere.

Nam cur in phrygijs Iunonem et Pallada ſyluis
Nunc quoque iudicium non tenuiſſe pudet?

vt quidam poëta dixit, ſi contemptum et abiectum corporis pulchritudo eſſet bonum. Noſti enim (vt opinor) quum tres illæ Deæ inter ſe contenderẽt vtra pulchrior, ad iudicium veniſſe Paridis, et quum de victoria ſolicitæ Iuno vniuerſæ Aſiæ imperiũ illi traderet, Pallas bellicos triumphos, Venus Helenę nuptias, ille ambigens de corporibus Dearum, quòd æquè excellerent, de oblatis muneribus iudicium ſibi ſumpſit: atq; ita imperijs, et trophęis pulchram mulierem munus credidit fore præſtantius: animaduertit enim Deas non de potentia et fortitudine, ſed de corporum venuſtate contendere, hæc litem illam conflarat. Itaque eò pariter iudex animum adiecit, exiſtimans id quod erat, Deas pulchritudinem cæteris quibuſcunque præferre, & a ſe pariter præferri oportere: ſic Veneri, munus eius magis approbans, victoriam conceſſit. Quòd ſi qui ſunt, qui iudicium Paridis reprehendant, oſtẽdunt ſe magis reprehendendos: magna enim temeritas eſt eius, qui exiſtimat ſe videre in iudicando plus illo, ad cuius iudicium diuina numina ſe contuliſſe dicuntur: non enim, niſi iudicij firmitate præcelleret, tantæ rei gloriam ambientes Deæ illum vnquam arbitrum delegiſſent. Nec ſi poſtea diſplicuit duabus, id ſpectandum eſt, ſed illud potius, quòd communi antea conſenſu, vt tanto muneri idoneum, approbarunt. Quamobrem licet apertè dicere, ſummam quãdam eſſe rem pulchritudinem, cæteris anteferendam, de qua ipſæ Deæ litem inter ſe ſuſceperunt, & quæ earum hanc præmium Iudici obtulit, vicerit. Quòd ſi id non ſatis eſt, non habeo quæ grauiora ꝓferam iudicia, niſi quòd idem poſtea omnium mortalium iudicio clariſſimè eſt comprobatum. Nam quum deſponſam mulierem arbiter rapuiſſet, græci, qui antea plurimas a barbaris acceptas contumelias neglexerant, tunc, veluti vniuerſa Græcia depopulata, coniurarunt, et aduerſus Aſiam vnanimes arma rapuerunt. Barbari verò ita lætabantur, ac ſi decus omne abſtuliſſent: et quum liceret illis Helenam reddentibus deponere grauiſſimum bellum, tamen excindi vrbes, vaſtari agros, extrema perpeti maluerunt. Græcis autem quum facultas eſſet hanc omittentibus mulierem in patriam cuilibet reuerti ad vxorem, ad liberos, ad lares familiares, domíque ſuæ in poſterum ocioſe poſſidere, tamen vulnera, et mortes excipere, inopiam tolerare, et apud Pergama cõſeneſcere potius delegerunt, vt viderentur non pro Menelai, et Paridis amoribus, ſed ij pro Europę, illi pro Aſiæ dignitate contendere: eam enim terrarum portionem beatiorem arbitrabantur, in qua illud pulchritudinis lumẽ eluceret. Quòd ſi tui tunc videndi poteſtas fuiſſet, Helenam maius lumen obrueret, vel ipſo Paride iudicante. Me nollem (inquit) illo modo rapuiſſet. Nequaquam rapuiſſet (inquam) quia Dearum vnam crediſſet, quę ad eius iudicium acceſſerant. Sed remotis iam

exemplis licet, quanta ſit ipſius pulchritudinis vis, intueri. Nam ſummis viris, qui præſtiterint ſapientia, nobilitate, fortunis, robore, vel qualibet alia re, inuidemus, niſi quadã beneuolentiæ ſignificatione præuenerint, & beneficijs detineant. At his, quibus præclara ineſt corporis indoles, fauemus, & ſtatim beneuolentiam aduerſus eos proferimus: propterea volumus ab illis nobis imperari, & cupidiùs talibus obſequimur, quàm alijs dominamur, moleſtè ferentes ſi nihil, gratias habentes ſi plura iuſſerint. Quòd ſi contingat in familiaritatem recipi, & ardentiùs amare cœperimus, nutus eorum quoslibet obſeruamus, iram horremus, ſingulis in rebus ſeu magnæ, ſeu paruæ ſint, ſedulò operam pręſtamus, nec laborum tædet, nec aſperitatis, nullo vituperante. Quo more ſi quis erga diuites & fortunatos viros vtatur, ut eis ita inſeruiat, & cunctis in rebus obſequatur, vituperationes incurrat amicorum pariter, & inimicorũ: iſti abiectionem animi & ſeruilem aſſentationem exprobauerint, illi ſtultitiam corripiant, & ſeruitutis amici ſui pudeat: nõ enim ſi permittitur celſitudinem animi inflectere aduerſus pulchritudinem, quæ ſacra res eſt, & cœleſtis, propterea pecuniæ, vel potentiæ alicuius acquirendæ gratia idem moliri deceat, quum hęc longe inferiora ſint bona, quàm ut illis ſubmittere animum conueniat: quæ ratio etiam efficit, ut pulchritudini maxima, cæteris rebus reuerentia pene nulla habeatur. Nam potentes viri quodcunq; concupiſcunt, ſi adipiſci aliter non eſt facultas, rapiunt & auferunt: vt enim liceat, potentia præbet: vt libeat, emolumentum ſuadet. At nemo, niſi rudis admodum & immanis, audeat pulchritudinem poſſidentibus vim inferre, ſed manſuetudine, obſequijs, donis eorum animos deliniunt: demum tanquam Deos quoſdam orant, vt propitij ſint. Magnum enim (vt ante dixi) numen pulchritudo, propterea id verentur, quia non aliunde de illo auditione & fama accepẽrũt, ſed intra ſe maiori quadam vi verſari ſentiunt: nulla autem res alia humanos animos ęquè concitat & inflammat. Eget aliquis ſapientia, adeſſe hãc ſibi exoptat, nihil vlterius animo patitur: eget amicitijs, eodem modo: eget diuitijs, has fortaſſe paulò cupidiùs expetit. At vbi pulchrorũ Amor afflauerit, tunc veluti furore ſacro percitus vix mente conſtabit, non ſuo, ſed alieno rapietur arbitrio, & maiore ſe concuti flamma agnoſcet, quàm mortale pectus ferre valeat, adeo quòd crebra ſuſpiria excitantur, nulla cura ſit cibi, nulla ſomni. Non aduocat pulchritudo amatorias potiones, non herbarũ, non carminum venena, nõ alias maleficas artes: ſatis ipſa per ſe poteſt ferociam quoruncunq; animorum flectere, & ad ſe conuertere omni veneficio potentiùs, omniq; magico cantu celeriùs. Atq; eò maximè commendo pulchritudinem, quòd blandè cogit, & humaniter, quemadmodum ſapientis viri grauis, prudẽſq; oratio, cui eam comparo: hęc enim influens leniter vi ſua trahit auditorem ſponte manus dantem, & ſe alacriter conſtringi permittentem, quod vinculum firmiſſimũ eſt & diuturnum, libenter trahi. Sic pulchritudo regnat in animis hominum ſponte, & tanq; ſuadendo, non ferro, verberibus, minis agendo, veluti efferus, & immitis Tyrãnus, qui tamẽ ſępius de potentia deijcitur contrarijs armis: nullum enim iugum in liberos homines ſeruitutem detractantes laudabile, aut perpetuum eſſe poteſt. Sed animaduertere pariter licet, quantum elaborent homines, vt virtutes patefaciant, dum per illas quędam ſibi

dam ſibi parare commoda contendunt. Sapiens in oratione ſe ipſum oſtendit, fortis in periculis, largus in erogandis opibus, iuſtus in tribuendo cuiq; ſuum: pulchritudinem ſoli qui poſſident ſedentes, vel etiam dormientes bonũ ſuum proferunt omnibus, propter quod impetrant nullo labore quæcunque optauerint: ijdem cum cœlo maximam habere cognationem creduntur, tum quia ab eo omne pulchrum defluit corpus, tum verò quia in cœlo pulchra cuncta, & pulchrum pulchro cognatum eſſe conſtat. Quin etiam veſtra hæc corpora tam affabre expolita ſapientes viri idola eſſe arbitrantur cœleſtis illius pulchritudinis in terris nobis tradita, vt horum inſpectio & veneratio maximæ illius & eminentis pulchritudinis memoriam referret. An non tibi vera dicere videor? Mihi quidem (inquit) videreris, ſi ſuadere potuiſſes illis viris, qui inter vos habiti ſunt ſapientes, ne mulierum amorem tantopere deteſtarentur. Non inficias (inquã) iero, mea lux, quin potius profiteor, quòd mulierum amor decidit in infamiam, calumniámque ſæpius magnam perpeſſus eſt ob extraordinarias corporis voluptates, quas plurimi per eum petunt: tamen id fit vitio eorum, qui amorem, rem præclaram, & ſponte ſua laudabilem, & a natura (vt ante dixi) inductã, ad deterrima inflectunt. Non enim decet amatorem effrene quippiam cogitare, quod pudoris & tẽperantiæ legibus contrarium ſit. Enimuero Deus ipſe ab anima manare voluit in corpora pulchritudinem: ideo exanimi corpore nihil deformius. Sed & illa ad animam pariter ſpectant, quæ maiori digna ſunt amore, pudor, fides, temperantia, morúmq; adiuncta comitati probitas. Quum igitur pulchritudo omnis in hominibus vel animæ ſit, vel per animam exiſtat, ſi quis contra hoc Dei inſtitutum non animum, ſed corpus amauerit mulieris, vt poſſideat & fœdè cõtrectet, Deum ſentiet iratum: plus enim hic amore nocuerit, quàm alius odio. Mihi ſatis fuerit, ſi in animum penetrauero tuum, nam a corporis tui tactu refugiam. Inſanirem prorſus (inquit) ſi tactũ tuum morarer.

Et me (inquam) nónne inſanire arbitrareris, ſi pulchritudinem profeſſus amare, quæ maximè diſiuncta ſunt quærerem? nam tactus profectò quàm ipſa pulchra ſis nunquam percipiet, cæcus eſt etenim. At ego (inquit) hunc cæcum nimis malè metuo, quem tamẽ mihi facillimũ eſſet fallere, niſi adhibere eum is poſſet, qui oculos habet. Nulla (inquam) opus eſt fallacia. An ego audeam, quem Cupidine victo ſpecioſiſſimum ducis triumphum, furioſe peruertere? vel aliquo audente tu id permittes? nequaq;: quid enim tibi incolume ſuperfuturum eſt confracto pudore? Speculum (inquit) & acus. Recte (inquam) narras: nam vrbanas alias res & minimè bellicas ſexus veſter nequit attingere: ideo vnica commiſſa caſtitas vita prius cuſtodienda eſt vobis. DIO. Tu igitur amicam tuam, ſeu mauis dominam, non ſolum verbis tuis ſapientiorem, ſed modeſtiorem etiam reddebas? DEIT. Quid ni? quum exiſtimem eſſe hoc præcipuũ veri amatoris opus, efficere hortando & monendo, vt peramata mulier, quam ſe cariorem habet, omnia eius conſilia & cogitationes ad honeſtatem decúſq; referat: nihil in ea ſit turpe, nihil ſordidum, nihil illiberale: nulla enim turpitudo maior reperietur, quàm libidini ſuæ inferiorem ſexum proſternere, quem regere conſilio oportebat. Itaq; Theodotæ tunc apertiſſimè dixi, & plurimis verbis confirmaui,

maui,nihil me magis inter eius mores, quàm pudicitiam amare: quod illa ita lætanter excepiſſe viſa eſt, tanquam ſi ex anguſtijs & ſuſpectis inſidijs in apertum campum veniſſet. Atq; vbi ſic erectam animo video, tum illa etiam ſubdidi, per quæ intelligeret amorem non modò virtutes non fugere, ſed eas maximè adducere. Et hactenus (inquam) Theodota quantus ſit amor erga te meus, & quæ ſit eius ratio, declaraui. Quid autem per hūc conſequutus fuerim, nondum narraui, quod tamen fuerat narrandum, vt percipias quantum tibi debeam: ſi qua enim virtute inter æquales eluceo, tu ſemen eius fuiſti. Nulla enim res magis ingenium quàm amor excitauerit. Meminiſti ipſa proximè, quomodo in equeſtri certamine Andreonem Giganteæ molis virum ſtrauerim, & arenæ mandarim, ſed non prius, quàm te ſpectatricem pugnæ notaui: & forte oculorum me tunc tuorum flagrantia percuſſit, tum mihi ſuccreſcere vires, & propter audaciam animus magis incaleſcere: quod autem ſub Imperatricis meæ oculis periculū adire formidem? Quid dicam de reliquis? non enim mediocrem adhibeo curam, vt tibi placeam dote & cultu corporis, vt elegantia morum, vt compto ſermone. Nunquam mihi viſus ſum antea auarus fuiſſe & ſordidus, tamē ſimulac amare te cœpi, auxi munificentiam ita, vt nemini cedam ſplendore domeſtico. Vides ipſa magnificentiam ædium mearum, ſeruitium, equitatum, ſupellectilem, quæ non tam mihi paraui, quàm omnibus, gratiúſq; eſt meorum aliquid elargiri, quàm ab alio dona ſumere. Nuper ad ſtudia lapſus literarum poëma aliquod condere meditor abditiſſimis de rebus: niſi carmine fortaſſe nomen tuū ornare maluero, & ſupra ſidera efferre: hæc enim aliquem laudis fructum ferentia, nulla aut perexigua admodum fuiſſent, niſi ſtudium vertendi oculos in me tuos ſtimulum menti admoſſet. DIO. Credo reſpondiſſe illam tunc tibi gaudere ſe, ſi quid ſui cauſa tibi obueniſſet boni. DEIT. Conuenit, hoc enim reſpondit. DIO. At illud potius conuenit, vt reſpondeas ipſe, num idem omnibus contingat, qui amant. DEIT. Si non omnibus, at pluribus: ſi non pluribus, at quibuſdam certè. Scimus enim quoſdam non a parentibus, non a magiſtris, non a ſodalibus impelli primo ætatis tempore potuiſſe, vt præclaræ alicui ſe traderent diſciplinæ: hos deinde, veluti a ſomno excitos, mulieris cuiuſpiam amor medias in artes immiſit. Itaq; alij ius ciuile, alij philoſophiam, alij militiam didicerunt tam egregiè támq; perfectè, vt cum præſtantiſſimis ætatis ſuę viris collocarentur. Sic dum pręclaro quodam artificio percepto cōmendare ſe ſtudent alteri, ſibi ipſis magis ſe commendarunt, & qui alieni corporis pulchritudinem mirabantur longè pulchriores animos ſuos effecerunt: ſic deinceps ob virtutem in populorum & gentium notitiam facti, quum antea non modò nemo eos noſceret, ſed ne ipſorummet quidem notitiam vllam haberent. Cui amor hic non placeat, qui ingeniorum faces antea extinctas exſuſcitat, & ad lumina prouehit virtutū? Nam (vt ſummatim dicam) inter amorem illum impurum, ſceleſtum, flagitioſum, & hunc pium, caſtum, & pudentem, hoc intereſt, quòd ille prior in alieno corpore voluptates corporis quibuſcunq; poteſt ſenſibus expiſcatus, animum ſordidiſſimis rebus opprimit atq; immergit, vt nulla valeat deinceps altius meditari: at vbi animo diligitur alienus animus, habitans in corpore ſuo pręclarè, tunc is animus nobilitatur,

& illi ad egregia quæq; facinora dux eſt hic amor, & magiſter. Hæc in familiari colloquutione ipſum tunc memini narrare mihi Deitaiutũ verbis ſuis, quæ memoria digna tunc credidi, & nunc retuli, vt ijſdem vos optimi iuuenes veſtigijs incedatis. Neq; enim nunc aliud ſupereſt, niſi quòd forſitan hunc me amorem delectiſſimis verbis & grauiſſimis ſententiarum luminibus ornare deceret, quod, quoniam paupere vena fluit ingenium, relinquo: malo enim integram rem, quàm delibatam æſtimationi veſtrę permittere. MAR. Atqui oportebat te laudes eius celebrare, & veluti in ſcena res ageretur, tragicum addere boatum: quanquam (vt dicam quod ſentio) non tam moleſtè fero, quòd non laudatus, quàm quòd nullo modo laudabilis. Malus omnino ille, qui voluptatẽ corporis ſibi proponit: ſed nec iſte bonus. Timeo adoleſcẽti, ſi ſe illi commiſerit. DIO. Miſerum me, quid times? an ne vt adulter lege Iulia damnetur, qui oculos tantùm & aures in nuptam intendit, nihil curat cætera. MAR. Timeo (inquam) ne caſtus hic amor paulatim ad impudicitiam defluat, ita pendulo, & lubrico gradu ſtetit. Quamobrem quomodo defendam eum, qui nouum hunc amandi morem ſequitur, non comperio. DIO. Minus ego cõperio, cur defenſionẽ quæras ei, qui nihil peccat, quem nulla lex reum tenet. Nec verò tale amandi genus, etiam ſi multum cogitaueris, atq; vt cogites rogo, inuenies populorũ moribus improbatum, aut a prudentiſſimis viris relictum, quod ex ſcriptorũ monumentis elici poteſt. Nam quum veteres Poëtę furta Veneris & flagitia ſua carminibus celebrarent, recentiores, qui affectus amantium non minus enucleatè exprimunt verſibus, ſummis attollunt laudibus pudicitiam puellarum, quarum pulchritudinem deperire fatentur, quaſi hoc ament modo, quẽ paulo ante deſcripſimus. Intelligunt enim quã vituperabile ſit præconium pudicitiæ imminutæ. Venit etiã in mentem Socratis & Platonis, qui ephebos nõnullos adamauiſſe dicuntur, quum ſe animorũ pulchritudine dicerent delectari, quæ in illa corpora redundaret: nihil autem flagitij concepiſſe animo illos viros perſpicuũ eſt. MAR. Pugnas mecum exemplis, quibus tamen non admodum moueor: nam poëtę noſtri, quorum ſcripta laudas amatoria, adulatoriè accuſant feritatem puellarum, tanquã non redardeſcant, & in amore minimè reſpondeant, ſicut ille, qui quum dixiſſet puellam ſuam primis niuibus fore candidiorem addidit etiam gelidiorem, quaſi cupidinis face nequeat incaleſcere, ex vna ſimilitudine geminam exprimens laudem, animi vnam, corporis alteram. Hoc idem alter non minus commodè deduxit, oſtendens ſe laudare mulierem, vt pudicam: amare, vt impudicam: nam ſi obſequio, ſedulitate, fide, amoris ſui igne fœmineum pectus expugnaſſet, quadrigas dixit conſcenſurum, & non viuentis puellæ, ſed abſciſſę rupis, & fracti ſcopuli imaginem in triumpho laturum: expugnaſſe autem tunc ſe putat, quandocunque pulchro puellæ corpore arbitratu ſuo perfrui illa ſeipſam tradente contingat. Ita etenim narrat, & eo etiam id tacente quiuis intelligeret: nemo etenim iſtorum ſic amat, vt non ſæpius intemperantium aliquid & abſurdorum concedi ſibi propter beneuolentiam velit. Pulchritudinem laudant puellarum: ſed eam, quã ſub clauſa luce digitis melius optant contemplari. Hinc eorum vnus, quum nocturnis (vt fit) in tenebris manum puellæ tenuiſſet, ad

papillas etiam ea concedente veniſſet, noctem carmine ſuo veneratur, quæ tanto ſe gaudio perfuderit: ait enim ſe iam diem auerſari, & noctem ſolam ſibi eſſe in delitijs, huius deſiderio teneri, placere ſibi iam mortem, & Ditis regiam, quia tenebricoſa ſunt, & noctis colorem induerint, ſe poſthac atris tantùm vſurum veſtibus, nec alio tempore deambulare, oſtendereq́ue ſe velle, quàm noctu: & omnia ſua negotia cura & ſolicitudine fore nocturna, adeo nox altè hæſit, quæ dominum tactus illum conſtituit, vt talia multa garriat, quæ & ſi lepida, & arguta, & digna poëtarum luſibus vocaueris, eſto, hic tamen illis verſibus apertè fatetur ſe plurimi tactum facere, non inſpicere tantùm, aut inſpici placuiſſe. Quo verò Socrates & Plato adducitur? concedi id illis, quod perhibes, potuit, ſapientes enim fuerunt: ipſi enim nondum ſapientes ſumus: quum ſapientiam adepti fuerimus, faciemus quod iuſſerit. Interim haud tutum fuerit infirmum ingenium his amorum fluctibus committere, præſertim quum amatur mulier, & ſexus diuerſitas, quid fieri poſſit, magis admoneat: quanquam verius dixerim illos philoſophos nunquam amaſſe, ſed ſimulaſſe amorem, vt ad ſe illectos adoleſcentulos fingerent, erudirēt, & doctrinæ pulchritudine formoſiores pręſtarēt. Quod verò ad Deitaiutum attinet, cuius præceptis ais te inſtructum, noui equidem hominem facillimis & his noſtris quotidianis moribus præditum, vt pote qui Deliam meretricem ſplendidam diu tenuerit in concubinatu: quòd tamen hæc præcipere ſoleat, id ex te nunc primum audiui. Veruntamen ex ſermone, quem cum Theodota habitum refers, vituperaret alius forſitan, quòd nimis adulatoriè extuliſſet formam mulieris: non enim id eſſe purè amantis. Ego tamen hominem excuſatum habeo, fieri id ſolet: laudo etiam ingenium, quòd ſecretò remotis arbitris alloqui voluerit, vt a te dictum eſt, eiuſmodi ſunt tempora: metuebat, ne ſi palam illa diceret, accuſaretur a ſodalium quolibet, quòd ad pudicitiam hortatus eſſet. Sed Deitaiutum iam omittamus: non enim hominis vnius, ſed rei ipſius gratia ſermonem a te nuper allatum diſcutere oportet. DIO. Nimis acerbè amicum meum Deitaiutum inſequeris, attamen illo (vt vis) omiſſo, ego arbitror reperiri nunc plurimos amatores, qui ſe his finibus teneant, quos antea notaui. MAR. Tu verò plurimos? noli quæſo diſſimulare. An non facillimè intelligi putas, quàm difficillimum factu ſit: vt quiſpiam a pulchra, dilecta, obſequente iuuencula manus teneat? DIO. Minimè opus eſt manibus, oculis tantùm res agetur. MAR. Dolebunt oculi, ſi a tactu deſerantur: ipſa enim flagitia, (ſi nondum intelligis) oculis primò concipiuntur, atque adeo tota ferè libido oculorum eſt, qui humano generi nocuerunt hactenus, nocebúntque ſemper plurimum ſuis cupiditatibus. Nā honoris, opum, pecuniæ immodica cupido non aliunde, quàm per oculos exiſtit: reliquę animæ perturbationes eadē hac ianua ingrediūtur: voluptas etiā corporis quātò quæque fœdior, tātò magis de aſpectu impellitur. Quāobrem quum tam importunus ſit iſte ſenſus, quomodo poterit quiſpiā tutò illi concredere amorem mulieris, rem, quę ſpontè ſua irritare ſolet ad lapſum, quum & amor cupiditatem iam incenſam indicet, & mulier maxima mali ſit illecebra? Itaque quis eſt ita obſecro mulieris amator, vt ſacri, quod attrectare nolit? nemo, vt opinor: niſi fortaſſe is, qui conſpecta mulieris

pulchritudine

pulchritudine rigeat, & tanquam Meduſam viderit, in lapidem vertatur, vt tu dicebas, lapis enim illud faceret: vir autem, qui humanos ſenſus non deſeruiſſet, non ſpectauerit tantummodo mulierem, ſed ſpectauerit quidem primò, mox ſi aderit facultas, oſcula ferre volet, ac ne nuda quidem oſcula, impellit enim libido, feruenti (vt ait Perſius) tincta veneno. Sapienter & egregiè Virgilius, qui dum in venatione facit Æneam, & Didonem tempeſtate mox cœli facta dilapſis comitibus in eandem ſpeluncam conueniſſe, vlterius nihil dicit quid ſit actum, putans id manifeſtum fore, nec egere ſermone, ſatis eſt oblatam occaſionem oſtendiſſe, etiam ſi nil aliud dicatur: quòd ſi quis vltra interrogare pergat, irrideatur, ſicut ille in Eunucho,

Quid tum? quid tum fatue? fateor.

Si poſtularem de te, vt amorem mihi illum tantum diffinires, quo erga mulieres mouemur, diceres amorem illum cupiditatem eſſe muliebris pulchritudinis fruendæ. An non ita diceres? DIO. Ita. MAR. Hunc amorem eſſe laudabilem, ſi a fluxu contineat ſe luxuriæ: & hoc dicis. DIO. Dico equidem. MAR. Vter igitur ſermo magis audiendus, an is, quo cupidum amantem facis? an quo continentem? vtraq; enim malè hærent: ſi cupere per mittis, aufer continentiam: ſi continere iubes, effice ne cupiat: verendum eſt enim ne cupiditas incenſa continentiam ferre non poſſit, quam illi a latere veluti pedagogum affixiſti. Tu etiam atq; etiam conſidera, & vide ne hæc Tantali ſit pœna medio in flumine ſitientis. Quæro etiam, ſi furioſum domi habeas ſeruum, qui arma ad cędem quærat, num tu illum media in inſania in armamentarium deduceres? imo ne gladiolum quidem oſtenderes: nempe furor contrarius eſt rationi. Sic ſenſus noſtri furore pleni, qui aduerſus rationem aſſiduè præliantur: his tu furentibus venuſtam obijcis puellam, quam cupiant, vt deinceps contemnant: mirabuntur omnes rem: nec illa minus, quæ amatur, tanquam marmoreus eſſes factus, vel vmbram hominis videret: Magna certè dubitatio, ne in illicita & inconceſſa impetus fiat. Venire igitur in dubium, quid actura ſit furioſa ſenſuum familia, quum pabulum adſit furoris, cuius laudis eſt? Nam, vt euadat periculum, cui ſponte ſe quis obiecerit videns rarum quenq; ex illo enatare, fortunati nomen induet, ſapientis amittet. DIO. Ergo aduerſus ſenſuum illecebras repugnare non potero? MAR. Malum ni poſſis, quod etiam imbecilliſſimo cuiq; aduerſus fortiſſimum contingit? DIO. Quin etiam vincere potero. MAR. Beatus eſſes, ſi vincere poſſes tantummodo, ac non etiam vinci: veruntamen ſi vincere exoptas, eripe te fuga ab hoc hoſte quàm potes longiſſimè: ſin te obijcis illi tanquam repugnaturus cominus, facile capieris. DIO. Quod genus hoſtis mihi narras? MAR. Huiuſmodi, quod terga vertendo debellabis: ſin congredieris, propius eſt, ut uincaris: nec id mirum, nam venena etiam quis tutò vincat faciliq; victoria, ſi deſerat, non ſi contrectans aduerſus illa remedijs ſe muniat: tunc enim in apertum diſcrimen ſalus vocatur. DIO. Ego tamen (vt idem iterum atq; iterũ repetam) arbitror inueniri poſſe non neminem, qui nitidiſſimã amans puellam ne digitulo quidem ſummo cupiat eam attingere: tantum in humano animo colloco virtutis. MAR. Pertinax es, vt video, duræq; (vt aiunt) ceruicis: vnde enim inuenietur homo ſic agens? ſed fac inueniri: oẽs putabunt ligneũ eſſe quoddã, aut marmoreum

ſignum, & forſitan quiſpiam veluti ſtuporem quendam, qui nihil videat, nihil audiat, nihil ſentiat (& ſi ruſticius id ſit dictu, dicam tamen) libẽter proiecerit in olidam & bene profundam lacunam, miſericordiæ ſcilicet cauſa, ſi forſitan illic conuolutus recipere hominis ſenſum poſſit, & veternũ deponere. DIO. Siccine agis? MAR. Sic ago, quia cupio te commonefacere, ſententiã hanc tuam, quam in amore dixiſti, minus naturæ congruere, minus etiam conuenire hominum opinionibus, qui ita exiſtimant, quòd quemadmodum nulla eſt ebrietas ſine vino, vel ſi eſt quædam de alijs potionibus, non tamen ſumma & perfecta, ſic omnem maris, & fœminę amorem caſſum & imbecillum eſſe arbitrantur, niſi veneris cõſenſus adſit: hunc enim perficere, quod in amore mancum fuerat & debile. Sed nolo tecum contendere diutius, amici enim ſumus. Itaq; do hoc non modò tibi, ſed etiam tui cauſa pluribus, vt ament, quemadmodum a te deſcriptum eſt temperantéſq;, vt ſunt, ita etiam exiſtimentur. Tu hos fœlices putas? Eſt enim fœlicitas finis actionum noſtrarum: ad hanc quæcunq; gerimus referuntur, ipſa autem nunq; alio refertur: ideo votis omnibus, vt ſupremum bonum, expetitur, & eius conſequendæ cauſa omnia comparantur? Tu igitur ſic cum mulieribus agentes fœlices putas. DIO. Equidem puto. MAR. Nę, ſi ita eſt, perpetuam vellem eſſe hanc fœlicitatem: ſed quàm diu manebit? non veniam ad aliam mulierem, quàm ad Helenam tuam laudatiſſimam formæ bono: tametſi quidam non improbatus omnino auctor tradiderit candidulam tantũmodo fuiſſe, procero collo, voce canora, veluti Cycni filiam. credamus nos tamen Homero magis & famæ tot annorum: fuerit, vt a te dictum eſt, pulchritudinis lumen, adeo vt raptor huius Alexander viſus fuerit cunctam Græciam populari. Sed iſtam ipſam conſenuiſſe num te latet? de qua egregius Poëta cecinit,

> Fleuit, vt in ſpeculo rugas conſpexit aniles
> Tyndaris, & ſecum cur ſit bis rapta requirit.

Sed non illa tantùm, imo quilibet admirãs diceret: ergo vetulæ huius gratia, & propter canos hos & rugas decennali bello Aſia, Græciáq; conflixit, euerſum Ilium, & neptunia Pergama conciderunt? DIO. Non rectè in argumẽto verſaretur qui ſic diceret: nõ enim pro ſene pugnatum eſt, ſed dum viuum ſpiraret oculis decus, & effulgeſceret vndiq; læto frontis lumine. Res autem perinde eſt, ac ſi quis flores deſpiciat languidos iam arefactóſq; contẽplatus, nec conſideret quomodo eniteſcerent antea, quãq; tunc ſpectantiũ oculos demulcerent: non enim parum ſic agens abſurdus eſſet. MAR. Imo prudentiſſimus omnium hic vir eſſet, ſi faſtidiret omne, quod ſpeciem habeat tam facile ſponte ſua labentem: debemus enim de fœlicitate omnes eſſe ſoliciti, quæ ſi deſinere poteſt, fœlicitas nunquã fuit: quãdoquidem hoc fœlicitatis eſt præcipuum, ſecuro & inexpugnabili bono eſſe ſeptum. Sed vides ipſe incõſtantiã rei: nam qui Helenam florẽti in ætatula amauerit, nunc ſenio affectam aſpicere haud ſuſtineat. DIO. Ne fueris admiratus, dicetur enim non eſſe hanc Helenam illam. MAR. Quid cauſæ? An quia ſpeciem deturparunt anni, & cutis ipſa ſuũ variauit aſpectum? DIO. Rem tenes. MAR. Attamen eſt hæc Tyndaro prognata, Iouis & Ledæ filia, Menelai vxor, rapta per Paridem, & a cũcta Gręcia mille nauium claſſe vindicata, Homerico inſignis præconio. DIO. Eſt profectò, neq; enim verum inficiabor. MAR. Ergo eadem eſt

mulier,

mulier, q̃uis flacceſcente forma: ſicuti flores, q̃uis emarcuerint, ijdem tamen flores, & tamen ſicuti ipſis floribus, ita in mulieribus: deſeruntur enim vbi color exciderit. Hinc illa anus in comœdia conferens cum iuuencula quadam ſermonem,

Vide (inquit) quæ ſim, & quæ fui ante:
Nihilo ego quam nunc tu amata ſum, atq; vni modò geſſi morem,
Qui pol me, vbi ætate hoc caput colorem commutauit,
Reliquit, deſeruitq; me, tibi idem futurum credo.

DIO. Omnino (vt te abſoluam) nemo libenter rugas, & canos amauerit. MAR. Quò igitur pertinebat illa tua oratio, dum diceres in mulieribus amari præcipuè ingenium earum, modeſtiam, pudorem, fidem, mores deniq;, & virtutes, & ſuauem vocis ſonum: hæc enim meliore inſunt nota ſub ipſis canis atq; rugis? Anum igitur mulierem optimis præditam moribus, ſuauiſſimè colloquentem magis atq; magis amaueris, q̃uis edentula ſit, & pro aureo argenteum crinem oſtendat. DIO. Longè abſit, vt nudam dentibus mulierem amare poſſim. MAR. Quid? tu virtutem concidere cum dentibus putas? DIO. Nequaq; hoc puto, ridiculum enim eſſet. Sed illud exiſtimauerim, quòd in formoſo corpore virtus magis eniteat, & oſtendatur gratior. MAR. Caue, ne abſurdè te habeas magis, ſi exiſtimaueris a forma corporis ornamenta quædam ducere virtutem, quum ipſa omni luce prius refulgeat. Sed nemo (mihi crede) rationem ducit virtutis in mulieribus: ſola pulchritudo, quæ præcipua eſt in illis, vt tu dicebas, præcordia iuuenum inflammat: neq; id latuit ſummum illum poëtam noſtrum, cuius tale eſt carmen in duodecimo (vt opinor)

Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro
Si quis ebur, vel mixta rubent vbi lilia multa
Alba roſa: tales virgo dabat ore colores.

Hic de moribus & virtute mentio nulla, ſed tantum expreſſa imago quædam pulchritudinis: magnus enim decor ille, vbi viuax rubor genarum candorem accendit, & ob id ſubtexuit idem poëta,

Illum turbat amor, figitq; in virgine vultus.

Quid ille alter, qui dixit?

Nequitiam fugio, fugientem forma reducit:
Auerſor morum crimina, corpus amo.

Apertè (vt opinor) fatetur ſe damnatis moribus vi formæ trahi, tanq̃ captiuum: hinc etiam dicebat,

Odero ſi potero, ſi non, inuitus amabo,
Nec iuga taurus amat, quæ tamen odit, habet.

DIO. Attamen ex aduerſo inuenies quoſdã dicere, ſe non minus mulierum virtutibus, q̃ forma eſſe captos. Et mihi contigit vidiſſe ſæpius mulieres non nullas corpore ſatis informes ardenter peramatas a quibuſdam, vel propter canendi peritiam, vel pangendi carminis ſtudium, vel lanificij induſtriã ſingularem, vel propter tale quid aliud: ſic ingenij bonum illis vicem pulchritudinis corporeæ præſtabat, vel efficiebat forſitan, vt formoſę viderentur, quum non eſſent, quod oſtendit illud, quod eſt a lyrica Sappho ad Phaonem: erat enim Sappho, (vt ipſa inquit) difficilis formæ,

At quum me legeres, etiam formoſa videbar:
Vnam iurabas vſque decere loqui.

MAR. Hoc vltimũ puto verius, vt formoſæ apparerent, quum non eſſent: nam antea diſputationis huius initio conſenſimus plures turpium mulierum eſſe amatores, quum tamẽ illis non turpes videantur: cæcutientes enim amor facit, & iam vulgi ore iactatur ſermo, nõ eſſe pulchrum, quod eſt pulchrum, ſed quod placet. Neq; ego nego amari in mulieribus mores, ſed mores ſolos amari niſi accedente pariter corporis ſpecie, quæ etſi non inſit, ineſſe tamen amatoribus videatur. At ſunt qui dicant, ſe non mulierũ forma, ſed moribus tangi. Credo fortaſſe id illis videri: ſed examinent ſe ipſos & excutiant, ne fallantur, & ignorent quales ſint: hoc autẽ examen, vt perquirant ſecum, an mulierem canam & rugoſam virtute tunc auctam, & forma defectam poterunt amare: ſi inuenerint non poſſe, apparebit perſpicuè in quam partem amore ferantur. DIO. Nihil eſt quòd diutius hanc rem ſecum euoluant, hoc enim audito clamabunt ſcio omnes, ſe roſam diligere, nõ ſpinam: non enim minus graue illis videbitur mulierem anum cõplecti, quàm ſi ſtimulum induerint, ne ſi anus illa quidem tot numero virtutes habeat, quot canos atque rugas. MAR. Non igitur virtus, ſed facies in pretio eſt, & amatur, quamobrem diſcedit amor abeunte illo, propter quod aderat. Sed vis ne iam colligamus, quæ diſputatione hac confecta ſunt nobis? DIO. Volo. MAR. Mulierẽ igitur non eſſe propter commixtionem corporis amandam adeo ipſe copioſe & eleganter docuiſti, vt nihil addi poſſit: ne ingenium quidem & mores ſpectari, ſuperior (vt mihi videtur) ratio ſatis luculenter expreſſit. Reliquũ eſt, vt cauſã amori prębeat ſola corporis formoſitas: hãc enim tu magnifaciebas. DIO. Et nunc etiam magnifacio, hanc colendam arbitror, & diuinũ quoddam in hominibus eſſe bonum puto. Idem credo videri cæteris, niſi ſint cæci, vel tenebrę ſe circunfundant: nã tunc pulchritudo deliteſcit. Rectéq; videtur dixiſſe mulier illa, quæ quum a Philippo Rege Macedonum inuita traheretur, Dimitte me (inquit) nam inter mulieres nihil ſublata intereſt lucerna. MAR. Iamdudũ intelligo, quòd præſens ſermo ad oculatos pertinet, & vbi pulchritudo in conſpicuo poſita eſt. Attamen noli nocturnũ tempus tam valde contemnere, quod multis gratius diurno, qui pro minimo habent pulchritudinem muliebrem videre, modò inter manus illam habeant: horũ iudicium forſitan a tuo diſcrepat. Sed miſſos facio cęteros, de quibus nondum compertum habemus, quid ſentiant, ſciam certum poſtquam audiuero: ad te venio, qui pulchritudinẽ corporis multis effers ſermonibus. Ego tamẽ antea oſtenderam fluxam eſſe hanc, & fragilem, & caducam, & nullius arbitrabar prudentiæ flagranti inſequi cupiditate quod tam celeriter auolat vnà cum ætate, vt penè dici poſſit, antequam floruerit, defloruiſſe. An non hæc dicta ſunt? DIO. Dicta. MAR. Illud quoq; poſſum addere, de quò ipſe me nuper admonuiſti, tam eſſe anguſtum pulchritudinis bonũ, vt magna temporis parte lateat, id eſt inter noctis tenebras, nec eũ attingat, cui caſu vel culpa oculi ſint erepti. Sed omitto iam hoc, ſi parũ cõmouet. Illud explanes mihi velim, quo modo exiſtat formoſitas corporis: credo enim te bene intelligere, poſtquam illam tanti facis. DIO. Expediam paucis. Quicunq; aptam induit membrorum figuram vnà cũ coloris venuſtate, is formoſus erit corpore: vt enim

omnia circunſpicias, his duobus tantùm reperies formoſitatem corporis extare, ex lineamentis ſcilicet, & colore, vtriſq; præclaris. MAR. Formoſitatem quidem corporis rectiſsimè deſcripſiſti: itaq; ad eius intelligentiam nihil amplius inquiro. Quãq; hæc tua deſcriptio Ariſtoteli forſitan non probaretur, qui pulchritudinem ait eſſe in magno corpore: paruę autem homines ſtaturæ venuſtos dicit eſſe & aptos, non pulchros: & ne quis error relinquatur in nomine, magnitudinem intelligit eam, quæ congruit naturæ humani corporis, non qualemcunq; magnitudinem: nam immoderatam & excedentem ne ipſe quidem Ariſtoteles probaret, ſed iuſta corporis magnitudo in maſculo & fœmina plurimum affert dignitatis. Hanc autem magnitudinem deſcriptio tua non complectitur, DIO. Licet ab Ariſtotele diſſentire, ſi mediocris ſtaturæ homines pulchros non putauit, modò teneant ea duo, de quibus dixi. Eos autem, qui inſigniter parui ſunt, non eſſe pulchros concedo, quia etſi habeant apta ſibi ipſis mẽbrorum officia, non tamen apta ad totum humani corporis ſtatum, qui debuit eſſe procerior. MAR. Inficiari tamen non potes, quin ſpecie præcellant corpora grandiora: ſic Mantuanus Homerus laudat Dianam, cui oberranti per montium iuga mille ſequutæ

> Hinc atq; hinc glomerantur Oreades, illa pharetrãm
> Fert humero, gradiẽnſq; Deas ſupereminet omnes.

Et de Turno illud quoq; dictum,

> Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
> Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.

Et de Anchiſa nónne audis eundẽ poëtam ſub perſona Euandri canentem?

> Mirabárq; duces Teucros, mirabar & ipſum
> Laomedontiaden: Sed cunctis altior ibat
> Anchiſes. Mihi mens iuuenili ardebat amore
> Compellare virum, & dextræ coniungere dextram.

De ipſo quoq; Laomedontiade Priamo, quem ipſe magnũ innuit extitiſſe, dictum legitur, Species Priami digna eſt imperio. Sed & illa penes eundem poëtã percunctatio Didonis ab Ænea, Quantus Achilles, ad magnitudinẽ corporis refertur, nam ex Lycophronis poëtæ teſtimonio is nouem pedũ fuiſſe perhibetur. DIO. Quid prohibet mediocris ſtaturæ homines eſſe pulchros, & ſi his alij, quos proceros ponimus, ſint pulchriores: ſunt enim in pulchritudine gradus. Multæ enim variæq; pulchritudines ſunt, quæ diſsident inter ſe non communi illa forma, vnde pulchritudines ſunt, ſed maioris minoríſq; pulchritudinis diſcrimine. Sic Nirei pulchritudo ab ea, quæ in Achille fuit, diſtabat, non quatenus pulchritudo, ſed quia minor vna, maior altera. MAR. Si Ariſtotelem non tenes, quid Galeno facies magnę quoq; auctoritatis viro, magniq; nominis? Is in libro, qui inſcribitur Traſybulus, ex tribus conſtituit corporis pulchritudinem, ex vegeto colore, ex moderata carnis copia, ex congrua membrorum coagmentatione, ſentiens (vt opinor) gracilia & obæſa corpora nõ poſſe dici pulchra, quãuis egregie ſint colorata, & membra ſibi ipſis proportione reſpondeant. DIO. Ego ex duobus tantùm pulchritudinem conſtare affirmo, ex colore, & mẽbrorum cõgruentia, nihil addo tertium. Sed vt effugiam laqueos, eam congruentiam membrorũ voco, quæ naturali diſpoſitioni aptatur, figura, numero, ſitu magnitudine,

mole,compoſitione.Quamobrem ſi me interrogabis de paruis corporibus, de gracilibus,vel obæſis,num pulchra,facile eſt reſpondere non eſſe pulchra, quum careant membrorum congruentia,quæ iuſtam molem, & magnitudinem requirit. MAR. Tu igitur illis duobus diffinis pulchritudinem, lineamentis ſcilicet,& colore? DIO. Diffinio equidem. MAR. Recipio hoc: admiror tamen,quomodo commendare tantopere hanc poſsis. DIO. Ego vero neutiq̃ commendauero, res enim ſe ipſam commendat: nam congrua membrorum deſcriptione non aliud quidq̃ videtur eſſe præclarius, nec eo ornatu, qui de coloris venit lumine: hæc per ſe ſingula mirificè oblectant, quantò magis vtraq; copulata videor facere poſſe magni? MAR. Mihi verò nihil tam vulgare videtur, q̃ ipſa corporis pulchritudo: hanc enim homunculi quidam poſſunt nobis paruo negotio tradere. DIO. Qui nam hi? MAR. Pictores hi ſunt,& ſtatuarij: nulla enim imago eſt ab illis, quæ non æqua habeat lineamentorum ſpatia, & gratiam colorum. Si igitur admirabiles ſunt hi viri, quid de populo noſtro exiſtimas, qui nullam legem poſuit, per quam huiuſmodi artificibus pręſtantes aliquos honores deferre ſit neceſſe? DIO. Sapiens videtur fuiſſe. MAR. Quæro etiam,num tu ſi liberos habeas, pictores effici hos velles? vel num pictoris filiam in matrimonium ducere? DIO. Ne ſomniare quidem id vellem. MAR. At vide, ne ſi pictor audiat loquentem,ſperare aliquid de ſe incipiat, & ſibi ipſi confidere: nã dum diceres formam eam,quæ coloribus,& lineamentis tenetur,eſſe magnifaciendam, artem ſuam ornari per te arbitraretur. DIO. Fruſtra arbitrabitur: huiuſmodi enim hominem digitorum artificio victum ſibi parantem non magnopere curabo. MAR. Cur non tandem curabis? non enim decet te nobilitatẽ,genus, diuitias inuidioſe opponere, ſed ratione confligere oportebit: ſi enim aurũ amares,& nactus eſſes homines quoſdam,qui nouo artificio aurum proferrent quotidie,nullo tuo ſumptu & labore,nonne hos multifaceres? DIO. Si tales viri inuenirentur, magno eſſent vndiq; in honore. MAR. Si virtutis amore tangereris,vt certe tangeris,poſſes ne virtutis præceptores contemnere? DIO. Hos parentum loco habendos duco. MAR. Eodem modo,quia ſecunda corporis valetudo curę eſt tibi,eos,quorum præceptis & amiſſam deducere,& pręſentem cuſtodire potes, in honore habes. DIO. Et medicos quidem ipſos honorauero. MAR. Quomodo igitur accidit hac vna in re,vt formoſa ames multum corpora, eorum autem artifices non magnopere cures? DIO. Hæc aduerſum me, rectè iacularereris, ſi conceſſiſſem tibi me ſtatuas & imagines amare,ſed ſi non conceſſi,fruſtra me iaculis tuis petis. MAR. An obſecrò ſtatuas & imagines non amas? DIO. Non tam valde amo. MAR. Nec ego tam valde te intelligo: ſi enim formoſitas corporum tibi procreat ardorem,non video, cur imagines ex arte factas,& pulchritudine præcipuas amare non debeas. Rurſus compellor redire ad pictorem, qui pro imaginibus ſuis verba faciat: aduerſus quem iam cauſam tuam meditare. Quò enim confugies,ſi ad te adeat ille cum hoc ſermone? intellexiſſe, quòd mulierũ ſummus eſſes amator, non aliò ſpectantẽ, q̃ ad membrorum aptitudinem & coloris bonitatem: itaq; oſtendere velle ſe tibi quæ pingeret corpora, vt ea pariter ex decenti ſpecie adamares. Reſpondeas fortaſſe, illa ſua omnia ficta eſſe, non vera, Ille autem maiore adhuc amore

huc amore

huc amore digna fore contendet, quia illa ficta veritatem vincerent, vel exæquarent. Et ne officinam contemnas, ſubijciet mulieres habere ſe coartifices pulchritudinis: hanc enim illas non minus pyxide & manu ſibi acquirere. Paucæ enim ad ſe comendum & poliendum contentæ ſunt ſpeculo perlucido, & aqua puriſſimi fontis, & his duobus tantùm auxilijs pulchritudine emi nere contendunt, ſed confugiunt fere omnes proprij coloris inopia ad purpuriſſum, ceruſſam, & mille alias offucias ita, vt non multum a pictis differant tabellis. Hæc ficta (inquiet) pulchritudo pro vera ſe oſtendens te non ſemel forſitan cepit: ideo non meam refugere oportet, quia ficta ſit: quin gratior eſſe debet, quia non eſt impudens, ſed ſimpliciter fictam ſe fatetur. Hæc vbi audieris, quid tunc ages? DIO. Explana ipſe pro me quid agerem. MAR. Ires (vt opinor) & hominem in officinam ſequereris, Idoláq; omnia eius diligenter contẽplatus coleres, atq; ita fœlici amore potireris. An non te in hac ſententia manente totum ad ſe raperent antiquorum artificum opera ſi extarent? veluti Myronis ex ære Bucula, tot auctorum carminibus celebrata, vel Satyrus, quem argẽtea in patina quieſcentem collocaſſe verius, quàm cælaſſe creditus eſt Stratonicus, vel Timomachi Medea aſpectans in liberos diſſimili affectu pietatis & ſæuitiæ, vel Apoxyomenos. i. ſe ipſum diſtringens, quem ante thermas Agrippæ poſitum Tiberius imperator amore eius incenſus abſtulit ſubſtituto alio ſigno, mox magna populi Romani querimonia cõmotus repoſuit. Demum alia infinita tanta arte & ingenio conficta, vt naturam ipſam exæquarent, de quibus etiam veterum ſcriptorum monumenta loquuntur. Veruntamen quoniam illa obliterauit dies, vel fortuiti caſus abſtulerunt, vetera tibi non obijcio ſimulacra. Sed quid dices ad recentia hoc ſeculo nata, noſtrorum hominum elaborata manu, veteribus haud inferiora? & ne longius abeas, habes hoc loco marmorea hæc ſigna molliſſimè fabrefacta, vt vides, ſingula adeo, vt tanquam ſpirantia poſſint fallere: & in pleriſq; eorum mirari poſſumus venas, neruos, capillum, & minutiora quæq; diligenter expreſſa: licet hæc colas, & ab illis nuſquam diſcedas. DIO. Præclaram rem exiſtimas me facturum? MAR. Iocari tibi forſitan videor, ſed tamen ita res habet. Nam ſi lineamentorum approbas pulchritudinem, eíq; amore affigeris, quid aliud fieri opus eſt, niſi vt amori tuo obtemperes, perſequẽtem nobilium artificum tabulas & ſigna, vbicunq; ſint, ſiue locis publicis, ſiue priuatis? Nam ſi intelligerem te auro atq; argento abundare, ſuaderem, vt coëmeres etiam, & quæ ex his maximè placerent in cubiculo collocares, & in peregrinationibus circumferres, quod Tyberium, & Neronem Cæſares factitaſſe traditum eſt: ſtudioſi enim erant huiuſce pulchritudinis, quam tu tantopere laudas, nec diſſimulare poterant aut volebant: nec quiſquam vt probum obiecit, cum innumerabiles eſſent illis temporibus magni illuſtréſq; viri, & ante etiam fuiſſent, qui eiſdem cupiditatibus tenerentur. Iure igitur tu idem facies, & exemplo, iudicabíſq; ob id forſitan vetuſta ſecula noſtris fœliciora, quia his delitijs magis abundarent: multa enim ex ære Corinthio ficta cælatáq; extabant,

Et cum Parrhaſij tabulis, ſignísq; Myronis
Phidiacum viuebat ebur, nec non Polycleti
Multus vbiq; labor, raræ ſine Mentore menſę,

Vt inquit

Vt inquit Satyricus. Quocunque aſpexiſſes, occurrebant ſimulacra Deorum, hominum, animalium, reliquarúmque rerum: his fora, porticus, delubra, theatra, balnea, horti, domus, villæ detinebantur. Fac ergo quod dico, non diffugiens auctoritatem illorum temporum, & hominum. Soli Iudæi inter nationes nihil fuſile, & ſculptile habere volebant, nec penes ſe extare patiebantur: nullum totis Hieroſolymis ſimulacrum videre licebat, non in ſacro, non in prophano, non in publico, non in priuato. Quamobrem, quum Herodes rex aquilam auream ingentem, ſupra fores tẽpli collocaſſet ad ornamentum fani illius, adeo id acerbè tulerunt, vt manu facta populariter inde eam deturbarint, & cõminuerint, nullam ſalutis ſuæ rationem ducentes: iuſſi deinceps Cæſarum imagines recipere, arma ſumere maluerunt. Et agebant hoc quidem literam diuinæ legis mordicus tenentes, a qua nequeunt cõuelli. Nos autem, qui ſenſum magis legis, quàm literam proſequimur, ſimulacra recipimus, modò ne quis ea habeat Deorum loco: hæc enim vna fuit prohibendi ratio, ne ſcilicet imitaremur gentes cæteras, quæ ſimulacra quorundam hominum, imo & animalium, vt Deos, venerabantur. Hærebant nanque ſtatuarum corporibus praui quidam Dęmones & illinc reſponſa petentibus & alia mira edebant. Diuinus igitur cultus illis tribuebatur, quod fieri lex vetat diuina. Cæterùm ſimulacra habere, vt ſimulacra, prohibet nemo: licet tibi ea cõpares, & intimis ædibus reponas, hiſque ſpectandis animum atque oculos paſcas, poſtquam pulchritudinem hanc corporum tanti facis. An non id facies? DIO. Vſque adeo inſanus tibi videor, vt hæc faciam? MAR. Si ſapiens futurus es amando viuam mulierem ob corporis formam, non inſanus haberis, ſi fictam eadem de cauſa amaueris: imo malle fictam debes, quia faciliimè mendo omni carebit, quod in veris corporibus neſcio an vnquàm acciderit: triginta enim numero adeſſe pulchræ mulieri oportet, vt iſtius rei æſtimatores aſſerunt, quorum vnum ſi defuerit, non eſt vndique perfecta illa pulchritudo: omnia autem facilius manu fingi poſſunt, quàm illa natura contingere. Deinceps quid inter hęc refert: nam vbi bellè fictum quid videas, adeo confundas oculos, vt ſępius putes te viuũ aliquid videre, laudabiſque figmentum, tanquã ita ſimile ſit vero, vt ipſum verum ſibi magis ſimile non videatur. Accedit nanque ad pulchritudinem formæ ſubtilitas etiam imitationis, quę maximè in ficto tenet, & vehementer oblectat: hinc factum eſt, vt infiniti homines Gnidum olim properarent, propter Praxitelis Venerem, relinquentes (vt opinor) domi, vxores, filias, ſorores, & plurimas ciues ſuas eximia præditas forma: ſed fictam pulchritudinem illi magis amabant, & præſtantiorem iudicabant. Laudaſti nuper Argiuam Helenam, háncque pulchritudinis iubar quoddam eſſe voluiſti: ſed non crediderim ad Iouis, & Lædæ filiam maiorem concurſum factum multitudinis, ſpectandi gratia, dum in humanis fuit, quàm multis poſt ſeculis, dum fuit Zeuxidis heracleotę: hanc enim ille temporibus ſuis penicillo genuit, de cuius pulchritudine poſtquam in vulgatum fuit, ingens confluxit multitudo, vt videret, quorum neminem admittebat, qui non pretium dediſſet: hinc Helena illa vulgo meretrix dici cœpta, vt Aelianus refert, quaſi quæſtum corpore faceret. Et ne leuiorem putes ob iſta amorem contigiſſe, multi etiam furioſè ſtatuas amauerunt adeo, vt eas amplecterentur, & oſcularentur: quorum nomina recenſet Athenæus

in eius

in eius conuiuialibus libellis, vt eſt in talibus curioſus. De nobili etiam illo Athenienſi adoleſcente quemadmodum bonę fortunę ſimulacrum in Prytaneo poſitum impatientius adamarit, penes eũdem Ælianum legere potuiſti. Quamobrem tradas te oportet ſignis & picturis formoſarꝝ mulierum, addo etiam virorum, modò formæ polleãt dignitate, quin auium quoq; & quadrupedum figuras bellè expreſſas recipies: nam iuſta membrorꝝ dimenſio, & coloris bonitas, vtraq; naturam referentia in illis quoq; reperietur. Sed nec in aulæis intextum quippiam venuſtè, aut ære cęlatum, aut cera deductũ negliges, quin amoribns tuis hæc quoq; digna exiſtimabis. Eſto, nihil approbas fictum: natiuas corporum pulchritudines magis amãdas cenſes. Si id iudicij eſt tui, nullos iam tibi imitatores obiicio, imaginum omnium obliuiſcor, tametſi non libenter: ſunt enim ſuauia illa ad videndum. Attamen accedo iam tibi: veras & natiuas res ad amorem proponis. Quas? equidem, quin mulierum figuris viuarũ principem præbeas locum nihil recuſo: habent enim illæ faciem magis venuſtam, & magis illicem. Sed tamen alia quoq; plura, in aliquo honore apud te eſſe deberent propter corporum pulchritudinem, quam conſectaris. Mirarer non parũ, ſi Pauo apud te nihil poſſet tam inſignis ales, tot pennarum luminibus illuſtris: hanc tu auem deſpicies, quæ Gemmea vocari ſolet? cuius caudã natura tanti exiſtimauit (ſicuti Chryſippo doctiſſimo philoſopho viſum eſt) vt propter illam animal ipſum fabricarit: quomodo etiam non placebit Cycnus niueo candore notabilis? quem etiam Læda peramaſſe dicitur: aut Taurus? ſi modo tam formoſus eſſet, quàm is fuit, quem Iuppiter induit ob Europam: aut equus, ſi talem habeas, qualem carminibus ſuis Virgilius depinxit. Quid facies Pſitaco? qui, præter id, quòd humanas reddit voces ſi edoceatur, luculentam & egregiam nactus eſt formam, viridis toto corpore, niſi quod torquẽ ceruice oſtendit minii colore, quod ipſum decus auget: an non is quoq; in grege tuorum fuerit amicorꝝ? Pantheram ſi parare tibi poſſes, & eam manſuefactam, quantum placeret? nam illius niueum candorem crebri macularum orbes intertexunt. Idem de Tigride dico, quæ iiſdem oculis notata eſt. Quid demum (vt ad leuiora veniamus) ſi Platanum haberes, qualem habuit Xerxes, an non faceres idem quid ille? nam tantus ille Rex, dum aduerſus Græciam ingentibus cum copijs properaret, obuiam habuit in Lydia platanum, cuius magnitudine & pulchritudine delectatus manſit illic diem, & tabernaculum ſub arbore collocauit, torquéſque & armillas ramis ſuſpendit, deniq; diſcedens cuſtodem & curatorem platano, tanquam amicę, reliquit. DIO. Ridiculum id quidem, & a multis ſæpe deriſum. MAR. Tu verò (vt opinor) non irrideres, ſed ſimilia faceres. Non enim poſſes nobiliſſimæ arboris ſpeciem contemnere. Nam de vite aurea, quæ racemorum loco ſmaragdos, & indicos carbunculos, & alios pretioſos lapillos ferebat, ſub qua ipſi Perſarum Reges adeuntibus ſe præbere, & reſponſa dare ſolebant, non dubito, ſi videres, quin pręcipuo amore afficereris. Sed quid illa propono, quorum non eſt copia? Ecce tibi anulum hunc meum, quem ſcio omnino amaueris propter auri fulgorem, & quia etiam aliud lumen incluſum fert, gemmam hanc ſcilicet, & non putas ſuccenſere me iam tibi, quòd in hac manens ſentẽtia amaturus es magis anulum meum, quàm me? ille enim claram habet maximè ſpeciem & illuſtrem, ego verò

non

non adeo bonis corporis excello. DIO. Multa tu quidem proponis, quorum nihil facio, nec facturus eſſem. MAR. Aut de ſententia decedas oportet, aut id videbere facturus. Nam ſi formoſitas ſola corporis tanti eſt, vt vinculum eſſe debeat virorum fortium, vt omittam reliqua, picta, ficta, ſculpta, cælatáq; omnia colere oportebit. Ego tamen ancillulam frugi magis dilexerim, quamuis diſtorto corpore ſit & impedito, quàm illa omnia formoſa. DIO. Et hoc pariter ego ipſe potius facerem, quàm illud ſuperius. MAR. Quam autem cauſam afferre poſſumus huius meæ atque tuæ ſententiæ rogantibus: non enim dicemus, quin illa picta effigiem non habeant ſpectatu iucundam? DIO. Non dicemus: hoc enim eſſet oculis carere. MAR. Sed vt mente oſtendamus abundare, quid cauſę afferemus? Ego dicerem id contingere, quia pro minimo oculorum ducitur voluptas. Quid tu? DIO. Idem videor dicturus. MAR. Vides Saluſtium grauem hiſtoriæ ſcriptorem, dum de corruptis populi Romani moribus diſſerit, dicere Romanos in Aſiam tranſgreſſos ductante exercitum L. Sylla tum in omnem aliam licentiam irrupiſſe, tum cœpiſſe per id tempus ſigna, tabulas pictas, vaſa cælata mirari: hoc improbat ſcilicet, quòd mirabantur ea veluti quædam ſumma bona, adeo vt ex omnibus delubris raperent & auferrent: Hęc enim (vt mittam iocari) vt ludicra quædam habenda erant & ſpectanda, non autem debebant vincula eſſe amoris erga fortes viros. At illi magnifaciebant, & præ cupiditate ſine his eſſe non poterant: nimis igitur oculis ſe dabant. DIO. Ita videtur. MAR. Ne igitur mulierum pariter pulchritudinem magni æſtimaueris ob id, quòd moueat oculos iucundè: maiora ſpectare debet & meliora multò, quàm colores & lineamenta, qui fœlix vir ſit amando futurus. Sed quid cætera perſequor, quum exemplo tuo te ipſum poſſim refellere? nam tu quoq; egregiam nactus es corporis formam: quid abnutas capite? quia ſcilicet oſtendere vis te illam contemnere, cuius contemptus ego quoq; teſtis accedo: cur enim te muſicis, palęſtræ, poëtarum carminibus tradidiſti? Cur philoſophorum literas attigiſti, magno ſumptu, maiore labore? niſi quia contemnis corporis tui formam, quæ etſi copioſa ſit, tamen ſi cum animi ornamentis conferatur, viſum eſt tibi quoddam bonum modicum & anguſtum, ideo plus aliquid corpore habendum putaſti: quamobrem quum tui corporis aſperneris bonum, quomodo aliena corpora iuſtè potes mirari? DIO. De mei corporis forma, deq; meis ſtudijs nihil attinet dicere: nam quid ſim neſcio, vel ſi eſſem aliquid, omittendum nunc cenſerem. Veruntamen illud ſummatim proferre poſſum, ſi mihi corporis adeſt pulchritudo, ſicuti dicis, ingrati animi eſſet non cognoſcere id Dei munus: ſin abſit, optare forſitan deberem, quandoquidem propter corporis pulchritudinem vnuſquiſq; redditur honeſtior. Illud enim magnum & pręclarum honeſti nomen, tam celebre, tantisq; philoſophorum iactatum præconijs, ad pulchritudinem etiam corporis transfertur, quod Virgilianum illud indicat.

Dardanius caput ecce puer detectus honeſtum
Qualis gemma micat, fuluum quæ diuidit aurum.

Terentius quoq; elegātiſſimi ſermonis poëta loquens de ſubditi tio Eunucho

Hem tibi (inquit) Eunuchum
Quàm liberali facie, quàm ætate integra?

Ita me

Ita me dij ament, honeſtus eſt. Et alibi eadem in fabella,

Ne comparandus hic quidem ad illum eſt, ille erat

Honeſta facie & liberali.

E conuerſo de vero eunucho verba faciens, quem victum, veternoſum, deformen facit, inhoneſtum vocat,

Illúm ne obſecro

Inhoneſtum hominem, quem mercatus eſt heri, ſenem?

Quòd ſi honeſtatis pars eſt pulchritudo, iure videor & in me poſſe amplecti, & in alijs amare, quid enim honeſtate melius? Ipſi quoq; oratores ſolent pulchritudinem corporum ſuſcipere, & huic laudationem dicere, quod non facerent, niſi & honeſtè ea dici et audiri putarent. Declaratum id quoque conſenſu populorum: nam olim penes Eleos, Lesbios, Tenedios proponi ſolitum certamen pulchritudinis inter mulieres accipimus, magnoq; id peragi ſtudio, quod oſtendit quoq; rem honeſtatis fore participem. MAR. Poëtas, & oratores, & populos arbitratu ſuo ludere ſinamus, quandoquidem illud conſtat honeſtum in virtute animi ſitum eſſe, ideo nec honeſti participem eſſe corporis formam: niſi forſitan iuuat honeſtum vocare quodcunq; ornat: ſed ornant etiam minima bona. Neq; ego abnuo corporis pulchritudinem eſſe bonum, ſed vile, tenue, anguſtum, leue, & volaticum prædico bonum: cui ſi quis præcipuo amore affigitur, longè abeſt, vt honeſtior ſit ipſe, quin potius nequior. Nemo eſt paululum habens humani cordis, quin ſapientiam animi ſibi potius exoptet, quã hanc corporis claritatem: nemo, qui non fidum habere malit amicũ, quã formoſum. Omnia hæc noſtra corporis bona, ſimulac in conſpectum venerint virtutis, concidunt, & vix apparent prę illius fulgore & lumine, pudeat tunc eorũ vilitatis ſeu potius peruerſitatis noſtræ, ſi quid vnq; illis detulimus. Nam quanta peruerſitas proponere ſibi ad amorem infima, quũ liceat vti ſupremis? Hinc periti & ſapientes viri, vbi in claro, fortiq; viro prædicant pulchritudinem hanc corporis, parcè id faciunt, nec immorantur, quoniam vident id quoq; paruum eſſe bonum: hæc potius eſt laus epheborũ, & mulierum. Virgilius nuſq; hanc dat Æneæ, niſi quũ amatur a muliere, multiſq; id agit verſibus, quoniã fabulæ, quæ tunc erat in manibus, ſeruiendũ fuit. Non admiror autem inter Græcos fuiſſe quoſdã, qui certamen pulchritudinis mulieribus inducerẽt ita, vt de ea inter ſe iudicio cõtenderent: mirarer potius, ſi in tanta populorũ inſcitia, nihil a quoq; ſtultè factum eſſet. Quid enim ſtultius, quã quũ virtutis certamen eſſe debeat inter homines, id ponere in formoſitate, quæ nõ ab animi virtute proficiſcitur, ſed naturę munere cõtingit? Rectius nõnulli Barbari, qui temperantiæ inter mulieres certamen eſſe voluerunt, ingentibus propoſitis præmijs ei, quæ viciſſet: quoniam pulchritudinem ſatis adeſſe arbitrabantur, vbi temperantia accederet: hac autem remota turpiſſima fore omnia. Atqui iam vereor, ne vterq; nõſtrum habuerit ſe ab initio huius diſputationis abſurdè admodum, atque ridiculè: ego enim principio tueri cœperam amorem illum, qui voluptate corporis maxima ex parte conſtabat, & ad quam amatores penè omnes mulierum feruntur. Oppugnaſti tu confeſtim hanc ſententiam meam vehementius, & vt verè loquar, delectabat me plurimum oratio tua, qua illam alteram orationem meam, veluti laſciuiæ patronam, meritò & iure refellebas, dum aduerſus corporis

voluptates, grauiores animi collocares, quas quum nobiles eſſe diceres, puras, lucidas, diuturnas, elegantes, graues, & virtutis dignitate, gloriæq́ ſtudio facillimè quoſlibet tolerari labores, videbare mihi altius ſcandere propter maieſtatem rerum illis vocibus ſubiectarum: oculi tunc etiam tui, quos in nos intendebas, clarius ardebant. Itaq́ orationis huius magniloquentiæ concedere coactus, de gradu pulſus ſum ne audens quidem recuſare, quin pecudis eſſet voluptarius ille amor, quem complectebar. Poſtea, dum proponeres velle te inducere laudabile aliud amandi genus, expectabam ex ſermone tuo me ad fœlicitatem ipſam peruenturum, talem ianuam patefeceras, nec ſpem hanc vlla vendidiſſem pecunia, adeo magnifaciebam. Iam animo intentus eram in craſtinum diem, quem putabam optimo auſpicio exoriri mihi, vt a quo inciperem toto animi nixu perſequi, quod mihi oſtenderes ſermone amari oportere: cogitabam enim, vt magnus euaderem & conſpiciendus: nec celare inuidioſè talia erat in animo, ſed palam facere omnia, & ciuibus meis illa proponere, vt qui ſubſequi vellent, eadem mecum fœlicitate fruerentur: ſic enim & antea pollicitus ſum. Sed ecce theſauri (vt aiunt) in carbones verſi: nihil propoſitum eſt a te, quod mediocri ſit ſtudio dignum: nam ſubinducta perſona dialogum recenſuiſti penè comicum, cui ſi fidem haberemus, mulieres vſque ad vltimam earum ſenectutem, ac tantum non tumulo conditas, amare cogeremur: quin etiam ſtatuas ipſas & picturas colere oportebat. At ego tali quadam ſpe detinebar: Adoleſcens hic proponet aliquod ad amorem nobis quod ſit hominis animo longè præſtantius, dixit enim aberrare animum, dum bonum ſuum peteret a ſenſibus, quibus ipſe multò emineret. Præclariſſima ſententia, quæ oſtendit ſanè hunc maius aliquid intueri: nunquam enim adducetur, vt amorem oculorum & aurium probatione excitatum, laudabile putet eſſe hominis bonum. Ego ſic cogitabam: tu autem aliter agis, nam primò ſenſus deſerens, non multò poſt in eoſdem tanquam in orbem obambulans recurris. Nihil ad hæc reſpondes? fortaſſe mentem tuam iam inuadit imago magnorum & excellentium virorum, qui quantum poſſunt animum ſeducunt a corporibus, & cum hac diuina ſui parte fere ſemper verſantur: quin etiam plærique eorum adeo contempſerunt videndi illecebram, vt oculorum orbauerint ſe aſpectu, quò plus animo viderent. Traditum eſt etiam viros ſapientiæ ſtudioſos olim gymnaſia eorum, & muſęa ab vrbibus collocaſſe procul, veluti auertentes ſe ab omnibus, quæ oculos auréſq́ laceſſerent: noctem etiam amicam ſtudijs arbitrabantur, tanquam tenebrę illę facerent ad percipiendam ſapientiam, menſq́ perſpiciendis rebus intenta in alto illo rerum ſilentio oculis tunc quieſcentibus clarius ſuo munere fungeretur. Num horum recordatione pudet te, quòd fœlicitatem quandam collocaris in ſpectanda corporum pulchritudine? quum præſtantium virorum exemplo deceat potius oculorum ſenſum contrahere, vt quantum fieri poteſt illo quàm minimè vtentes, longè melius animo cernamus. Inſcripta in templo Appollinus penes Delum multa fuere: inter cætera id quoque. Pulcherrimum id, quod iuſtiſſimum. Optimum ſoſpitatem habere. Iucundiſſimum re amata potiri. Sed errauit inſcriptor iſte templi, quòd ſeparauit hæc tria, quæ coniuncta ſunt natura: vnum nanque & idem eſt pulcherrimum, optimum, iucundiſſimum, quod forſitan alia in parte horum ſermo-

rum ſermo-

rum ſermonum elucebit. Sed quod ad præſentem attinet locum, non poteſt dici iucundiſſimum re amata potiri, niſi ametur id quoque, quod pulcherrimum eſt, & optimum, cui non adiuncta voluptas eſt, ſed totam in ſe ipſo poſſidet voluptatem. Quamobrem ſi amori huic tuo ne voluptatis quidem principatum defendere potes, quanam alia ratione potius extolles? DIO. Cogito quibus increpiter a te in rebus, & quare, neque id omnino ingratum: attamen ſcias non eſſe hanc ſententiam meam, ſed alterius. MAR. Deitaiuti ſcilicet: an non hunc dicis? DIO. Fuit Deitaiuti, ab illo enim audiui, & ſequebar ego: nunc autem, poſtquam confracta eſt & repudiata, nolo vt illius ſit, nec mea, ſed cuiuſdam alterius. MAR. Quis ille? DIO. Dicam quis ſit ſigno, non nomine: eſt ruffo vultu, ſubcriſpo capillo, hiſpidis genis, gracili crure, mediocri ſtatura, tenes ne? MAR. Nondum. DIO. Ventricoſus, podagroſus, libidinoſus, ſcabioſus, rugoſus, vinoſus. MAR. Adde etiam odioſus, vt ſummam expleas nominum ita deſinentium. DIO. Et rectè id etiam pro nota addi poteſt, odioſus eſt enim omnibus. MAR. Hui quàm plenus eſt iſte bonarum rerum omnium. nondum tamen noui, quem dicas, multi enim tales. DIO. Sed non tam multi falſa teſtamenta ſupponũt, & pupillum compilant. MAR. Ne pergas longius, iam teneo. DIO. Huic hanc aſcribamus ſententiam, & ſi quid præterea in ſermone occurrerit indignum, minus rectè poſitum, in hunc tanquam in ſentinam fœdiſſimam vergamus. MAR. Fiat, ſi ita vis: ſed vereor, nemo credat hanc illius eſſe ſententiam, nec ipſe agnoſcat, malíque poëtæ exiſtimemur, qui non viderimus, quæ quanq; perſonam deceat oratio: quanuis hæc ſententia, quàm dixiſti, inferior ſit omnino hominis præſtantia, attamen aliquid in ea probi elucet, & tanquam magnanimum quoddam & generoſum, quale etiam in leonibus eſſe dicitur. Refugit enim fœdas illas & obſcœnas voluptates, quæ tactu, & corporum immixtione percipiuntur, ſolo ducatu vtitur oculorum, qui ex omnibus ſenſibus maximè puro ſpiritalíq; funguntur munere. Itaque ſententiam hanc ſi homini inquinatiſſimo omniúmque ſordium labe notatiſſimo addixerimus, vide ne parum auctoritatis ſit in fabula, vitupere tque Theatrum, tanquam leonis pectus ſui vel aſino inditum fuerit. Quid autem refert ſolicitum eſſe, cuius hæc ſit ſententia, non vis iam eſſe tuam, nec Deitaiuti, ne ſit: finge te in hanc ſententiam tanquè in ignotum nummum incidiſſe, quem humi iacentem ſuſtuleris: certè tu nummum ita caſu oblatum diligenter inſpiceres vndique, retróque, vt dicitur, & ante, & ſi te eius cognitio fugeret, adires menſarium amicum tuum, qui pro te videret, quem referret ſonum, & quanti ſit, ne forſitan falleret ære contaminatus, tanquam aureus eſſet totus, vel argenteus. Idem faciendum, vbi dogma aliquod occurrit ignotum, pertinens ad mores, diligenter tentare id conuenit, & examinare, & maior quàm in nummo ſuſcipienda cura, quia maiori detrimento fallit. Nam nullum periculum eſt ſuſcipere manu, èt tractare adulterinum nummũ: ſed iniquum ſuſcipere in animo dogma, id animum corrumpit, quemadmodum corrumpitur corpus, vbi quis cibum inſalubrem ſumpſerit. Itaq; exacta adhibenda eſt præparatio, antequam ſuſcipiatur, vt eius bonitas exploretur atq; tentetur; & ſi imperitia nos teneat, cõfugiendum eſt ad artificem, ideſt ad ſolertem virum ſapientię ſtudioſum. De auctore autẽ dogmatis non laboran

 dum, quia

dum, quia nihil refert quis ille fuerit: ſicut nec in nummo refert, quis percuſſerit, vel cuius imaginem ferat. D I O. Accedere compellor iam ſententiæ tuæ, vt exiſtimem amorem hunc, quem induxi, laudabilem non eſſe, nec probum, ideo nō complectendum. Sed nunc illud occurrit, quid fiet mulieribus, ſi eas omnino reiicimus? M A R. Scio quoſdam, qui parū aut nihil ferè tribuunt mulieribus, non eas tamen omnino reijcere, ſed ita vtendum cenſent, quemadmodum igne vtimur, & aqua, idest ad neceſſaria naturæ explenda. Ego verò etiam amandas cenſeo ſanæ mentis iudicio: quia homines ſunt: imprimiſq; viri debent vxoribus mutuam beneuolentiam reddere, & filij matribus, & ſororibus fratres: eſt enim infirmior ille ſexus conſilio dirigendus, & opera ſubleuādus per eos, ad quos ſpectat. Furere verò & exardeſcere ob earū pulchritudinem (ſicuti tu opinabaris(neutiq; honeſtum puto: nec me tamen latet, q̄ difficile ſit aduerſus mulieres ſuperiorem eſſe. Nam quot reges ſibi ſeruire coëgerint, quantóſq; ferarum gentium victores ipſæ edomuerint, longum eſt & nō neceſſarium dicere: res vndiq; nota. Quid autem refert prohibere mulieres lege, ne gerant imperia & magiſtratus, ſi eæ gētibus imperant? In ipſa Lacedęmone, vbi viri optima & aſperrima diſciplina tenebantur, conſtat mulieres molliter, & in omnem licētiam diſſolutè vixiſſe, neq; id accidit legiſlatoris voluntate, ſed Lycurgum ferunt conatū mulieres ſub lege ducere, ſed quum reluctarentur, abſtinuiſſe: vbi autem in aliqua republica malè prouiſum eſt circa mulieres, neceſſe eſt dimidiam ciuitatis partem neglectā iacere, ſiquidem ciuitas ex virorū mulierūmq; conſtat multitudine, quemadmodum domus ex viro & vxore: illic quæ mala conſtituta ſunt nō ipſis modò nocent mulieribus, ſed viros quoq; ad luxum & pecuniæ cupiditatem impellunt: quæ duo maxima ſunt mala ciuitatū. Sed nos quicquid in populis geratur iam omittamus: non enim noſtrum eſt his modum imponere: plures autem ſunt, qui mulieres domeſticas ſeuerè cōtinuerunt, quos imitari & poſſumus, & debemus. D I O. Ardor igitur nunc incredibilis me tenet cōmutare ſententiam in melius, poſtquam iure reiecta eſt mea illa prior opinio: nec tamen pœnitet dictorum, nam quæ collata ſunt inter nos, diſputationem habuere non iniucundam, neq; (vt arbitror) inutilem: intelligimus enim quid in amore fugere oporteat. Quid autem ſit ſequendū, effice (potes enim) vt te poſtmodum pandente diſcamus. Sic demum egeris, quod Thebanus Iſmenias factitaſſe dicitur, qui bonos iuxta malóſq; tibicines collocans diſcipulis aiebat, hoc modo canere oportet, illo non oportet: videlicet quod optimum eſt, & quod deterius, vbi in contentionem veniunt, magis ſe ipſa oſtendunt. M A R. Non recuſo equidem laborem, ſi quid amplius eſt inquirēdum: ſed te adiungo ſocium, commune id erit onus, & communis in eo opera ponetur: quicquid quæſieris, id tecum ſcire conabor. Nam vt abutar Ouidiano carmine tanquam huc nato,

Non caret effectu, quod voluere duo:

Vnus enim contemnitur, perinde ac ſi nullus ſit. D I O. Ego tantùm quærere & reſpondere quædam ſum paratus: te decet caput & viam ſermoni prębere. M A R. Faciam ſi neceſſe fuerit: ſed quid quærendum putas? D I O. Dicam poſterius: nunc enim, quoniam defatigatio animis noſtris incidere potuit longitudine ſermonis iam peracti, cenſeo pauliſper quieſcendum, poſtea renouatis viribus res ſuſcipietur. M A R. Tuo id fiat arbitratu.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PVLCHRO LIBER SECVNDVS.

HÆC Quum dicta fuiſſent,ſilentium eſt cõſequutum. Tum ego, quemadmodum in ſomno fit, reliquiis prioris diſputationis tacitus immorabar: ſurrepſit enim cogitatio, & illic erã animo, vt mecum reputarem, quanta nam foret ignoratio quorundam, qui florem tantùm ætatis in hominibus diligerent, quum tanta tamen excellentia foret humanæ figuræ, vt dignè cunctorum animos ad ſe ſemper trahere valeret. Enimuero quum reliqua animantia natura parens procumbere voluiſſet, hominem ab humo diduxit & erexit, pedibus planis atq; porrectis in imo huius animantis veſtigio locatis, vt conſiſtere bini, & ſuperſtantis molis onus ferre valerent: quin etiam amplioris quietis gratia ſoli homini conceſſit, vt ſuper femoribus aptiſſimè ſederet: eadémque natura, quum reliquis beluis horrida tegumenta induxiſſet, humana membra tenui cute leuigauit, præter caput ipſum, quod veluti ſupremum operis faſtigium pilo contexit. Tum ſenſus ſingulos inſtruxit in nobis mirificè oculorum præcipuè, vt formarum decentiam magis viderent, & aurium, vt concentum variorum ſonorum melius haurirent: manus item propter faciles molleſque commiſſuras alterius penè naturæ opifices tenemus, tot & tanta in vrbibus & agris per illas efficiuntur: articulatum etiam & diſtinctum fundimus linguæ ſonum, per quem ſenſa animi depromere poſſumus, vnde etiam grauius & ornatius dicendi facultas nata eſt, qua audientium animi tenerentur. Frontem verò pudoris ſedem, hilaritatis, & triſtitiæ, clementię, & manſuetudinis indicem quis nobis dedit? idem ſcilicet Artifex, qui reliqua expediuit: hæc nemo cogitat, nemo admiratur. Nam ſi quæram ab eo, qui ſe dixerit pulchrum vel pulchram quandam amare, Dic mihi, quid in illo corpore te teneat, & delectet? num humanam illic amas figuram, quæ decore ſuo ornatiſſima eſt? negauerit: colore igitur tangeris genarum, & ſupercilio leniter inflexo, & candidulo pectore, & reliquis huiuſmodi nugis, totius autem humani corporis quanta ſit dignitas & venuſtas nihil conſideras, & miſerandus tibi non videris, ſi te res parua pluſquam magna delectat? Enimuero ſi egregium quendam virum laudare te publicè oporteret, & tu, ampliſſimis geſtis omiſſis, vngues diligenter eius laudares, & dentes, abſurdiſſimè profectò te omnium haberes. Adderes eodem de ceruice, de oculis, de fronte, de collo, & reliquis: ſed quantò vehementius iſtis inſiſteres, vt venuſtis, magis ac magis abſurdus eſſes, quia minima curares, & tam inflato vtens ſermone nec dum ad partem vllam viro dignæ laudis accederes. At eadem nunc facis, qui florenti in ætatula infimas quaſdam, & nihili res tantopere contempleris: nec perſpicis quid naturæ munere illic magnum inſit atque præclarum. Nam ſi humana corpora amanda ſunt, illud ametur potius, quòd egregiam oris figuram, ſubtile oculorum & aurium iudicium, vultum affectuum indicem, mollem & facilem ſeſſionem, manus ad quodlibet aptas opus, reliqua deniq; membra ordine locata, leui contecta cute tenemus. Illud quanti eſt? quòd ſentẽtias mentiũ noſtrarum copulamus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

ſermone, & rurſus quod erectis ſtantes corporibus ſupino vultu cœlum intuemur, tanquam oſtendente natura vnde venerimus, quóue ſit redeundum: hæc præclara ſunt, quæ æquè patent omnibus, & quorum conſpectus nos a pecudibus longè diſiungit. Ipſe verò quàm leuia, quàm humilia, quã ludicra ſectaris? & tanti te facis? nec ſupercilium deponis? Sed iam omitto præſtantiam corporeæ formæ: qua tu, ſed nõ vnde oportet, traheris. Quid mens, ingenium, ratio, memoria, cogitatio, quę diuina ſunt in nobis, quid iuſtitia, pudor, fides, temperantia, reliquæ virtutes, nonne ſplendore tantæ pulchritudinis ſe admonent ſectari? nonne iuſtius tam dignam obijcientes amoris eſcam noſtros ad ſe traherent affectus? Quòd ſi ſingula in homine placere poſſunt, quantò magis in vniuerſum ſpectata? Veteres illi ſapientes, hominem ipſum tam præclaram & admirabilem rem exiſtimabant, vt maximè huius mundi breue illud eſſe dicerent ſimulacrum: quantum intereſt inter nos, & illos? Nos enim ſuperficiem tantùm, & vmbras rerum, & colorem perſequimur, & tunc veluti re bene & fœliciter geſta gaudemus: illi acutius res & profundius inſpiciebant, nec adhuc tamen ab inquirendi ſtudio ceſſabant. Inter cætera verò, quum turpe vel infœlix potius videretur ſcientiam reliquarum rerum captantem ignorare ſe ipſum, ideo hominem intus, & (vt ſic dixerim) in cute pernoſcere aggreſſi ſunt. Tandem pręſtantiſſimã & pulcherrimam hominis in abdito formam inuenerunt, inuentãq; dilexerunt, nihil ea turpe, fœdum, indignum peragentes: quos ſane viros vtrũq; noſtrum imitari deceret. Cognouerunt ipſi quid ſit illud, per quod tantarum rerum ſcientiam adipiſcimur, & vniuerſam naturam indagamus. Idem efficere ambo poſſumus, animum ipſum animo cernentes: ſi enim animus ſe ipſum videat, ſcio quòd nihil aliud in terris formoſius iudicaret. Hoc ego ſi ſermone vterer ad iuuenum quempiam, leuitatem eius corrigere tentans amatoriam, quid profecturus forem neſcio, multiplex enim & varius ingeniorum captus, verùm mihi illud eſſem conſcius, me recta, & iuſta, & æquis bene conſona auribus attuliſſe: facilius autem quis non audierit ſe ipſum, quàm huiuſmodi orationis genus vituperabit. Mouerer autem, vt ea dicerem, quia non poſſunt veræ iuuenum animis opiniones inſeri, niſi falſæ prius detrahantur. Quemadmodum ait Hippocrates, impura corpora quantò magis nutriuntur, tantò plus lædi: ſic impuros animos, ſi veris paſces doctrinis, non modò nihil iuuabis, ſed etiam vehementius perdes. Hæc & talia quædam ipſe mecum volutabam magno rerum ſilentio, niſi quòd fontis vndę leniter cadentes exaudiebantur. Verùm poſtea quàm aliquantulum temporis ſic effluxerat, vox erupit quorundam adhortantium diſputationem reducere: rem enim præclarã dicere inceptam, nec deſerendam videri in tanto ocio, & tam bono auſpicio. Tum ego ab illa cogitandi intentione me recipio, & ſubſequens ſermo a tali quodam ſic ductus eſt exordio. DIO. Poſtquam tuis impellimur rationibus muliebrem omnem amorem eijcere, quid nobis ſuadebimus poſthac? MAR. Vt amemus. DIO. Quid? MAR. Pulchrum. DIO. Num has ſeptem literas huius nominis, quas nuper ore diffla ſti? MAR. Meliora quæſo. DIO. Num equos, canes, volucres, forma præſtantes? MAR. Non. DIO. Num ornatas domos, aut vrbes? MAR. Ne hæc quidẽ. DIO. An agros potius, nemora, fontes? MAR. Abnuo. DIO. Fortaſſe Praxitelis marmora, vel Apellis tabu-

lis tabulas? MAR. Abſurda narras. DIO. At argentum purum, & rutilum auri fulgorem, gemmáſq; micantes? MAR. Somnias. DIO. Solem ego, lunam, ſidera, cœlum, mare, terras. MAR. Infacetus es. DIO, Quid ergo? MAR. Aliud quiddam, nam tu (vt video) a corporibus non recedis, & eadem, quæ prius, facis. DIO. Quid nam hoc aliud, quod amandum ſit, ſi corpora prętereunda ſunt? MAR. Dico ipſum pulchrũ. DIO. Neſcio quid dicas, niſi apertius loquaris. MAR. Quid? tu ipſum non intelligis pulchrum? DIO. Puto equidem: nam nuper tibi ſolem, & lunam, & gemmas nominaui, & plura alia, quæ nemo pulchra eſſe negauerit. Addo etiam iuſtitiam, fidem, pietatem, magnitudinem animi, temperantiam, & reliqua omnia, quæ ſunt in virtutis partibus: hæc enim incorporea ſunt, & tu de his forſitã ſentis. MAR. Hac igitur ratione, quid ipſum ſit pulchrum, intelligis? DIO. Quid ni? MAR. Et ego, vbi audiui ſolem, & lunam, & virtutes eſſe pulchra, potero de hoc intelligere pariter cæteris in rebus, quæ earum pulchra ſit, quæ turpis. DIO. Minimè id arbitror. MAR. Quid aliud in cauſa eſſe putas? niſi quia ad multa pulchra reſpicimus, & non ad vnum ipſum pulchrum, quod a ſui vnitate non diſcedens in multitudinem ſe diffundit. DIO. Nondum aſſequi valeo, quæ dicis firmiter: ſed veluti ſomniando coniectari mihi videor, quò tẽdas. MAR. Euigila modò, vt videas in ſole clarius, quã longè abſumus ab ipſius pulchri cognitione, ſi nihil aliud noſſe poſſumus, quàm multitudinem pulchrarum rerum. Si quis quæreret de te, vt diceres ei horum vilium quodlibet, veluti quid ſit vinum, & tu reſponderes, vinum eſſe aſiaticum, tali colore, & ſapore, & aliud græcum, & creticum, tali item colore, & ſapore, & ſic omnia illi vina enumerares, quibuſcunq; locis naſcuntur, denotans quid vnumquodq; eorum habeat præcipuum, num tu putares ad rogatum reſpondiſſe? & hominem, qui neſciebat antea de vino aliquid, num a te edoctum, vt ſciat? ego minimè id putarem. Quin collige mecum quàm abſurda ſit reſponſio: quum non quæreret ille quot & qualia vini eſſent genera, ſed quid ipſum eſſet vinum, non eſt id dictum, quod breuiter fieri potuit: ſed ſermo multiplex in hæc & illa vina diſiectus, & vix cautum eſſe videtur homini, ſi in oleum incidat, ne id vinum putet: nam qui non intelligit quid ſit aliquid, facillimè in quanto, & quali errauerit. Sin autem dictum fuiſſet, vinum eſſe humorem de vuis expreſſum, paucis abſoluiſſet te ab interrogationis moleſtia, & ille hac breui perceptione intelligeret quodcunq; ſibi occurreret, an eſſet vinum: nam ſi in arido eſſet genere, non laboraret, quin illud vinum non eſſet: ſi in humido, videret an is humor de vuis fluxiſſet, & vinum diceret, quocunq; colore, ſapore, nomine eſſet: nec pluribus ille vinis prolatis commoueretur, vt non intelligeret in omnibus illis vnum quid eſſe, quo vini natura includitur, ad quod ſibi ſemper reſpiciendum putaret. Similiter nos de pulchro quærentes vbi dixerimus gemmas, aurum, ſolem, virtutes, & alia plura eſſe pulchra, putabimus tunc adeptos cognitionem pulchri? fallimur: quia tunc tantummodo enumerauimus multa pulchra. At illam ſpeciem, quæ permeans per illa plura efficit, vt illa omnia eodem pulchritudinis nomine cenſeantur, nondum attigimus, qua intellecta, quid pulchrum ſit, cognitum fuiſſet: non enim ad multitudinem reſpicere oportet, ſed ad vnum aliquid, quod eſt in pluribus, in eo ipſo quod ſimiliter habent; huius natura & vi percepta intelligimus vbi adeſt, id ſuo conde-

corare nomine,nec nomine tantùm,ſed etiam virtute. Arbitror autem multa eſſe pulchra , quia inſit omnibus vnum quoddam ,propter quod pulchra ſunt: id quid ſit,ſi oſtendi poterit, tunc pateſcet ipſa pulchritudo. Sin aliter, nomen tantùm eius tenemus,rem ignoramus: præſtabat tamen magis rem intelligere ſine nomine,quàm nomen tenere nulla rei cognitione percepta. DIO. Dicis ſicuti pluribus in vinis vnum ſemper ineſt, propter quod vnumquodq; eorum eſt vinum,humor ſcilicet de vuis fluens, ſic reperiendum nunc eſſe in multis pulchris vnum, propter quod vnumquodq; eorum eſt tale: ſic enim ad ipſum pulchrum cognitione peruenero. Sed quis id noſcere poteſt? MAR. Poteſt quicunq; prudens eſt,et rectarum artium ſtudioſus,nam multitudo non nouit. DIO. Quomodo id ais? nã ſi rei turpis non eſt amor,neceſſe eſt omnes,quod pulchrum eſt,id amare. MAR. Adde,aut quod apparet, ne prætermiſſa hac parte claudicet ſermo. Fatentur quidem omnes id,quod verè pulchrum eſt, amandum eſſe: ſinguli tamen, quod apparet, ſequuntur : ſic in multis amor eſt opinati pulchri,non ipſius pulchri. Sapiens autem,qui ſolus ſanam habet mentem,id,quod verè tale eſt,amat: rectè enim iudicat. Nec mirum in hoc ſententiarum eſſe varietatem : nam in ſalubribus quoq;, & inſalubribus, dulcibus, amaris,calidis,frigidis,& reliquis huiuſmodi diſceptãt iudicia: nam aliter iſta ſani iudicant,aliter ægroti,& ſani quidem,vt ſunt:ægroti,vt videtur. Sapientes autem in his,quæ percipiuntur animo,ſanis comparamus,alios ægrotantibus. Ergo alteri,quod verè eſt, amplectuntur : alteri, quod apparet. DIO. Poſtquam ego vnus ſum de multis,vt qui nondum ad ſapientiam peruenerim quid ſit pulchrum hoc,de quo agitur,& quod per omnia ais pulchra commeare,poſtulo,vt declares. MAR. O impudentiſſime hominũ,hócne,quod tam magnum eſt & arduum,audes me rogare? DIO. Quem potius rogem? an arbores has? multa enim hic copia,& reſponſa quondam petentibus reddere dicebantur. MAR. Rectè intuliſti mentionem de arboribus,vt olim reſponſa dabant, modò vnde natum ſit, intelligas. Ego enim interpretor veteres illos ſapientes,vbi in ſolitudine aliqua inter nemora & rupes ſecum quippiam fuerant commentati,dixiſſe deinceps popularibus ſuis, ſe de quercu vel petra audiuiſſe:hinc vulgo creditum ſaxa non eſſe muta, & ſyluas etiam loquaces. Eodem exemplo potes ipſe,vbi rem,de qua inquiritur, fueris in opaco ſyluæ huius receſſu meditatus,& inueneris, dicere te de arboribus didiciſſe, & tam facile tibi credemus,quàm prior ætas illa ſapientibus ſuis credidit: non enim refert vnde,modò rectum quid afferas. Sin autem deſidiæ ſtudens interrogaueris has,tanquã oraculum aliquod auditurus,memento eſſe ligneas. DIO. Tu ergo,qui lignum non es,reſponde : nam arbores arbitror reſponſuras, ſi permittatur. MAR. Aduenit nuper vir quidam bonus,qui me deterruit verbis ſuis,ne id facerem. DIO. Quid dixit? MAR. Illud ſcilicet,non eſſe cuiuſuis hominis de pulchro pulchrè dicere: itaq; iubebat , ne ſuſciperem hanc tractationem viribus meis altiorem:ſimul & admonuit, ne falcem in ſegetem immitterem alienam,non enim hic agi de litibus & cõtrouerſijs iudicialibus, quę mihi eſſent faciliora tractatione propterea,quòd illis multum olei & temporis impendiſſem . DIO . Tu igitur nihil poteras de pulchro diſputare? MAR. Poteram equidem aliquantulum : ſed ille bonus vir adeo me abſterruit, vt etiam quæ ſciebam fuerim oblitus. DIO. Malè ſit huic viro, quãuis

bonus

bonus eſſe dicatur. Sed vbi is eſt? non enim aduenientem vidi,& minus colloquentem, nec comitatum noſtrum vllo homine auctum animaduerto. MAR. Quid ad me? vel quid etiam ad te, ſi tu illum non vides? propter me tantummodo aduenit, ego illum video, & intelligo. DIO. Mirum ſi hic adſit, niſi forſitan inter has arborum frondes tanquam auis delitescit. MAR. Imo verò adeſt omnibus hic bonus vir, non frondoſas auium habitans domos, ſed cuiuſque clauſus pectore fodit, & ſtimulos admouet, ſi perperam & nequiter agentes quędam ſenſerit. Ego verò condemnarem me audaciæ, ſi rem tantam aggrederer. DIO. Et nos humanitatis laude te remunerabimus, ſi noſtri cauſa aggredieris. MAR. At cæterorum hominum æſtimationem pertimeſco. DIO. Quorum cæterorum, quando præter nos adeſt nemo? niſi fortaſſe fingas vel te has arbores extimeſcere ſilentes. MAR. Geram igitur vobis morem, poſtquam ita neceſſe eſt, tametſi iniquè ad onus mihi inſolitum contruditis: forſitan colludere me putatis. At illud affirmo ſeriò, grauem eſſe admodũ & difficilem hanc de pulchro quæſtionẽ. Itaq; ingenij vires intendendæ ſunt omnibus, & mihi præcipuè, cui dicendi onus impoſitum. Videndum eſt autẽ imprimis nobis, quid ſit ipſum pulchrum, inſequentibus ea, quæ modò dicebantur: quin (ſi memoria tenes) in ſuperioribus ita mecum egiſti, vt pulchrũ ego diffinitione, ſeu quolibet alio modo circunſcriberem, cum id tu præſtare me interrogante non valeres, quod equidem in omni re, quæ via & ratione inquiritur, cenſeo faciendum, vt plura ſimilia, quæ occurrũt animo, ad vnã ſummam, & ad cõmune quoddam genus redigantur: hoc enim præſtat diffinitio. Licebit deinceps rem ita ſummatim comprehenſam digerere in partes, quarum ſingularum vis ac proprietas diffinitionibus aliis fuerit comprehendendà. Ac niſi ita fiat in incerto omnia nutabunt, quum nullos fixos fontes, nulla certa habeat capita diſputatio, ad quæ referatur. Veluti in hac re, plura ſunt pulchra, quæ tu nominaſti, aliáue permulta: opus eſt nunc, vt illa omnia vna ſui generis communione tanquam vno vinculo conſtringantur, vt qui illud viderit, intelligat, quid in rebus pulchrum ſit, quid contra. Idcirco ſapientes viri haud ab re in diffinitionibus elaborarunt, nulláq; res alia magis peritum inſcitiumq; diſtinguit, niſi quòd quæ ille pluribus, hic paucisſimis notionibus aſſequitur: tantò autem quiſq; ſapientior eſt & perfectior, quãtò a multitudine lõgius recedit, & ad vnum magis accedit. Hinc ambiguum nulla alia ratione odioſum eſt & moleſtum, niſi quòd vnum relinquens, plura ſpectare videtur. ſed forſitan in iſtis nimius ſum, & loquacior, quàm oporteat. DIO. Tu verò nimium de his ſermonem habere non potes: ſunt enim eius generis, vt decies repetita placere queãt. Sed perge porrò ad reliqua, quæ expectamus. MAR. Veniens igitur ad rem, ſunt qui ita dicant, pulchrum nihil aliud eſſe, quàm diuerſarum partium æquam quandam dimenſionem, & (vt ita dixerim) modulationem, ſibi ipſis inuicem & toto conſentientium. Hoc in animãtium corporibus (vt aiunt) perſpici poteſt, quorum ſingula membra, ſi rectum naturę ſtatum teneant, gratum quiddam oculis reddunt, & lenocinari viciſſim pulchritudinem ſibi ipſis videntur. Elementa hæc mundi quatuor aptè connexa, & ordine locata, nonne admirandam ſpectandámq; hanc tantam molem effecerunt? Vnde nauis pulchra? niſi quia prora, puppis, latera, fora, remi, vela, antennæ conſentiunt, & in decorem quendam gratum conſpirant. Quomodo
etiam

etiam in curſu triremis oblectat, vbi nautę vno ſpiritu remis inſurgunt, & vnico quodammodo clamore ſe inuicem adhortantur: ſic & exercitus (inquiunt) pulcher, non vbi palantes fuſiq; p agros vagantur milites, ſed vbi ordinata militia eſt. Iuuat enim vno in agmine vniuerſos videre equites galeatos, parte alia ſcutatos, haſtiferos, ſagittarios, funditores, ſuis quoſq; locis, vnaq; ſub ſuis ſignis, ſuum ſequentes Ducem, vt quãuis varietas multiplex ſit illa in multitudine, vnum tamen atq; idem conſenſu ordinis oſtendi videatur. Quid in fidibus & cantu? nonne hic idem facilius deprehenditur, vbi dum acuta grauibus, & media vtriſq; reſpondent, concentus exit auditu pulcherrimus? Tranſiliunt iidem corpora, & ad animos diſputatione ſua perueniunt: in quibus ſi memoria, acumen, docilitas, & alia inſunt naturæ munera ſibi congruentia, animi illi admirabili fulgent ſpecie, magiſq; fulgebunt, ſi virtutum aliarum, quæ ad mores ſpectant, conſona illic inſederit caterua. Nam qui pecuniã, gloriam, voluptates honeſti cauſa ſeueriſſimè negligit, ac ne doloribus quidem, laboribus, paupertatéq; frangatur, is aptam virtutum induet figuram, ſibi cum omni lepore vndiq; parem. Cuius ſi nondum ſatis cernitur pulchritudo, ponamus altera ex parte hominem inconſtantibus & inæqualibus præditum ingenij facultatibus. Ita enim dedecore perſpecto decus ipſum facilius eniteſcet: ſunt enim, qui neſciunt diei ſpeciem examinare, niſi e noctis ſqualore id eliciant. Eſt igitur quidam, qui gloriam, vt oportet, contemnit: attamen pecuniæ cauſa omnia aggreditur. Alius cruciatu corporis ab officio non diſcederet propter dolorem, pericula virtutis ſtudio adire non recuſat: at voluptatibus idem eliqueſcit. Quis non animaduertit diſtortum hic eſſe quiddam, claudicans, mancum, debile? quæ ſi offendunt in corporibus vitia, non poſſunt in animis non teterrimũ habere proſpectũ, iſte igitur non laudaretur. At laudabimus Fabritium (vt exẽplum aliquod illuſtrę inſeram) qui ſibi conſtitit, geſſitq; vbiq; magnitudini animi ſui conſentanea: nam aurum a Rege Pyrrho miſſum conſul repudiauit: idem, medico Regis promittente ſe veneno illum necaturum, monuit Pyrrhum, vt caueret inſidias: ſic eadem animi fortitudine, eadem mentis bonitate factum eſt, quòd aurum ſibi, venenum hoſti oblatum reiecit. Hæc duo Fabritij facta ſibi ipſis egregiè reſpondent, & tanq; in vnum duo confundas lumina, alterutro creſcunt ſplendore. Quòd ſi oſtendiſſet ſe non auro vinci, ſed veneno vincere, inconſtantem animi eius ſtatum, tãquam fœdum atq; turpem, meritò odiſſe poſſemus: nõ enim incorruptum ſe vndiq; præbuiſſet. Poſſum de Bellerophonta quoq; dicere, quòd quã animi continentia hoſpitis vxorem non violauit, eadem epiſtolam eiuſdem non reſignauit: mulierem vidit, ſed non tetigit: litteras tetigit, ſed non vidit: vtraq; in re vtens eo, quod licebat, prætermittens quod non licebat. Inconſtans iſte, & ſibi ipſi diſſentiens fuiſſet, ſi alienæ mulieris corpus nudare noluiſſet, mox alienã ſententiam literis incluſam ſibi nudaſſet, quum vtrunq; tectum & opertum a domino ſuſcepiſſet. Hic ego, etſi fatear ex ipſa rerũ proportione admirabilem excitari pulchritudinem, quod fortaſſe in alia huius diſputationis parte latius exequar, tamen quia hæc pulchri diffinitio, ſeu deſcriptio non omnia complectitur pulchra, ideo fuerit vitioſa. Quid enim dicent de ſole, luna, ſideribus? quid de ignea flamma? quid de auro, & argento? quid de gemmis, margaritisue? quid de colore vno vt viridi, vel flauo? quid de hac ipſa luce cœleſti? nonne pulchra

ne pulchra hæc? & vbi variarum partium ſibi conſentientium gratus aſpectus? Deus ipſe, ſi iſtas audiremus, pulcher non eſſet, cuius ſimpliciſſima omnium natura eſt, ipſas in corporibus partes, quæ aliæ ad alias apte reſpicientes pulchritudinem illam vniuerſæ conflare dicuntur, quis neſciat ſolas & de reliquo grege abductas ſpectari poſſe, & ita in iudicium pulchritudinis venire? Ac ne longius exempla ſumamus, hortos iſtos, in quibus diſputationem iſtam peragimus, poſſum in vniuerſum laudare, vt pulcherrimos: tamen in partibus laudabilia multa: inter quæ ſylua hæc arborum laſciua vmbris per ſe ſola placere poteſt. Homeri poëma ſi quis diſcerpſerit, egregiam proculdubio corporis vnius ſpeciem diſſoluerit: veruntamen inueniet adhuc in diſiecti poëtæ membris, quod magnæ laudis pretium ferat: ex quo ſatis deprehenditur non omnem pulchritudinem ex ordine ſubſiſtere. Veniamus nunc ad Auguſtinum, qui non, vt ſuperiores, pulchritudinem in ordine duntaxat collocauit, ſed hæc duo, vt diuerſa propoſuit, pulchrum & aptum: & pulchrum quidem vult eſſe, quod per ſeipſum conſideratum laudatur: aptum verò quod accommodaretur alicui, & ex eo veluti religatum penderet, nec ex ſe ipſo, ſed ex eo, cui connectitur, ſpectatur, ſicuti pars ad totum, & calceus ad pedem, idq; etiam decens vocari putat. Recte quidem Auguſtinus, quòd non totam pulchritudinem ordini aſcripſit, ſed vidit adhuc eſſe aliquid, quod ex ſeipſo ſpectatum, pulchri nomine dignum eſſet. Veruntamen peccat in eo, quòd quid pulchrum eſſet non expreſſit: deinde quòd pulchrum vt partem poſuit, & alij parti oppoſuit, verius fuerat, pulchrum vt genus ponere, deinceps in duas id diſtribuere partes, in pulchrum ex ſe ipſo, & pulchrum ad aliud: & pulchrum quidem ex ſe ipſo oportuit nuncupare proprio nomine, ſi quod erat: ſin minus, in generis ſui nomine relinquere inopia proprij verbi, teſtantem ſe id non habere, nec adhuc inueniſſe: pulchrum verò ad aliud aptũ poterat vocare, ſicut fecit. Nos autem ordinatum dicimus, quandoquidem aptitudo vel ordo eſt, vel perinde ac ordo habetur. Sed in Auguſtinum temere forſitan inuehimur, quoniam non videmus libros eius de pulchro & apto, quos ſibi interiiſſe conqueritur: illic enim ſententiam ſuam perfectius expreſſit, in opere ſcilicet huic quæſtioni propriè dicato: nam quæ dicta ſunt ſuperius, ea ex aliis decerpſimus locis, quum id non ageretur, ſed aliis de rebus ſermo incidiſſet. Sed quoniam ex iam poſitis nondum elucet, quid ipſum ſit pulchrum, nolens rem diutius protrahi diffinitionem illam amplector, quæ de doctiſſimorum libris nata eſt, Vt pulchritudo ſit venuſtas quædam de forma veniens, qua exciti amorem illi noſtrum tradimus: tantò enim res pulchrior, quantò forma vim ſuam altius impreſſit. Teſtes ſunt huius orationis meæ marmora hæc, quę periti artificis inſculpta manu, nemo dubitauerit pulchriora nunc eſſe, quã antea, quum rudia manebant. Si quęratur origo & cauſa maioris pulchritudinis, reſpondeant omnes formam eſſe, quæ illic altius penetrare cœpit. Sic materies illa metallorũ communis, vbi facilem ſe, & tractabilem, & obſequentem formę tradit, auri et argenti efficit nobis claritatem: ſin magis obduruit aduerſus formam, induit deteriore ſe facie, & æs redit, & ferrum, & plumbum. Nemo tam oculis captus eſt, vt non videat quadratum triangulo eſſe pulchriorem, nam in vno angulus ſatis ineptè habet e regione lineam, vbi in altero anguli angulis, latera lateribus reſpondent: pulcherrimus verò figu-

verò figurarum iacentium circulus, qui vnius lineę circunductu vndiq; ęqualis, & ſui ſimilis, paribus radiis ad centrum conuergit. In motibus etiam palmam tenet pulchritudinis orbicularis, qui iiſdem inſiſtens veſtigijs, & per eadem eodem ſemper modo progrediens, in ſe ipſum reflectitur: ſed & illud præcipuum habet iucundum ſpectatu, quòd fixo manente medio, qui eſt infimus locus in rotundo, reliqua omnia commouentur. Quòd ſi altitudinem nacta eſt etiam rotunditas plurimis orbibus intertexta, non ne admirabile videatur, maiores velocius, minores tardius commoueri? & tamen tam diſpares horum curſus vna regi conuerſione, pariter & terminari? Sed quid in numeris? quem dicemus illorum pulchritudine præſtare? latus diſputandi campus: nihil dico de vno, de quo infinita dici poſſent, & ea omnia præclara: nam omnium numerorum hoc initium eſt, hic finis, ipſum autem ab alio non naſcitur, nec finitur, ſimplicis prӕterea & indiuiduæ naturę, ex quo nonnullum in illo Dei veſtigium cernitur. Sed hæc prætermittens, & ad numeros me conferens, aptiſſimus mihi eſſe videtur, & pulcherrimus ſenarius: habet enim elegantia duo: primum quòd ex quibus partibus conſtat ipſe, per has conficitur, quod contingit intra decem numerorum nemini, & extra pauciſſimis: in reliquis enim ipſæ partes ſupergrediuntur ipſum numerum, aut infra eum terminantur. At in ſenario ſecus: nam huius partes integræ ſunt tres duntaxat, ſexta, quæ conſtat ex vno, tertia quæ ex duobus, dimidia, quæ ex tribus: has partes, ſi ſimul iunxeris, & ad ſummam perduxeris, ipſum numerum conficis ſenarium: ſic primus occurrit in acie numerorum, qui ſuis partibus expleatur. Alterum habet elegans, quòd quemadmodum frumentum in terris ſatum, varias interim efficiens mutationes, octauo aut nono poſt menſe tandem ſe ipſum reſtituit: nam primo tepefactum vapore & compreſſu telluris diffunditur: deinde herbam induit vireſcentem: mox innixum fibris ſtirpium effloreſcit: deinde frugem in ſpicis effundit, ideſt ſe ipſum oſtendit, quale prius fuerat, vberiore tamen copia, quod idem Proteo fabula tradit, qui vt illuderet in varias vertebatur ſpecies, & vt eſt apud optimum poëtam,

Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,
Ignémq;, horribilémq; feram, fluuiúmq; liquentem,

Sed vinculis firmiter retentus tandem Proteum reddebat, ita vt qualis initio viſus fuerat, talis poſtremò appareret. Sic ſenarius per varias ductus numerorum ſortes, alium atq; alium reddens numerum, in exitu tamen toties multiplicatus, quotus ipſe eſt, in ſeipſum exit. Nam ſi ſex ſexies duxeris, triginta ſex tibi reſpondebunt: hoc iſte habet egregium. Reliqui omnes, excepto quinario, qui in hoc par eſt ſenario, ſi augeantur illo numero, quoto ipſi ſunt, non conſeruant ſeipſos in exitu, ſed aliorum numerorum poteſtate clauduntur. Sed de huius numeri perfectione plura alia dici poſſe haud diffiteor, quę ſi ſcire volueris, mathematicus aliquis tibi ſit adeundus: hoc enim hominum genus ſingulorum numerorum vim, poteſtatem, præſtantiam perſequi ſolet, inter quos ſenarium valde extollunt. Sunt etiam plurimum in quinarij, ſeptenariiq; dignitate arguti. Manifeſtum quoq; in coloribus, qui dicuntur eſſe veluti rerum ipſarum flammulæ, eos eſſe pulchriores, quorum forma magis explendeſcit. Nam colorum duo ſunt genera, ſimplex vnum, alterum mixtū. Simplices colores duo albus, & niger, reliqui ex his commiſti, ſed inter illos

duos ſim-

duos ſimplices,ſi certamen ſit honoris,quem mihi dabis tam oculis ineptum, qui album non anteponat nigro?quoniam præfert is nitorem argento & diurnæ luci perſimilem:quum niger obſcurus ſit totus,& veluti inquinatus. Summus in omni doctrinarum genere Plato adeo album probat, vt Pontificem maximum, cui in ciuitate, quam ſibi effinxit, ſummos tribuit honores, ſummámq; poteſtatem,albis induat, & imagines Deorum in templis albo velit intexi,colorem hunc aſſerens præcipuè decorum Deo. Veteres olim populi nondum iure veræ religionis cognito alba quæq; diis ſuperis,nigra inferis dicauerunt,exiſtimantes hos tenebris,illos claritate lætari, & meliora melioribus,deteriora deterioribus conuenire. Hinc non abſurdè virgilianus ille Anchiſes nauigaturus cum filio Cretam verſus mactat

Nigram hyemi pecudem, Zephiris fœlicibus albam.

Reliquorum vero colorum miſtorum quis ſatis pulchritudinem enarrare queat?quum ſit immenſa,& magna eorum pars nomine careat:plures enim colores in oculis, quàm in vocibus, nec fortaſſe alibi natura maiori laſciuia luſit. Veruntamen omnium præcipuus mihi videtur purpureus,qui ruber, & rufus,& rutilus nuncupatur: viuidus enim hic color ignis referens & ſanguinis imaginem. Poſt hunc flauus,ſeu luteus,quo colore aurum & aſtra exornantur. Sed & cæruleum, qui & cæſius & glaucus dicitur, & quo dij maritimi olim veſtiebantur,placere admodum video,tum ſui ſpecie,quam de cœlo & mari mutuatur,tum quòd idem viſui iucundiſſimus: alij nanq; colores viſum, vel nimis relaxant, vel violentius coarctant,hic autem non diſtrahens viſum & mediocriter reſtringens ſenſum ipſum mirificè demulcet, idémq; fuſcus facit. Vt autem redeam vnde hæc omnis defluxit oratio, vides tu,& hi omnes tecum, has pulchritudines emanare de forma, quæ quantò perfectior, tantò clariorem fundit pulchritudinem: atq; ita ſe rem habere, elegans Latini ſermonis indicat conſuetudo, qua pulchra alio nomine formoſa & ſpecioſa dicimus,ideſt plena formæ & ſpecie: contra, quæ turpia ſunt, informia & deformia nuncupamus: hoc idem ijſdem vocabulis Græcia notauit. Vides quàm non ſit res difficilis, quam grammatici ſermonis cuſtodes ſcire potuerunt: quid obſecro magis aptum ac proprium his vocabulis inueniri poteſt? Sed & iſtis adhibere poſſumus teſtimonia naturæ: nam ſi pueris coram adductis (ſunt enim hæc,vt aiunt,naturæ ſpecula)ex vna parte oſtendas argentum rude,&,vt nos vocamus,infectum:ex altera proferas ex eodem argento formatas ſpecies, veluti hominum, arborum, equorum: deinde his permittas, vt alterutrum ſumăt, videas eos puro argento relicto currere ad formatas ſpecies: ducuntur enim pulchritudine, quam tacito naturæ ſenſu formæ iudicant ineſſe. DIO. Licet ne his,quæ dicis, contrario aliquo occurrere argumento? MAR. Licet: nam veritas ſemiuſti torris more quò magis exagitatur, clarius ſplendeſcit,quin vt flumina obijce ſaxorum paululum retenta fortius deinceps feruntur: ſic orationis meæ curſus, ſi obuium quippiam inuenerit, ſonantius fortaſſe fluet. DIO. Et ego orationi tuæ leniter fluenti ſaxa ipſa oppono, quæ memoraſti: nam formam ſuam habent, nón tamen quodlibet ſaxum pulchrum vocabo. Lignum illud vides multis locis exeſum propter vltimam eius & feſſam,vt ita dixerim,ętatem,quomodo & ipſum in illa ſui forma in pulchrorum agmen procedet? Sed quid ſenectutis in ligno memini? eadem ſene-

dem ſenectus in hominibus num pulchra eſt? mihi non videtur: quid enim præclari habent cani atque rugę, lachrimoſi oculi, ſtillans naſus, incertus greſſus, liuidus color, officia denique membrorum debilia, ac parum proprijs vſibus apta? longum eſt & non neceſſarium perſequi cætera: in ſumma, omnia pulchra, non erit aliquod inter fœda & turpia numerandum: nullam enim rem ſine forma reperimus, quin ipſa forma efficit, vt res reperiatur. MAR. Valde vrges, & loco ſuo, ita vt reſponſum differri nequeat. Scio materiam ſine forma non extare hodie vllam, nec vnquam extitiſſe: eſt enim forma veluti materiæ lumen. Sicut ergo ignis non exit ſine luce, ita nec materia ſine forma: quòd ſi materiam priorem volumus dicere, prior dicatur illa, ſed origine, non tempore, quomodo in cantu & voce videmus: cantus formata dicitur eſſe vox: ſi quæratur quid horum præcedat tempore, apparet vtraque ſimul ex ore erumpere, quum tamen a voce cantus oriatur. Quæ quum ita ſint, animaduertere te volo, corpora omnia eſſe fœda vnde materiam oſtendunt, decora vnde formam. Quæ ſunt igitur eiuſmodi corpora, vt rudis & craſſa concretáque materia illic ſuperet, & tanquam in regno ſuo poſita dominetur, ita vt victa forma langueſcat, hæc corpora affluentia denſitate & aſperitate materiæ, in ſumma luminis paupertate, turpia ſunt & habentur. At ea, in quibus non vincitur, ſed vincit forma, materiámque obtinet, & triumphat, hæc pulchra, hæc decora, hęc venuſta, hæc aptiſſimis vocabulis (vt ante dixi) formoſa & ſpecioſa nuncupantur. Non enim corpora tota alia pulchra ſunt, alia turpia: ſed ita res temperatur, vt quæ pulchra ſint, turpitudinis habeant aliquid propter materiam: quæ turpia, non nihil habeant pulchritudinis propter formam. Cur igitur integro vel turpitudinis vel pulchritudinis nomine res ipſas notamus? quia quod in quoquo corpore præcipuum eſt, id attendimus. Quemadmodum enim nullum corpus exactè calidum, frigidum, humidum, ſiccum, durum, molle, quia nihil horum purum & ſincerum illic ineſt, ſed immixta omnia: res tamen denominationem aſſumunt ab eo, quod dominatur, & eis ineſt plurimum. Veluti quum lapidem, glaciem, aquam, frigida dicimus, ita dicimus, non quia illic aliquid non inſit caloris, ſed frigus præualet. Oſſa, cartilaginem, arenam, lateres, ſicca nuncupamus, quia minorem humidi portionem ſunt ſortita, maximam ſicci, ideo ſiccitate ſuperante ſimile ſibi nomen ſumpſerunt. Similiter nullum corpus abſolute & ſimpliciter eſt pulchrum propter immixtam materiam, ſed pulchra & turpia vocantur corpora, prout forma & materia plus & minus in illis poteſt. Si enim forma materiæ domina eſt, tunc in ſumma pulchritudine modica deformitas notam non habet: ſin tanta eſt materiæ grauitas & ruditas, vt formam tantùm pauperem accipiat, tanquam imperiti artificis manum, tunc circumfluentem turpitudinem cernentes, paruum illud pulchrum vix oculis captamus, rémque totam, vt turpem & inutilem, repudiamus. Ratio autem apertiſſimè videt omnia in genere ſuo eſſe pulchra, propter qualemcunque formam, quæ inferioribus iſtis corporibus, ſicut non potuit, ita nec debuit maior accedere. Nos autem ad alia reſpicientes multa, quę clariori fulgent formæ lumine, illa infima veluti videre non poſſumus, turpia dicimus. Nam ſimia pulchra eſt per ſe beſtia, ſi partes habeat omnes ſimiæ conuenientes, ita vt nulla deſit, aut redundet: habet enim eam pulchritudinem, quam

nem, quam ſimiam habere par eſt, turpis tamen erit ſi homini comparetur, vt Ennianum illud indicat,

Simia, quæ ſimilis turpiſſima beſtia nobis.

Huc traho ſaxa & ligna, quæ ipſe memorans deſpexiſti: hinc etiam ſenectus in hominibus (vt ais) fœda, quia florens, & viride ætatis robur illo tempore defluxit: mihi tamen formam illa videtur habere præclaram, non canos dico, ac rugas, & membrorum imbecillitatem, ſed vſum, auctoritatem, prudentiã, propter quæ magni æſtimandam omni tempore ſe præbuit. Ex eo autem intelligi ſatis poteſt pulchritudinem in materia non verſari: nam ſi materia dux fieret pulchritudinis, quò vaſtiora inducerentur corpora, eò procederent pulchriora. Quod abeſt a vero longiſſime: ſpacia enim & interualla apta membrorum, & æqua partium diſtributio, & iuſta in corpore moles excitant pulchritudinem. Nemo vnquam hominum immoderatam longitudinem, vel latitudinem ſibi ipſi optauit: hinc poëta noſter duos illos Troianos

Pandaron & Bitian Ideo Alcanore cretos
Abietibus iuuenes patrijs & montibus æquos

Non laudat pulchritudinis, nec Polyphemum ipſum, qui graditur æquor

Per medium, nec dum fluctu latera ardua tinxit. Nec
Ætneos fratres cœlo capita alta ferentes.

At Aeneam, Lauſum, Turnum pulcherrimos aſſerit, quibus nihil vnquam tale dedit. At idem poëta alio loco abutitur vocabulis

Optima toruæ
Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent:
Tum nullus longo lateri modus: omnia magna.

Hic in laude vitulæ poſuit turpe caput: nam quoniam id, quod iuſtam excedit magnitudinem, turpe habetur, vt eximie & ad ſatietatem oſtenderet magnum caput in vitula facere ad optimam formam, turpe vocauit. Quemadmodum & quum longum latus in eadem quæreret, nullum modum eſſe debere in lateris longitudine dixit, poëtarum ſcilicet vtens more, omnia in maius augendi. Eadem licentia Ennius Seruio auctore indignas turres vocauit eas, quæ magnitudine præſtabant, non quia magnitudo rei conueniens indigna ſit, ſed oſtendere cupiebat tantam earum fuiſſe magnitudinem, vt propemodum excedere, & vel indigna videri poſſit, grandiori enim vtens vocabulo, viſus eſt ſibi rem melius indicare, idq; domeſticum eſt poëtis. Cæterum intelligendum eſt non eſſe pulchritudinem in magnitudine, vbi iuſta abſit ſpecies: non enim truncus corporis facit pulchritudinem, non rudis moles iniquo circumuenta ſpacio. Quòd ſi de mole veniret pulchritudo, non de forma, illud ſequeretur, quòd, ſi parum aliquid ſubtraheretur humano corpori, modica vel nulla pene naſceretur deformitas. Contra verò accidit, nam ſi vel exiguum de labijs aliquid, vel de naſi alis abſcindas, vel vnum demas ſupercilium, & ſi propemodũ nihil de corpore, multum tamẽ decedit de ſpecie. Equidem non admitto orationem quorundã, qui dixerunt in rebus ipſis magnum & paruum per ſe non extare, ſed collatione aliorum tantummodo videri, effici que tunc, vt eadem res vtranque appellationem admittat, veluti

leo beluæ indicę, quam Elephantem vocant, collatus paruum ſit animal: rurſus magnum, ſi formicæ comparetur. Mihi autem videtur, quòd res in ſuo quæq; genere terminum ſuſcipiant quendam, in earum corporibus, naturæ ſuæ aptum & congruum: hunc quæcunq; prætereunt, magnitudine excedere, quæcunq; deſerunt, nimia breuitate decurtata videntur. Itaq; non ſolùm relatione ad alia magnitudo examinari poteſt & breuitas, verùm multò magis ad communem & propriam ſui generis notam: vbi enim adeſt aliquid, vel abeſt in corporis mole plus iuſto, tunc corpus paruum vel magnum dicetur. Hoc conſiderantes quoq; nonnulli aiunt maius dici ad reliqua cuncta, ſed magnum duntaxat ad vnum eiuſdem generis moderatum: hócque intereſſe inter maius & magnum, quòd maius, omni minore poſſit maius dici, magnum verò non quolibet maius, ſed eis tantum cum quibus conuenit genere. Idem vice uerſa in minore, & paruo accipiendum eſt. Ex quo conficitur mundum hunc, quem incolimus, reliquorum corporum comparatione magnum dici poſſe, id eſt maiorem omnibus, non tamen abſolutè magnum vocaueris, quia menſuram habet naturæ ſui corporis conuenientem, nec ſunt ſanè mundi alij, ad quos collatus, vel magnitudine excedere, vel paruitate deficere videatur. Sed vt ad incepta redeam, tunc corpora pulchra ſunt in ſui mole, quando nec tument, nec exilia ſunt, nec protracta nimis, aut nimis contracta, ſed mediocritatem retinent quandam, quam illi rerum generi natura, quæ venatur id, quod ſemper eſt melius, aptauit: apparet enim adeſſe tunc formam congruam, quæ ſola efficit pulchritudinem. Vbi autem a mediocritate diſceditur, & immoderatum ſubeſt quoddam, pulchritudinem illic non videbis ob formam deprauatam. Si quæratur quid voco mediocre vel moderatum inter magnitudinem & paruitatem, dico me id vocare, quod in ſui propria natura conſiſtit: ſicut contra immoderatum, & immodicum appello, quod naturam ſuam reliquit. Idem maneat nobis ſermo de corporis robore, & valetudine ſecunda: nam corpora tunc ſana ſunt, & bene valentia, atque adeo robuſta, vbi nullus humorum quatuor, quibus regitur, infinitam & immoderatam ſuſcipit potentiam, ſed limitibus quiſque ſuis continetur, quos illis natura circunſcripſit, vbi autem alter in alterius iura impetum facit, tunc publica corporis res inteſtina ſeditione fœdè laborat. Aiunt medici, & hi, quibus talia indagare curę fuit, id corpus optimè conſtitutum videri, quod medium inter extrema teneat, vt pote quod non gracile, nec obeſum ſit: non molle, nec durum: non nigrum, nec candidum: non elatis venis, nec obſcuris: non ſomnolentum, nec peruigil: non iracundum, nec ignauum: non in venerem pronum, nec a venere alienum: atque ita, ſi in cunctis ſui partibus mediocritatem quandam obtineat ab extremitatibus procul, optimè temperatũ exiſtimant, nec pulcherrimũ modò viſu fore, ſed ad omnes labores idoneum. Quòd ſi in alteram partem valde propendeat, imbecillum & morbis obnoxium, vt pote quod iuſta careat temperatione, nec ęquale ſit, ſed ſupra modum aut calidum vel frigidum, aut humidũ vel ſiccum. Imbecillitas igitur, & morborum agmina, & (vt ſummatim dicam) quæcunque turpia & deteſtabilia in corporibus ſunt, ab infinito & immoderato proueniunt: hæc enim rerum formam finibus aptiſſimis circunclusam depopulantur: non enim de materia (vt dictum eſt iam ſæpe) ſed de ipſa forma pulchritudo ortum deducit.

Videre

Videre licet pulchriora eſſe ea, quæ tenui materia formæ facillimè parent: pulcherrima omnium in quibus forma ſuo iure verſatur, dum corpore nullo tenentur. Ignis qua corporis eſt leuitate? At quàm omnibus ſui partibus ſplendeat idem atque refulgeat ardentia vibrans ſpicula ſuæ flammæ, quid attinet dicere, quod aſſidue ſpectamus? huius tam efficax eſt natura, & (vt ita dicam) pertinax, vt extinguatur citius ac moriatur, quàm vt vlli quicquã de ſuo iure concedat. Nam quum ipſe terram, aquam, aërem induat calore, non tamen viciſſim ab illis frigore vllo aut humore affici poteſt, quo minori ardore teneatur: nunquam vacuus ceſſat ab opere, ſed illuminat & ardet aſſiduè: clauſus non corrumpitur, nec marceſcit, quod aëri & aquæ contigit, ſed æſtuat vehemẽtius. Tanta autem vis eius, vt ſi materiam nanciſcatur, quę ipſum perpetuò ferre ſufficiat, in æternum durare poſſe credatur: plurimas res incoquens perficit, ipſe a nullo perficitur: omnia ſuperat, & ea, quibus inſederit, ſuæ naturæ impertit bonitate: idemq; ſuperiora ſemper petit in acumẽ tendens, nullâq; vi adigi poteſt, vt inferiora capeſſat. Quæ meditationes ſanè apud pleroſque tantum valuerunt, vt ignem forma pura præditum ſine vlla materia ſtantem dicere affectauerint, quod ad incorporeas tantùm naturas ſpectare videbatur. Sed quid illud? quòd quum inanima res ſit ignis, ſimilis tamen quodammodo animanti: nam & mouetur velociter, & pabulum requirit, & animæ loco lucem obtinet flammæ, qua præſente cuncta clara ſunt, & illuſtria. Magnam certè illi accidere arbitror dignitatem, quòd eius vſum, tanquam rei ſacræ, nullum animal percipit, præter vnum hominem, qui cœleſte eſt animal, atque diuinum. Atqui, vt multas præteream vtilitates, quas de illo mutuamur, adeo vt a quodam vetere poëta dictum ſit, Ignem optimũ eſſe rerum omnium condimentum, & ab alio, cunctarum artium inſtrumentum: illud vnum memorabo, quòd quum anguſtus ſit humanæ vitæ vſus propterea, quòd magnam partem eius ſomnus nobis aufert (nam dormientes inſtar agimus mortuorum, tantummodo viuimus dum vigilamus) attamen ne vigilia quidem ipſa cederet nobis ad vitæ fructum, niſi præſidio vteremur ignis, qui luminis ſui ſplendore tenebras ſuperat noctis, & quodammodo diem reducit. Et de igne quidem hactenus. Lucem hanc diurni cœli corpore aut nullo, aut tenuiſſimo fore præditam dicendum eſt: ideo tenebras auferens ſqualoremq; rebus, quàm pulchra ac iucunda ſit, omnes planè cognoſcimus. Poſtquã de igne & luce diximus, quomodo Solem præterire poſſumus lucis ipſius parentem, & ignei fulgoris ducem? qui etiam nos ſui admonet: nam medium ſcandens cœli verticem, arborum harum vmbras contrahit, quaſi diſputantes intueri velit: nimirum huius quoque magnifica enuntiare conueniet, ſicut de igne fecimus. Hunc igitur radiatum orbem, qui tam volucri curſu carpit ætheris ſpatia, quo vno ſidere implentur omnia, quoties vno ſtantes in veſtigio totum diem doctiſſimi viri contemplati ſunt? hunc plurima mortalibus commoda gignere exiſtimauerunt: hoc omnis pulchritudinis, quæ oculis videatur, caput eſſe retulerunt: ipſe fulgorem ſuum ſideribus fœnerat, vt innumerabilibus illa locis collucentia noctis mærorem ſolentur: ipſe lunam inflammat, cuius tenuiſſimum efficit lumen accedens prope, longiſſimè autem digrediens pleniſſimum: ipſe exoriens diem promit mortalibus ad laborem, & noctem occidens ſuperducit ad

requiem: ipſe inflectens curſum tum ad ſeptemtriones,tum ad meridiem, frigoris & caloris viciſſitudines facit,renaſcentémq; annum quadripartita varietate ex vſu naturæ temperat: ipſe calorem impartiens ſalutarem, fœcunditatem partúmq; rerum affert,alimenta cunctis animantibus largitur,nec ſuperficie tenus effuſus tantummodo,ſed vi ſua interiora quoq; penetrans terrę,lapides, marmora, gemmas,& quæ illic inſunt pretioſa omnia informat:ipſe cõſpicuum aërem,atq; oculis peruium reddit:ipſe colores incendit,corpora viſu apprehendenda tradit,oculóſq; quodammodo procreat videntes:ipſe deniq; magnus mundi oculus eſt, qui ſi effoderetur, liceret nobis per reliqua ſidera noctem ducere perpetuam, chaos vetus,& abyſſus illa rerum imperſcrutabilis mundo penè redderetur. Falsò credidit vetuſtas hũc maximum fuiſſe Deum: attamen nulla res corporum tam proximè accedit ad ipſius veri Dei ſimilitudinem hoc ipſo,tum poteſtate, tum nobilitate formæ, tum copia luminis.Sed vt ab oculis aliquando recedamus,& aures mulceamus, Vox,quę & ipſa tenuiſſimo corporis eſt filo, ſi ſuauis & clara fuerit,pulchrè etiam auditur. Sed ſi concentus exoriatur maior variarum vocum, quæ facillimè acui, flecti, demitti poſſunt, illam tunc animus pulcherrimam canendi rationem amplectitur,& vehemẽter oblectatur: Quàm me delectat,quòd verborum materies facilem ſe & paratam prębet ſententiarum formę,quancunq; ducere cogitamus: hinc pulchra poëmata effluxerunt,hinc florentes hiſtorię,hinc ornatiſſimæ orationes, hinc lumine eloquentiæ inſtructa varia philoſophorum dogmata, hinc deniq; multo ſtudio innumeris in artibus euigilati libri, qui non auro & argento circunliti pulchriores fuerint, quã ſi ſententiarum forma eorum verbis illuxerit.Non arbitror expectari, vt reliquos corporis ſenſus peragrans pulchritudinem ab his percipi tradam propterea, quòd oculorum tantummodo,& aurium nuntio (ſicut a te poſitum eſt) menti pulchritudo innoteſcit: vbi enim hi duo ſenſus, quæ perceperint, animo renuntiarunt, ipſe ſtatim pulchritudinem, ſi qua eſt, agnoſcit, & de ea, quanta ſit,iudicat: a reliquis ſenſibus nihil accipit, quod pulchrũ queat dicere. Nam neq; quod bene olet naribus,neq; quod palato ſuaue, neq; quod lene tactu eſt, pulchra nuncupari poſſunt: imo eò fœdiora omnia, quò magis corpus oblectant: nunquam enim corporea voluptas pulchra animo videbitur, propter quã mentis acies hebeſcit, & quaſi vigilia cogitationis obruitur. Duas tantummodo ianuas natura animo aperuit,quibus viſa & audita perciperet: reliquos ſenſus ad corpus magis vergere voluit, quibus inhærere propter iucundas eorum motiones fœditas ſumma, pulchritudo nulla. Illud autem haud leue argumentum eſt non oculis aut auribus ſentiri pulchritudinem, quoniam vnum atq; idem alij pulchrum,alij non videbitur, & alius niſi admonitus pulchritudinem non agnoſcet: & in ipſa etiam pulchritudine, quanta ſit, inerit contentio, vt hic vberem, ille exilem teſtetur. Et tamen hæc tam varia oboriuntur iudicia, oculis omnium & auribus munere ſuo clarè fulgentibus, atque eandem rem vno modo tractantibus, atq; verſantibus. Ex quo facillimè colligitur non oculos & aures pulchritudinis eſſe iudices, ſed animum, qui euntibus ad ſe rerum notis per illos oculorum & aurium meatus, qualem deinceps ſibi videtur, de pulchritudine ſententiam dicit. Vnde autem humanus animus cognitionem trahat, varias video doctiſſimorum hominum extitiſſe ſententias. Auguſtinus

ſubtilitate, & acumine inter eccleſiaſticos doctores meritò palmam tenens, dixit animas noſtras in communi quadam luce ſpectare, quæ a Deo effluit, hinc ſcientem effici per illud ſpeculum æternarum, & immutabilium rationū, fieriq́, vt a plurimis in idem conſentiatur eadem luce magiſtra. Sed Ariſtoteles, ille tantus in philoſophia vir, non aliunde quæſiuit, ſed totum id animæ aſcripſit, in qua voluit adeſſe duo quædam, vnum quod lumen præbeat ad intelligendum, alterum quod intelligere poſſit: & hanc eius ſententiam pluribus video placuiſſe, qui Theologica penes nos profitentur. Nam Platonem quis approbet? qui animas dixit rerum omnium ſcientiam aſſequutas antequam corporibus immigrarent: eas deinceps in tam inſolitum domicilium detruſas ſic perturbari, vt obliuiſcantur omnium: poſtea aliquo temporis interuallo, vbi ſe collegerint, in memoriam venire, atque ita non noſcere, ſed recordari: quod etiam tali nixus eſt inſinuare argumento, quoniam quiuis puer vel imperitus, ſi per gradus ſingulos rite interrogetur, maximarum rerū ſcientiam oſtenderit, quam tunc non didicerit, ſed antea acceperit, tunc autem primum ex illis percūctationibus reminiſcatur. Improba hæc & minimè tenenda ſententia, quæ docet animas antea extare, quàm corporibus tradantur: ſi enim anima prius exiſtens plena ſcientiæ ingrediatur corpus, quomodo tanta obliuione premeretur, vt nihil priorum penitus teneat, ac ne reminiſcatur quidem ſe olim fuiſſe, & talium oblitam? Sed vel ex eo colligitur animā nullam in corpus afferre ſcientiam, quòd ſi quis oculis naſcatur extinctis, nunquam intelliget colorum lumina, ne ab alijs quidem admonitus, quod profectò fieret, ſi antea illorum ſcientiam habuiſſet. Neque verò pro ſua ſententia idoneo ſatis Plato vſus eſt argumento, quoniam mirum non eſt, ſi puſio ille ſummam quæſtionis maximę rudi adhuc, & tenero animo, tanquam ſarcinam aliquam grauem, implicitam, & obuolutam, non tulerit. Idem tamen interrogatus gradatim, veluti explicetur ſarcina, illam deinceps per partes aptè ferat. Plærique alij Ariſtotelem, & Platonem ad vnum nexum trahere conantes ita conſtituerunt, animos noſtros pleniſſimos eſſe formis, ſed non eminere eas, & latere, corporis mole obrutas, educi deinceps & elucere animis, vbi imagines earum ſenſibus fuerint relatæ. Huc Platonis illa reminiſcētia flecti poteſt, ſi quidem reminiſci ſit id, quod latebat incognitum, euocari, & ad cognitionem deducere: hunc latentem cognitionis habitum Ariſtoteles (ſicut illi volunt) intelligendi poteſtatem nuncupauit. At quum animi ad cognoſcendum nati ſint, quid dicemus, vnde tanta iudiciorum varietas circa ipſius pulchri cognitionem oriatur, ſicut antea dixi? vnde tam diſpares animorū affectus? Videmus in muſicis alios ita habiles inueniri, vt quanuis artem non didicerint, tamen ipſi ſemper, quoquomodo poſſint, canant aliquid, aut cantantem audire velint, & in ipſa vocum vel ſonorum varietate ſtatim, quid concinat, quidue diſcrepet, audiant: alios contra reperies ita obſurduiſſe, vt nullus illis concentus pulcher videatur, cantilenam aliquā rudem de triuio magis probent. Quod ad dicendi genus pariter transfero: quot enim ſunt, quibus egregia poëtarum carmina iniucunda & inutilia videantur? quot, qui orationem grandibus ſonantem verbis, & vberibus affluentem ſententijs improbent? ex quo plures exilitatem in ſcribendo & ſiccitatem ſequuti ſunt. Sunt item, quos læta, hilaris, feſtiua, florida, nitida, & illuſtrata, & multo conſperſa ſale, & plena demum

na demum luminis, & iucunditatis delectat oratio. Alij ab his diuerſi opacum potius dicendi genus, & veluti mæſtitiam quandã orationis & duriciem amplectuntur. An non in picturis idem videmus? in quibus figurarum vmbras, & lumina, & lineamenta, & ſingularum partium venuſtatem tam ſubtiliter quidam intuentur, vt ad iudicandum nihil requiras amplius: nonnulli autem tam plumbeos gerunt oculos, quòd Zeuxim & Apellem contemnerent, tabuláſque eorum vix inſpectare vellent. Hæc cur tam variè cadant, vix certa arbitror ratione colligi poſſe: niſi id corporis aſcribere libeat inſtrumento, quo anima vtens, ad rerum notitiam tendit egregiè, ſi aptum inuenerit, deterrimè, ſi ineptum. Poteſt tamẽ vſus, exercitatio, diſciplina aciem eius exacuere, quam corporea moles retundit: hinc muſices periti concentum ſonorũ maxime animaduertunt: & pictores ipſi præſtantiſſimè de corporum venuſtate queunt iudicare. Oſtendunt ſępius artifices opera eorum in quibus plurimum elaborarunt imperitis hominibus, veluti ædificia, tabulas, ſigna, veſtes, & reliqua eiuſmodi: illi ſtatim ſummè ea commendant, quia perfecta eſſe iudicant, & capiuntur eo, quod vident, nihil amplius oculis eorum deſiderãtibus. At probi artifices, qui norunt quid illic deſit, addunt manus, & multum adhuc affigunt gratiæ, & decoris, vt mirentur poſtmodum homines tantam expolitionem rebus accidere potuiſſe, quas iam perfectas pronuntiauerant. Hoc enim diſtat intelligens ab imperito, quòd imperitus inſpecto aliquo opere afficitur magis quàm deceat, quia gradus pulchritudinis minimè nouit, infima ſæpe pro mediis, & media pro ſummis habet. At contra doctus, & intelligens vir, an vberius & ornatius aliquid poſſit accedere in illo pulchritudinis genere, tenet: & ſi mediocre eſt opus, mediocriter commouetur: ſi maius, magis: non enim temere iudicat, ſciens quibus rebus acquiratur amittatúrue id, quod humanos oculos demulcere poteſt. Verùm non ſemper imperitus plus iuſto cõmendat pulchrum opus, ſed ſæpius ne commendat quidem, vel minus quàm deceat commendat, quoniam præterit multa facientia ad operis decorem, quę non intelligit. At peritus vnumquodq; examinat, & nihil illum latet eorum, quibus artifex cogitauit pulchritudinem operis augere. Quamobrem nemo eſt perfectorum artificum, qui non malit a peritis opus ſuum inſpici: quoniã quantum ad vulgus attinet, perit ſæpius magna ex parte ingenium artificis, & gratia artis. Periti verò cunctos norunt pulchritudinis articulos, & efficiunt, ne fruſtra labor ſit artificis, vt qui intelligentibus ſit comparatus: eſtq; hoc in illis præcipuum, quòd non curſim, nec vno aſpectu rem conſiderant, ſed lentè, & moroſè, & per partes tractant ſingula & euoluunt, quod boni artifices magnopere fieri deſiderant. Hinc non inuenuſtè in iudicio Dearum Venus apud Lucianum feſtiuiſſimum ſcriptorem petit a Paride, ne properet, ſed inſiſtat diligenter ſingulis, & vnum quodq; membrum attentè contempletur. Et quoniam iudicij harum Dearum rurſus occurrit mentio, tùq; in eo laudaſti Paridem, ego quoque hunc virum laudo (ſi liceat fabuloſa laudare) ſed aliis argumentis, imprimíſq; illud in eo iudico laudabile, quòd ſumptus pulchritudinis arbiter, nudas Deas inſpexit, nam velata corpora multas præbere poſſunt deceptiones.

Auferimur cultu, gemmis ornantur & auro
Omnia, pars minima eſt ipſa puella ſui.

Quemadmodum luculentiſſimè expreſſit, qui id facere potuit Ouidius, quã quam non de vno mulieris, ſed de omni corpore ſit præſens ſermo, qui poſtulat, vt remoueatur velamen omne, vbi eius tractatur pulchritudo: ſic inſpiciendus equus ſine freno, ephippiis, phaleris: ſic ædificia ablatis ſignis, tabulis, tapetibus, & aliis huiuſmodi ornamentis, quæ oculos auferunt etiam videntibus. Eſt etiam curæ prudentibus viris, vt quotieſcunque de corporum pulchritudine ſit iudicandum, non id faciant obſcuro aut opaco loco, aut ad lucernæ ignem, ſed in apertum rem proferunt diem, vel ipſum ſolis fulgorem, & ita inſpicere curant, quod expreſſit idem Ouidius exemplo eiuſdem iudicij, quod inter Deas ſub Paride fuit. Nam ſic ille præcepit

> Conſule de gemmis, de tincta murice lana,
> Conſule de facie, corporibúſq; diem:
> Luce Deos, cœloq; Paris ſpectauit aperto,
> Quum dixit veneri: Vincis vtranq; venus.

Nullum reperies corpus, quod non trepidet ſe ſub ſole inſpici, ac non gaudeat vmbra (vt ſic loquar) iudice: quid ita? quia nullum eſt, quod omni ex parte ſit pulchrum, ac non habeat turpitudinem admixtam propter materiã, vt ante dictum eſt. Quamobrẽ omne materiæ vitium diurnus ſplendor enudat, & nihil incognitum relinquit: at noctis vel nocti ſimilis opacitas multa tegit, ideo pulchriora illic omnia, quàm ſunt, apparent, & vt ſummatim acu res tangatur, eſt pro venditore tenebricoſus locus, pro emptore lucidus. Et hoc eſt aliud, quod in Paride laudo, quòd ſub diuo pulchritudinis, quæ oculis captatur, iudicium voluit exercere. Sed quid de corporibus tã diu loquor, quæ non ſemper decora ſunt, de incorporeis taceo, quorum maior eſt pulchritudo, & ea quidem ſtabilis & ſempiterna? Enimuero quum manifeſtum ſit hominem ex animo & corpore compoſitum, in corpore materiem, in animo formam ineſſe dicimus: an aliud dici poteſt? Nam quantam pulchritudinem anima inferat corpori, cadauerum deformitas facile indicarit. Ineruditi plurimi non re ipſa extare in humano animo pulchritudinem putant, ſed ita pulchrum vocari, quemadmodum & eundem magnum dicimus, vocabulo corporum ad incorporea non iniucunda ſimilitudine tranſlato, quod contra accidit, nam tanta eſt animæ noſtræ pulchritudo, vt illa corporum adumbrata videatur: ſi enim forma ornamentum affert corporibus, quibus miſcetur, quantum pura fulgebit? An non ſic argentum pulchrius eſt ære non contaminatũ, & candidior non it dies nulla nube infectus? Quin vt illud ipſum, quod dicere tento, ſimilitudine aliqua admoueam propius ſenſibus, vides ne, vt ſol iſte fulgore radiorum immenſo cœlum hoc illuſtret, & omnibus ſui partibus fulgidum reddat, propter eius tenuem mollemq; naturam, quæ peruiam & tractabilem lumini ſe præbet? idem extrinſecus modo opaca hæc corpora luce perfundit, victus eorum aſperitate & craſſitudine. Quãtum igitur cœli lux lucem illam antecedit, quam terrena materies remittit, tantum pulchritudo animæ ſuperat eam, quæ in corpore ſpectatur: verſat enim & pro arbitrio tractat forma incorpoream naturam pleniſſimiúmq; vndiq; illi lumen infundit: nihil enim illic inuenit rude, nihil concretum, cum quo luctandum ſit, tantúmq; iuris ſibi tunc vendicat, vt quemadmodum lucidus aër proprio iam nomine lux nuncupatur, ſic anima, quum tota formoſa ſit, forma eſſe

dicatur.

dicatur. Si ſcrutaretur aliquis montium venas, vt ad aurum perueniat, hic non deſipere, ſed ſapere potius putaretur. At ſi ſcrutari interius naturam noſtram voluerimus, polliceor (vt in comœdiis dici ſolet) ſolidos auri montes reperturos: imo verò nihil tale (parũ enim id eſſet) ſed longè pretioſiora. Quanti enim faciendum eſt cognoſcere poſſe ſe ipſum? & reliqua inquirere? argumentari? intexere alia aliis? & conſequentia videre? horum animis noſtris vis inſita & præbita diuino munere. Quid præteritorum ſeriem contexere? quid diſtantia temporibus veluti de ſpecula proſpicientem propter prudentiam iam tenere? Sed illud etiam prǽclarum animis noſtris contingit: nam corpora ipſa partibus diſtincta vides, ideo ad ſectionem vocari poſſunt, & quum ibi ſit pars alia maior, alia minor, maiore ſui parte maiorem occupant locum, minore breuiorem, & maius eſt ipſum totum, quàm partes ſingulæ: & vbi pars aliqua inſedit, nõ recipit illic aliam tardéq; de loco decedit. Contra ſe habet anima, hæc enim ſimplex eſt & impartibilis, & tam plena eſt in partibus ſingulis corporis, quàm in toto: non maior in maioribus membris, minor in minoribus, ſed vndiq; æquabilis, tota vbiq; adeſt, tota percipit per oculos colorum lumina, tota per aures ſonorum boatum, tota cogitat, tota reminiſcitur, præſto eſt deniq; omnis ad omne quod geritur, quicquid in parte accidit corporis, id totam animam non latebit: nec ſede ſua excludit venientia corpora, quin recipere parata: ſi qua autem abſunt, abſentiam minimè curat, quia illorum ſibi reddit imaginem, tam celeri motu, vt vno temporis puncto cœlum ambulet, maria peruolet, terras colluſtret, longe latéq; ſummota ſibi admoueat, ac præſentia reddat: tantum abeſt vt corporis clauſtro teneatur, vt auolet quocunq; libuerit. Adde inuictam, & nullo penetrabilem tormento voluntatis arcem: corporum enim fortuna, at voluntatum noſtrarum noſtra voluntas domina eſt. Sed redeo nunc in memoriam ipſius memoriæ, cuius vis non contemnenda, ſed ſuſpicienda potius videtur: nam memoriam eſſe animi partem vel illud indicat, quòd quum præcipimus amico, vt meminerit, dicimus, fac illud habeas in animo, memoriam animum vocantes. Quod ergo hoc animi penetrale? quàm amplum? quàm magnificum? in quo reconditur, quicquid cogitatione vel ſenſibus perceptum illi commendamus: quæ deinceps quum repoſcimus, quædam ſtatim prodeunt, quędam requiruntur diutius, & tanquam de abſtruſioribus quibuſdam cellulis eruantur, alia pro aliis ſæpius exiliunt, quia finitima ſunt, euocatis, & quaſi hæc loquuntur, ecce nos ſi forte quæris. An non hoc magnum & ſpecioſum, poſſe animum in memoriæ theſauro condere cogitationes ſuas? deinde educere ad arbitrium? & educta rurſus reponere? neq; id bis aut ter, ſed milies? eóq; ordine educere quandoq;, quo intromiſſa fuerunt? quis de iſtis non ſtupeat, & attonitus non capiatur? O præclaram igitur animæ humanæ conditionem, non vbi ſpiritu & ſanguine tenetur, ſed vbi adeſt ingenium, ratio, docilitas, memoria, cogitatio, voluntas, quibus nihil in terris æquè admirabile: hæc tantam habent excellentiam, vt ſacroſancta Dei effigies in illis eluceat, hæc cum ſupernis illis beatiſſimis ſpiritibus communia ſunt nobis, hæc ſupra omnium animantium genera hominem efferunt, hæc nos tecta extruere, vrbes incolere, ſocietatem ſanctam ſeruare, diuinum aduocare nomen, & contemptis terrenis cœleſtia amare docuerunt, his literas, his artes, his ſubſidia omnia melioris vitæ, his

tot præſi-

tot præſidia contra feras inuenimus, his deniq; nemo optauerit meliora, nemo dicere habeat, quibus aliis traditis homines fieri poſſũt auctiores. Ex his autem, quæ vita habet, hæc certe cæteris præferuntur: quis enim velit imperio, regnis, gloria, opibus, pecunia abundare? quis illos ipſos aureos poſſidere montes, vt amentiam incurrat? Cari ſunt nobis oculi: propter hos etenim ſpecies rerum diſcernimus, cœliq; & aſtrorum, atq; huius lucis iucundo fruimur aſpectu: ſed quilibet citius oculos proiicere, quàm deponi ſe de mente volet: eſt enim optima eius ſpecies, & præſtantiſſima, pluſquam cæterarum rerum omnium, excepto Deo, cuius eſt impar quidem imago, ſed imago tamẽ. Quòd ſi deformi ex creatione incomptam ſe mens indotatámq; agnoſceret, non adeo ſibi placeret, nec reliqua infra ſe duceret, non etiam ſic odioſa nobis eſſet dementia. Poſtquam igitur tantam pulchritudinem animo complectimur, & veluti dij quidam terreſtres ſumus, meritò animalia cuncta hominibus obediunt, meritò cœlum cum ſideribus, aër cum ventis, mare cum amnibus, terra cum frugibus ad vſum voluptatémq; præſto ſunt nobis: hæc enim ipſa elementa mũdi venuſtatem noſtram cœlicolis æquam mirari penè dixerim, ideo famulantia ſe præbere. Virtutes verò, quæ ſicut anima corporis, ita ipſæ animæ forma ſunt, quid dicam? aut quomodo eloquar, quanta pulchritudine ſint decoræ? has ſpectans mentis oculis Plato, ſi corporeis his (inquit) humano generi ſpectabiles eſſent, quàm vehementi amoris igne corda cunctorum inflammarent? Non enim quomodo in corporibus album & rutilum, longum & latum, ſic in eiſdem iuſtum, prudens, temperatum, magnanimum, caſtum, fidele, verecundum ſpectare poſſumus: hæc enim non corpora, ſed animos ipſos informant, ideo animorum ad ea oculos intendere oportet. Si hominem ſumma præditum virtute, eundem tamen incuruum, ſimis naribus, demiſſis labijs, cruribus intortis, rugis vndiq; exaratum nactus eſſem, & prætereuntem oſtendens comitibus dicerem, en pulcher homo, riſum mouerem propterea, quòd animaduerterent tantummodo ad eam figuram, quæ digito cõmonſtrari poteſt. Verùm vbi explicarem hominem illum pietate erga Deũ, charitate in proximos, fide vti ad omnes, domitas habere ſenſuum libidines, ſummam diuinarum humanarúmq; rerum ſcientiam animo eſſe complexum, quis non illum pulcherrimum iudicaret? hominis enim forma animus eſt, qui in illo virtutum dote eniteſceret: ideo quod latebat, introrſus ſpectandum erat, ſi quidem hominis, & non ſtatuæ ſpecies in iudicium veniret. Quomodo etiam ſi veniſſent ab amico quopiã docto literæ de re magna & graui, figurarum in illis ductus incompoſiti eſſent, & inæquales, attamen optimas ſententias collegiſſent, nonne de omnium conſuetudine has literas pulchras vocaremus? Quòd ſi in literis non figura corporũ, ſed earum ſententia ſpectatur, quantò magis idem valere debet in hominibus, a quibus literæ ipſæ proceſſerunt, prẹſertim quòd literẹ etſi nihil penitus ſignificent, literæ ſunt tamen. At figuram noſtri corporis virtute animi carentem, nemo probus hominẽ vocet. Hoc rationis habentes Stoici meritò ſapientes viros, quanuis corpore eſſent impeditiſſimo, cæteros antecedere pulchritudine dixerunt, quia ſicut nihil melius, ita nec pulchrius aliquid cogitari poſſe videbatur ijs virtutibus, quæ in ſapientis animo ſedebant: non gemmẹ aureo in vaſculo aduerſæ ſolis radiis magis refulgent: quicquid aut aſpectu rarum, aut

rum, aut materia vel opere pretioſum, vileſcit, ſi cum illis conferatur. Socrates penes Platonem in Phædro rogans deos, Date (inquit) vt ſim pulcher intus. Optabat iſte (vt opinor) virtutum copia affluere, exiſtimans ſolam hanc eſſe pulchritudinem, quã homines a diis petere, & Deos hominibus dare deceret. Idem Socrates quum apud Xenophõtem diceret ſe pulchirorem Critobolo, & aliis ætatis ſuæ formoſiſſimis hominibus, quum ipſe eſſet, deformis, iocari videtur: ſed ille ſermo qui iocus videbatur, ad virtutem animi ſpectabat, quæ vel ſola pulchritudinem eximiam præſtare poteſt, & in hac pulchritudine ſe illis ſuperiorem fore iocabundus innuebat. Eandem ſententiam transferens ad vnam iuſtitiam Albertus Carrettus non minus ingenio, quàm nobilitate generis pollens, & ſanguine mihi coniunctiſſimis olim incluſit his verſibus.

Sola facit pulchros homines, quæ maxima virtus,
Iuſtitia: hæc quouis ſidere fulgidior.
Deformis ſis ergo licet, ſis corpore manco,
Pulcher eris, iuſtus tempus in omne manens.

Quòd ſi hæc vera ſunt, gentium omnium & nationum, quæ ſunt, erunt, fuerunt, Chriſtianos pulcherrimos dicendum, veræ pietatis lumine radiantes: nam reliquos mortales impius dæmonum cultus obtenebrarat. Sed eſt virtutum omnis vis in actione poſita: idcirco mortalium rerum adminiſtratio, tanquam materies, illis ſubiacet, quam præſenti ſui ſpecie exornant: nitet enim prudentiæ vis in eligendis rebus, temperantiæ in vtendis, fortitudinis in tolerandis, iuſtitiæ in diſtribuendis. Diuitijs vtitur quis, deformiter, niſi ad neceſſitatem naturæ, vel ad vitæ dignitatem, vel ad liberalitatem vtatur: hoc enim modo admirabilẽ virtus diuitijs præſtat decorem. At auarus habet incluſum aurum domi, tanquam depictum: non enim eo fruitur, vita manet pauper, ac ingenti teſtamento decedit bene diues. Iſtum ergo heredes viuum lugent, tanquam mortuum: nam, ſi verè mortuus eſſet, riderent: nec immeritò, ſtultiſſimè enim tenebris mãdauit aurũ, quod luce & liberali vſu magis explendeſcit. Dictu monſtroſum eſt, bona, quę manu tenet, quæ ad eũ peruenerũt, vitio animi ſibi non contigerunt. Seruile officium eſt cuſtodire aurum alienum, quantò magis ſuum? quia huiuſmodi cuſtodia non ab alio homine ſibi demandatur, ſed ab ipſo auro, cui ſeruire ſe oſtendit auarus: ideo turpiſſimè ſe gerit immortuo ſeruiens idolo: at pulchre ſe habet, qui ſupra aurum eſſe ſe credit, & in amicorum & egẽtium vſum diſtribuit, tanquam dominus. Bellum gerit ille & in hoſtem vadit audacius ferro inſtructus: ne id quidẽ pulchre, niſi pro ęquitate pugnet. Habet hoc fortis vir, vt nullis periculis laboribus, difficultatibus terreatur, nihil vt timeat conceditur, vnum excipio iniuſtitiæ dedecus, quod ſi formidauerit, cupiditates animi temerarias maiori fortitudine oppreſſerit: denique quicquid agimus, turpe, fœdum, indecorum fuerit, niſi virtutis forma illic deſederit. Illud autem harum virtutum, quæ ad mores ſpectant, & ex quibus bonus vir dicitur, peregregiũ, quòd omnes iugatę ſibi ipſis inuicem ſunt, & copulatæ, & alternis veluti brachijs connexæ, Adeo vt dicant hi, qui philoſophiæ ſunt principes, eum, qui vnam virtutem habeat, omnes habere: Nam etſi omnes virtutes non ſunt prudentia, vt Socrati viſum eſt, non tamen ſine prudentia conſiſtunt: vnica autem eſt prudentia, quæ non agit ſociata cæteris

virtutibus

virtutibus id, quod propriè pertinet ad ipſas, ſed agendi finem, & per quæ ad illum perueniatur, vnicuiq; earum demonſtrat: itaq; boni viri nomen non feret quicunq; ab hac præclara virtutum germanitate receſſerit. Homo ſæpius impellitur, vt ſpectet fabulas, ludos, pugnas, veſtes, tecta, gemmas, picturas, vel aliud quodlibet, & quandoq; illorum aliquid miratur, quum tamen in hac mundana ſcena nullum ſpectaculum ſit homine admirabilius, & ſit cæterorum mirator ipſe miraculum maximum. Nam ſimplicem habet ſubſtantiam cum lapidibus, vitam creſcentem & vegetam cum ſtirpibus, ſenſus & appetitum cum beſtijs, mentem & intelligentiam cum dijs immortalibus. Hoc cum per ſe patet, tum clarius eluceſcet, vbi gradus, quos in rebus natura poſuit, cœpero explicare. Id profectò eſt maximum admiratione ſumma proſequendum, quòd homo ſumma, media, infima vno nexu in ſe tenet, quòd corporeum omne & incorporeum ſimul oſtentat, quòd cuncta, quę diſperſa ſunt per reliqua rerum genera, ipſe poſſidet aceruatim, & in ſe vno collegit. Hic eſt nodus rerum creatarum, hæc copula, paruulúſq; (vt aiunt) mundus, nihil habet proprium, niſi hoc, quod commune habet cum omnibus, quod ineſt ſingulis, vt priuatum. Et vt magis credatur mundi huius illi ineſſe ſimulacrũ, animaduertere libet illius corpori infixa fuiſſe elementa omnia propterea, quòd terram habet in carne & oſſibus, aquam in humoribus, aërem in pulmone, igneam vim in corde, & eſt illi cœli cuiuſdam loco cerebrum in ſummo locatũ vertice, ſenſuum & motus fons, reminiſcentiæ mentiſq; domicilium. Nam turbidi irarum æſtus, & cupiditatum fluctus in medio corporis thorace gignuntur, ſicut in hoc quoq; mundo media aëris regio has nimborũ ſuſtinet procellas. Seminarium autem fœdæ libidinis, & excrementa ciborum ſub ventre collocata infimam tenent hominis partem, quia ſordida ſunt, & fæculenta, & terrena quodammodo. Magnum igitur miraculum homo, quòd augetur adhuc in immenſum ſpectanti, quòd manente extrinſecus humana figura intus ille vertere ſe poteſt in res quaslibet, Protei cuiuſdam more, qui (vt dictum eſt antea)

Omnia transformat ſeſe in miracula rerum,
Spumat aper, fluit vnda, fremit leo, ſibilat anguis.

Eiuſdem cõditionis homo, qui ſuſcipere poteſt imaginem rei cuiuslibet imitatione & ſimilitudine morum: nam quum nihil habeat ille (vt dixi) ſuum, ſed omne teneat alienum, cum ſit conflatus ex eo, quod vnum quodq; cæterorum habet, vt priuatum, non fuit quoq; certo viuendi modo compeditus, ſed permiſſum quà velit vagari, & datum exprimere imitatione quodcunq; e cæteris delegerit genus. Sic ille ſui iuris, & ſuarũ actionũ dominus cõſtitutus eſt, nihil certi præſcriptũ, cuiuslibet rei ſequi naturã poteſt, & quam ſequitur ſtudioſè, huius effigiem ſibi imponit. Sed deſcendere ad inferiorũ rerũ formas tam dãnoſum, quàm aſcendere ad ſuperiora magnificum: eſt enim in medio poſitus eorum, quæ deorſum & ſurſum ſunt, hæc vel illa ſequi licet. Quamobrem ſi ad deteriora deflectit, turpiter & iniquè viuendo, vt quia inhiet rapinis, & prędę: fraudibus, vel voluptatibus ſeruiat inguinis aũt gutturis, vel inanes aucupetur hominum rumores, vel ſtupido ſit ingenio, vel timido, in eóque permaneat; tunc fruticis, vel volucris ſimilitudinem gerit, vel feræ alicuius induit

ſus induit vultum, eius ſcilicet, in cuius declinat naturam: veluti leonis, apri, ſuis vulpis, cerui, & cæterorum talium: neque eorum, qui ſic commutantur, quilibet eandem refert aſſiduè imaginem, ſed nunc aliam, mox aliam, prout ex aliis in alios deducitur affectus, Protei cuiuſdam (vt dixi) more, niſi quòd differunt in eo, quia ille intus Proteus manebat, externa tantummodo membrorum ſpecie mutari videbatur. Homo autem e conuerſo intus in animo mutatur, ideſt in meliore ſui parte, ſalua humani corporis figura; quæ exterius ad oculos eſt. Quòd ſi homo omiſſa labentium rerum cura, meliora ſibi proponens, aſcendere cupiat, quia omni iuſtitię & pietatis fungens munere, viuendum ſibi hic, & ſecum, & cum reliquis mortalibus putet, inhæreat contemplationi, quantum poteſt, naturalium & diuinarum rerum, Deúmq; ipſum præ omnibus ſequatur, & imitetur. Hic intus præ ſe fert imaginem cœleſtis numinis, humana carne circumuallatus, quo ſpectaculo nihil magnificentius & admirabilius his eſſe poteſt, qui ad hæc mentis oculos intendere valent. Magnum igitur & ſpecioſum id homini contingit naturæ munere, quòd transformare ſe poteſt in quælibet, quæ delegerit: miſer ſi deteriora: fœlix, ſi meliora ſequatur. Hinc latiſſimus poëtis campus transformationes ſumendi: nam (vt noſti) alium in lapidem, alium in arborem, alium in feram, alium in volucrem, alium in aliud quodlibet conuertunt: præſtantes autem & excelſos virtute viros Deos vocant, & vt Deos venerantur; nihil in iſtis fingunt, niſi quod intus fit in moribus, illi ad oculorum ſtuporem & ſermonis magnificentiam transferunt extra, quaſi figura humani corporis in illa vertatur. Mouetur enim vulgus audiens mulierem in arborem ſui nominis conuerti, & magis adhuc, vbi incidit in aures tam graue plenúmq; carmen,

Torpor grauis occupat artus,
Mollia cinguntur tenui præcordia libro:
In frondes crines, in ramos brachia creſcunt:
Pes modò tam velox pigris radicibus hæret:
Ora cacumen habent.

Et quod mox ſubditur de Phœbo, qui nolentem amauerat mulierem,

Oſcula dat ligno: refugit tamen oſcula lignum.

Hoc, quòd tam mirabile eſt, non diceretur, niſi in ipſum lignum facta eſſet mutatio. Ergo vt dici hoc poſſit, & plæraque alia, quæ ſtuporem incutiant audientibus atque legentibus, exuat mulier hominis figuram, & ligni induat: Illa quidem Lycaonis hoſpites necantis in lupum conuerſio facilius effici potuit: nam præter id, quòd cæde & ſanguine gauderet, lupi referens naturam, truculentus vultu & aſpectu fuiſſe perhibetur: additur quoq; canitie deformis fuiſſe. Quapropter quum in humani corporis figura haberet aliquid luporum corpori conſentaneum, procliuis ſibi facta eſt mutatio in id animal poëtarum verſibus: hinc illa iucundè cantantur,

In villos abeunt veſtes, in crura lacerti:
Fit lupus, & veteris ſeruat veſtigia formæ:
Canities eadem eſt, eadem violentia vultus,
Iidem oculi lucent, eadem feritatis imago.

Et de homine quidem ſatis dixiſſe videor, necnon de his, quæ ſunt in partibus. Re

bus. Res iam poſtulat, vt de congrua partium iunctione loquar, quæ totius forma dici poteſt. Hæc vehementer delectat, & ſummè afficit animos, in hac plærique omnem pulchritudinem poſitam crediderunt, quãquam falſò, adeo capti ſunt ſplendore, quem deſcriptio, proportio, ordo faciebant. De his, etſi nonnulla dicta ſint antea, nihil tamen prohibet latius etiam quædam enarrare, quò facilius adhuc intelligatur ipſius ordinis pulchritudo, & vt ab exemplo exordiar notiſſimo, & valde illuſtri, videmus quæ ſeries, & qui membrorum contextus in omnibus animantibus ſit, & quàm mirabiliter deceat. Primum enim caput eſt, & huic annexum collum, ſub collo pectus, & dorſum, his adiuncta ſunt ilia, & venter, inde genitalia, tum femora, poſtremo crura, pedéſque. Nec in vniuerſo tãtum corpore, ſed in partibus quoque tenor idem in cunctis fere animantibus ſeruatur: nam in capite vno ſenſus quatuor diſpoſiti ſunt in commune omnibus, & id non temere aut fortuitò, ſed ratione præclara: quia ſicut quiſque ipſorum ſenſuum vtitur propinquius rebus, ita ex ordine inferius ſedet, qui autem ad diſtantia ſe intendunt, altius ſunt collocati. Guſtatus ſegnis admodum ex omnibus, non ſentiens niſi admota: at longe odoramus, longius audimus, longiſſimè videmus: itaque ſupremi oculi, infra eos a lateribus aures, poſtmodum nares, infimæ omnium fauces. Illud verò præſtantiſſimum, quòd quæ bina ſunt membra eiuſdem figuræ, veluti oculi, aures, genæ, lacerti, manus, ilia, crura, pedes, a latere collocata ſibi ipſis inuicem e regione reſpondent, quæ autem ſingula, vt naſus, frons, os, pectus, venter, collum, & dorſum, medium inter illa occupant locum decenter. Illud quoque cum ſumma admiratione contemplati ſunt veteres, qui corpora animantium ſecuernnt, quòd cum animalis cuiuſlibet corpus non ex decem aut duodecim, aut viginti partibus, ſed infinitis oſſibus, muſculis venis, arterijs, neruis compoſitum ſit, ita vt ad oſſa venæ pertingant, ad muſculos autem non venæ ſolum, ſed arteriæ etiam & nerui deducantur, omnia horum, quæ in dextra parte animalis ſunt, in ſiniſtra pariter inſpiciuntur, nihil diſcrepat, ſed æqualia omnia, magnitndo, ſitus, numerus, quantitas, figura, color, tota denique conſtructio & conformatio. Atque hæc licet deducere ad gemina, quæ nobis inſunt membra, veluti quum duo ſint oculi, particularum numerus in vtroque æqualis: non forma, non multitudine, non materia, non loco, non colore, non connexione cum vicinis membris, non qualibet alia re inter ſe differunt, paria cuncta in duobus, niſi quòd veluti in acie dextrum vnus, alius ſiniſtrum obtinet cornu: quin etiam vnica ipſa membra, quum gemina conſtent compagine, partes habent dextras perquam ſimiles ſiniſtris. Sed nec illud prætereundum, quòd vniuerſa corporis membra ita aptè diſpoſita & connexa ſunt, vt quum animal velit aliquid agere ſecundum naturam, cuncta concurrant, tanquam in famulatum illius actionis conſenſerint & conſpirarint: quod ſeparatim quoque in vnius cuiuſque membri particulis animaduertere datur: nam hæ omnes cõmodiſſimè deſeruiũt ei muneri, ad quod membrũ inſtitutum fuit. Veluti oculus factus eſt vt per eũ animal videat, is multas habet particulas, quæ omnes ad illius muneris actionem referuntur: quaſdã enim obtinet, per quas viſus efficitur, quaſdã ſine quibus videre non licet, alias melius videndi gratia, alias ad horũ omniũ cõſeruationẽ. Idem maneat ſermo de ore, lingua, ventre, pedibus, & reliquis.

Attamen quum hic ſit habitus & diſpoſitio in corporibus omnium ferè animantium, multiplex tamen figurarum diuerſitas: ex quo admirabilis exoritur pulchritudo, dum præfixus ordo varietate quadam diſtinguitur: lineamentorum nanq; diſparitas cernitur in ipſis animantibus: tum verò etiam diuerſus ornatus: aliæ enim beluarum, corijs tectæ ſunt, aliæ villis veſtitæ, aliæ ſpinis hirſutæ, aliæ teſtis, veluti domibus, incluſç, pluma alias, alias ſquama videmus obductas, quędam armantur cornibus, quædam vngulis, quædam dentibus, quædam aculeis, quædam aduncitate roſtrorum, plurimæ bipedum effugia habent pennarum, quibus corpora in ſublime librant. At vnum quodq; animal in genere ſuo quã pulchrum ſit, hinc intelligi poteſt, quòd ſi quid viciſſim de altero in alterum trãsferatur, nihil impeditius vſu, nihil aſpectu deformius habeatur: veluti ſi elephanto dederis cameli collum, & rurſus camelo proboſcidem elephantis, ineptam & ingratam vtriuſq; reddideris figuram. Et ſi alicui oſtenderentur lanoſi piſces, ſquamatæ oues, horribile quoddã oculis obijceretur, & abſurdum quid vigilans patiatur, vt ſomniare ſe putet. Serpentes ſinuoſis flexibus lubrico lapſu per agros errãt, ſquamarum maculis terga diſtincta oſtendentes, fac alterius animalis pilos cum proceritate crurũ eo tranſire, iam illa corporis longitudo nihil præclarum habuerit, aut admirabile: res erit ſerpens ad vidẽdum inſuauis. Enimuero quũ natura nullam rerum partẽ impolitam, aut illaboratam, aut defectam, & demum ſine aliqua cõuenientia & lepore reliquerit, ſed omnibus abunde prouiderit, id tamen maximè in effingendis animalibus oſtendit, ita vt cuiq; eorum tradiderit neceſſaria, nec ſuperfluis onerarit, quod vel ex eo percipi poteſt, quòd cunctis ferè animãtibus terreſtribus collum & crura conceſſit, propter greſſum & vocem: quibuſdam etiam hæc fecit proceriora, veluti gruibus, ciconijs, camelis: atqui vtrunq; horum piſcibus eripuit: nam verũ eſt hos cruribus, aut collo non egere, quos nec ambulare, nec vocẽ edere opus eſſet. Quòd ſi aliquis a Deo hanc nactus facultatem, piſcibus addat collum & pedes, & hęc eripiat terreſtribus, quomodo ademptio hæc iſtis, & adiectio illis non ingrata eſſet & oneroſa? Similiter videmus naturam fortibus & audacibus arma & alia cõgrua monumenta dediſſe: timidis autem ea ſubduxiſſe. Hinc equum duris inſtruxit vngulis, iubáq; decorauit: eſt enim ferox & bellicoſum & generoſum animal: ſic & leoni vngues & dentes validos attribuit, & apro exertos dentes, & tauro cornua, quoniam & audacia & viribus hæc pollent animalia. Ceruis autẽ & leporibus, quibus innata timiditas, velocitas ad fugam data, nec vlla præterea arma illis conceſſa, quoniam timiditati non modo ſuperflua, ſed etiã oneroſa ſint. Itaq; nec timidum aliquod armentum armauit natura, nec ferox aut ſtrenuũ quoppiam inerme deſtituit. quòd ſi hęc tanquã malè prouiſa commutentur, & detrahat quiſpiam fortibus arma, quibus nunc pollent, & addat ea timidis, nonne rem inducat nõ modo viſu fœdam, ſed etiam pernicioſam? quũ contra quã deceat & vtilitas poſtulat, timiditatẽ armarit, ferociam inermem dereliquerit. Rectius eadem natura hominem, quẽ præcipuè dilexit, nudum & inermem conſtituit, non quia timidum, ſed manſuetum & ſapiens animal ſumus, nec egemus hirſuta cute, nec vllis aliis armis innatis, nam & ſi neceſſaria ſunt veſtis & arma, ea nobis propter ſapientiã & manum facile poſſumus parare: illa autem beluis attributa figuræ humani corporis non cõgruebant.

Quòd

Quòd ſi emendator naturæ quiſpiam fœliciores putãs beluas,& cupiens genus noſtrũ ornare, homini imponat cornua, vngues faciat aduncos, inducat vndiq; villos varij coloris,&,ne quid deſit beluinum, addatur bene longa cauda, cuius motu minuta animalia arceantur, quãtum id eſſet monſtrum? quod prodigium? quis obſecro inſpicere ſuſtineret? ſi pictoribus fides haberetur, hæc peſſimorum dęmonũ eſſet effigies, certè digna illis videtur. Sapienter igitur natura apta homini tradidit, nec homini tantùm, verùm etiã beluis: nam quod homini turpiter additũ eſt, idem quoq; turpiter beſtijs detrahatur. Careant illæ naturali corporis ſui veſte, careãt his, quibus ex ſe armãtur, nec ſpecioſæ poterunt eſſe nec tutæ: nunc verò mirabiliter, ſi vtilitatẽ cogites, inſtructæ: ſi ſpeciem, ornatæ videntur. Sed nõ magnopere mirandum ferina illa homini non conuenire, quãdo inter ipſos homines aliud viro adeſſe deceat, aliud mulieri: ſi conſentiant illi ſua decora inuicem permutare, idq; poſſint, egregiã ſibi ipſis turpitudinẽ infixerint. Hoc ſic licet conſiderare: nam in maſculo fuerintylicioſa inſignis candor, nimia carnis mollitudo, delicati artus, humiles vires, vox gracilis, ſtatura breuis, impubes genæ, pauida mens: huiuſmodi viro (ſi vir tamen dici queat) nihil magis ad dedecus oſtentabile: nihil huic tu cõmitteres, nec ego, nec fortaſſe populus ipſe, præter colum & lanam: ſi cum eo verba faciens me vocaret in ſermone, vt fit, fratrẽ, nõ dubitem contra vocare illum ſororem. Age contraſpecta nunc fœminã, quæ valida habeat membra, ſpacioſam corporis vaſtitatem, fuſcum colorem, hiſpidam faciem, vocẽ robuſtam, & animũ audacem, quid hoc eſſet mulieris? quis amare induceretur? te interrogo, qui mulieres ob maximã formæ & morum ſuauitatem amabiles fore iudicaſti, certè in delitijs hanc habeat nemo, quando nec ipſa ad delitias nata videatur: & forſitan mutaretur ſibi vulgo nomẽ, velut ſi Lucia aut Maria eſſet in nomine a parentibus indito, Lucius & Marius vocaretur. Cur igitur non probantur iſta? niſi quia extra ordinem poſita ſunt naturæ: illa enim vtriq; ſexui proprias & inſignes indidit notas, quæ loco manentes ſeruant inſitam gratiam, tranſpoſitæ degenerant: quemadmodũ arbores vbi patrio cœlo & genitali ſolo decedere iuſſę alibi hæſerunt. Perſpicis in hominibus ea, quę ſunt marium, non decere fœminas, nec quæ fœminarum ſunt, cõuenire maribus: eundem quoque puta ſermonem procedere inter muta & irrationabilia animalia: nam illic quoq; natura mares a fœminis diſtinxit. Nam barbæ, criſtæ, calcaria, dentes exerti in parte marium ſunt. Cerui quoq; longiora habẽt cornua, & hac quoq; in re fœminas ſuperãt. Sed & mares truculentiores ſunt, fœminæ leniores: hi hirſutiores, illæ molliores pilis: hi pectoribus latiores, illę clunibus, multiſq; alijs inter ſe differunt, quæ ſi cõmutarentur vtrinq;, multũ decederet vtilitatis de illorũ corporibus, multum quoq; aberit de ſpecie. At non modo inuicem animalia nequeunt decorè inter ſe membra, quibus vnumquodq; eorum excellit, cõmutare, perturbato ordine naturæ, ſed ne ſi facultas quidem adſit cõmutandi ſui ipſius mẽbra in proprio corpore aut addendi vel minuendi, idq; fiat, pulchre & vtiliter factum ſit, ſed deformiter, & inutiliter: Veluti ſi noſtrũ quiſpiam vellet plures oculos in alijs corporis partibus ſibi adiungere, vel vno tantũ oculo media in fronte inſignis eſſe, vel ceruicem habere auerſam, aut aluum: ex quo genere monſtruoſæ gentiũ figuræ in vltimis Africæ & Indiæ finibus naſci perhibẽtur; nam illic inuentos aiunt homi-

nes, quibus abſunt capita, vultus in pectore geſtantes. Item alios quoſdam ſingulis cruribus præditos inſiſtentes vnico pedi, ſed latiſſimo, hícq; (vt aiunt) miræ pernicitatis ſunt ad ſaltum, eoſdémq; ferunt in venatibus, vbi maior incubuerit æſtus, humi reſupinos crure ſublato vmbra pedis aduerſus ſolis radios velari. Hæc et his ſimilia multa enarrãtur, quæ vix fando credibilia ſunt: turpia certe, & informia a naturæ ſtatu recedentia. Procedere in caput vnum quodq; debet animal, reliquis ſubſequentibus mẽbris, excepto homine, cuius ſuprema pars ab humo abſtracta eſt. At fabella quædam narrat factum fuiſſe in ſerpẽte quodam, vt cauda ſeditione aduerſus caput cõmota peteret, vt ſibi viciſſim fieret poteſtas quandoq; reliquũ ducendi corpus, ne ſemper ſequi cogeretur; quod quum a ſerpente conceſſum fuiſſet, fiebat, vt & ipſa ſine intuitu ſe mouens grauiter offenderet, & in eandẽ pernitiem caput reliquáq; membra traheret: tũc experta rem haud quaq; ſuccedere, ſed in peius omnia ferri, ſpõte reſtituit principatum, & ſub eius imperio ſemper futuram dixit. Sic vel de ipſarum fabellarum iocis intelligi datur ineſſe vtilitatem & gratiam in ipſis animalibus naturæ operi: contra quod ſi quis nitatur diuerſa inducens, abſurdè & ineptè illa procedere, ſibíq; perniciem parare. At vide quàm non deceat peruertere ordinem corporum, quãdoquidem in illis effingendis natura geometrica etiam vtatur ratione. Dices vbi perpendiculum? norma? circinus? non habet hæc inſtrumenta natura rerum opifex; ſed vim quæ iſtis inſtrumentis paratur, quæ ſi nulla eſſet, inſtrumenta inuenta non fuiſſent. Ergo vides corpora animaliũ, & in his mẽbra iuſtis ſpatijs diſtincta, & compoſita: & illud in nobis præclarum, quòd quo ſpatio longitudo eſt noſtri corporis, eodẽ reperietur latitudo: nam quãtus quiſq; a vertice vſq; ad calcem, tantus fuerit expaſſis brachijs inter longiſſimos manuum digitos: ex quo conſtat hominis figuram in quadrum quoddam fuiſſe redactam, ídq; magis erit perſpicuum, ſi extrema eius mẽbra rectis lineis tãgãtur. Quòd ſi manus pedeſq; ſimùl, quã tum fieri poteſt, in diuerſa tendantur, & quiſpiam ex vmbilico tanquã ex centro lineam circunduxerit ad ipſas manuum pedúmq; vltimas partes, circulo hominem claudet, cuius figura non alia perfectior haberi poteſt. At vbi ſedet homo, ſicuti modo nos facimus, duos rectos angulos efficit, vnum, qui a capite vſq; protenditur ad femoris extremũ, quo iungitur genibus; alterum qui a femore ducitur ad talos tibiáſq; demiſſas. Et hæc quidem dicta mihi ſunt hactenus memoria opitulante, & vt reliqua ſimiliter poſſim, eiuſdem opem imploro. Illud verò ne volens quidem obliuiſci poſſum, tanquã in promptu ſit, & inter vtraſq; iacens manus, in quo etiam nõ mediocriter ordo elucet, quòd quibus rebus vita tenetur & propagatur, earũ natura ingenuit animantibus appetitum, adeo vt ſi illi arceantur, moleſtia affici ſe ſentiant: ſed vt non neceſſariò ſolum, verũ cupidè etiam ſumerentur, miſcuit voluptatem immenſam: quã obrem venter cibum & potum, tanquã debitum quoddam, importunè repoſcit, nec accepto fert ſoluenti, ſed in craſtinum idem auidè expectat, nec audire poteſt contraria ſuadentem, quia vt (quidam dixit) auribus caret: hinc magna oblata eſt ciborum copia contra famem, magna ſaporũ diuerſitas contra faſtidium: recordare qui in fame æſtus eſſe ſoleat, qualis in ſiti ardor, quãtum vtriuſq; extinguendi deſiderium, quãta, vbi id contingit, adſit iucunditas. At illud alterum ad propagandũ genus neceſſariũ, maris ſcilicet fœminæq; coniunctio,

ſunctio, qua cupiditatis exardeſcit flamma, quantam habet libidinem? quomodo verò, quum pubertas aduenit, membra illa huic cõiunctioni aptiſſima ęgre moram ferũt? quã penè inuerecundè honeſtiſſimum generationis officiũ expoſcũt? De voluptate verò, vbi res peragitur, nõ habeo neceſſe dicere, quia iam antea earum omnium, quæ ſenſibus parantur, maiorẽ poſuimus: quãquã talia, quæ ſecreto peraguntur, & nocturna ſunt, nimis enudare verbis nõ conueniat: quod ſi facere deceret, oſtenderetur naturam ad opus generationis ſolertiſſimè cuncta præparaſſe, tam ea, quæ ſunt maris, quã quæ fœminæ. Illud tamen, quod proximũ eſt iam dictis, & declarat egregiam diſpoſitionem ſummúmque naturę ordinem, non prætermittam, quòd ſanguis is, qui ſuperfluit in mulieribus, quem nequeunt imbecillitate caloris in reliqua mẽbra digerere, & ſingulo menſe certis defluens meatibus in vtero congregatur, reliquũ corpus reddit leuius, atque purgatius: ſimulac profuſo ſemine conceptus eſt fœtus, conſiſtit illico, & coaguli in morem glomeratus fingit corporis membra, ipſúmque animal irrigat, fouet, atque nutrit, donec auctum ſuis numeris atque perfectum loco mutari deſiderat, atque aliud alimẽtum requirit. Tunc idem ille ſanguis inferioribus deſertis aſcendit velociter colore mutato ad genitricis mammas, vbi iam nato conuenientem ſibique familiarem alimoniam miniſtrat. Hęc profectò oſtendunt mirum naturæ ordinęm: quod ex eo etiã intelligitur, quòd ſimulac animalia ex vtero fluxerunt, ſponte ſua nullo docente maternas mammas inuadunt, earúmque ore admoto ſugunt vbertatem, & videre etiam licet, quòd quæ beſtiæ multiplices edunt fœtus, vt ſues, & canes, mãmis abũdant, pauciores autem habent, quæ ſingulos vel binos pariunt. Ex eo quoque perſpicere datur ſingularem naturæ artem, quòd quũ ſtatuerit non educere ex materno vtero fœtum, niſi nono aut decimo mẽſe, donec ſcilicet fœtus ad iuſtam magnitudinem maturitatémque perueniat. Attamen vbi infœliciter aliquid circa ſecundas, vel membranas, vel circa ipſum, qui geſtatur, fœtum accidit, tunc deſperans de perfectione, non expectato illo veluti legitimo menſium curriculo, ſtatim abiicit atque expellit, vterúmque inani onere liberat. Aliud opus referam circa idem, non minus admirabile, quod efficitur prouida eiuſdem naturæ ratione: nã vbi fœtus conceptus eſt, ita os matricis conſtringitur & agglutinatur, vt ne ſpecilli quidem cuſpidem admittere poſſit: atque id fit donec fœtus tempeſtiuus reddatur emiſſioni: vbi id tẽpus aduenit tunc ſponte ſua pateſcit & plurimum aperitur, adeo vt integrum animal illinc egrediatur. Et de his quidem ſatis, quantũ ad naturam attinet. Me verò in animalium corporibus non modo maxima quęque, ſed etiam minora mire afficiunt: nam vt dicam quoque aliquid de cibo & potu, cuius voluptatem modò memoraui, is neceſſarius eſt ad animalis inſtaurationem, vt reſtituatur quod quotidie deperit humidi & ſicci. Hic ego mentis oculis ſpectans & conſiderans quomodo cibus ore receptus manditur, deinde intromiſſus attrahitur a mẽbris, retinetur concoctionibus plurimis, commutatur, excernitur, & quod inutile eſt expellitur: quod verò vtile aſſimilatur ei parti, quæ nutriri poſtulat, quotque ad hæc conficienda inſtrumenta & quã artificioſa parata ſint, quorum alia idoneum cuique particulæ nutrimentum commutando præparant, alia ſecernunt excremẽta, alia tranſmittunt, alia ſuſcipiunt, alia ſalubrium ſuccorum in omnem partem ferendorũ ſunt viæ: hæc inquã conſiderans maiorem in admirationem tanti

ordinis tanquam ſingularis trahor. Sed me nõ modo maiora hæc (vt dixi) verùm etiam minora delectant, veluti hoc de dentibus, quos quum habeamus numero duos & triginta, ſexdecim ex vtraque oris parte, horum primores acuti diuidunt eſcas, proximi his canini latiores frangunt, reliqui molares aſperi iam & duplices molarum inſtar, vnde appellationem quoque ſumpſerunt, conterunt & imminuunt, & primoribus quidem radix vna, caninis duæ, molaribus quatuor. Si hominum duorum & triginta choream ternis inter ſe diſtantem gradibus ordine collocatam viderẽ, non leui mulcerer voluptate, quum verò natura hoc idem præſtiterit in dentium ſerie, quos ori noſtro indidit, negligendum putabo, præſertim quum eo quoque accedat vtilitas? nã ſi ordinem paululum immutaris, non æquè vtiles erunt. Illud quoque quòd ſuperiores dentes inferioribus ſint pares magnitudine & figura, quodque eadẽ ſeries, idémque numerus dextris ac ſiniſtris, nonne æquitatis cuiuſdã præ ſe fert ſpecimen, quod intuentem oblectare poſſit? Habẽt id quoque primores dentes, quòd nõ ſolum extenuant cibum, verùm etiam humani oris nimiam & immoderatam vocem fingunt ipſi & moderantur linguæ ictum excipientes, qua in re videtur præclarè natura conſultò effugiſſe membrorum multitudinem, quãtum fieri commodè potuit, quum eodem membro ad diuerſas vtatur functiones, quod in lingua quoque factum videmus, quæ non loquelæ tantum, ſed saporũ quoque iudicio præpoſita fuit. Sed & in alijs quoque membris eadem natura idem præſtitit, ſentiens id eſſe ordinis, non vti plurium miniſteriis, vbi vnius miniſterium ad plura ſufficit. Idque imitantur elegantes patresfamilias in eorũ domibus, & reges in palatiis, dum eundem hominem diuerſorũ munerum adminiſtrationi præficiunt. Quid nunc tibi trium membrorum, quibus præcipuè animal gubernatur, cõmemorem officia, Cerebri, Cordis, Iecoris? nam a cerebro ſenſus omnes motúſque demanant, & ab eo nerui in omne corpus tenduntur, a corde ſpiritus per arterias, a iecore ſanguis per venas funditur, quarum vtrarũque magna eſt multitudo toto corpore intexta. Hæc omnia, de quibus nunc eſt ſermo, quomodo & qualiter fiant, ſi explicare voluero, dies deficiet: mihi ſatis eſt, quòd ita ſummatim & nudè expoſita admirabilẽ fabricantis naturæ prouidentiam oſtendunt, id enim propoſitum naturæ, vt partium ſingularũ apta ſit connexio in totius decorem, idque prouidentia ſeu ordo rerum appellatur. Artificia verò hominum non ne idem ordo commendat? quilibet enim artifi cum in ordinem quendam ſingula diſponit, cogítque mẽbra omnia operis alia aliis congruere, proxima quæque copulando, atque ita ad totum peruenit, quod vnum quiddam apparet, non diffluentibus, & diſſipatis partibus, ſed inuicẽ intextis: eſt enim imperfectũ quiddam & vile numerus, ſed ordo efficit, vt dignitatem & ſplendorem, quem præ ſe fert vnitas, multitudo rerum retineat. Demum quantam dignitatem habent artes, tanta eſt in ordine: eſt enim ars quęlibet ordo, vel non ſine ordine. Illud etiam valde ordinem commendat, quòd ortum habet admodum generoſum: quandoquidem a ratione proficiſcitur, qua nihil in terris melius aut admirabilius: hoc ſi quis ignorat ex cõtrariis ſumere id poteſt: nam confuſio & perturbatio, quæ aduerſantur ordini, nullum habent cum ratione cõmercium. Enimuero humanus animus, cui rationis vſus interceptus eſt ſomno vel furore, confuſa omnia & perturbata cernit, & pueri, quibus idem rationis vſus nondum contigit, ordinem rerũ non

agnoſcunt,

agnoſcunt,& in viris,quò quiſq; ſapientior,eò magis ordine oblectatur. Tantum autem ordo adijcit pulchritudinis, vt quæ horremus in partibus,ea placeant cõpoſita,& collata ipſi toto. Quid in vrbibus fœdius cloacis, quæ fœditatum omnium receptacula ſunt? fac illas loco & ordine poſitas, probabimus atq; laudabimus. Quid in corporibus noſtris,nõ ne ſi ſola quædã membra attendas, ea non poſſis attẽdere? tamen quia neceſſaria erant, natura deeſſe noluit, & quia indecora, eminere non permiſit: itaq; & æquiſſimè videntur patentiorem locum melioribus cõceſſiſſe,& abdita magis in parte illa decenter conſediſſe. Nihil horribilius q̃ homines capite mulctari, & viuum aliquem flammis ſubijci: tamen vbi legum iuſſu id fit ob flagitium ſusceptũ, nihil aſpere pœna illa offendit oculos: nõ enim puniri deformitatem habet, ſed pœna factum eſſe dignũ. Magna olim in gloria Hercules, & Theſeus fuerunt puniendis ſceleratiſſimis hominibus, qui corporis pollentes viribus latrocinia fœdiſſimè exercebant, & in his viris illud videbatur præclarũ, quòd quas in alios impij illi excogitauerant ſuppliciorũ rationes,in eiſdem ipſos debitas pendere pœnas compellebant. Neminem porro latet impiorum morte nequitiam eorum finiri,& licentiam deinceps eripi in meliores peccãdi. Illud quoq; manifeſtum, perditorum pœnis integros terreri, ne ſimilia aggredi velint. Pulchre igitur vtitur Reſpublica probor; hominũ vita,in ſuum cõmodũ, pulchre etiam hominum nocentium morte: vt enim malus vir nihil habeat in ſe boni, habet tamen vnde de ſe bonũ fieri poſſit, quod ad vniuerſi decorem præſto ſit,licet in parte ſpectatum, fœdum appareat. Huc ſpectat,quod inter argumenta aduerſus te poſui de victo, cuius dedecore victoria alterius cõficitur clariórq; redditur, atq; iucũdior: deniq; quicquid turpe auerſabimur animo, iungatur id cæteris ſui partibus,& placere incipiet: nõ enim conuenit vnũ aliquid ſpectari, vbi plura nexa ſunt ad decorem. quæ anguſtia eſt hæc animi non colluſtrare ſimul vniuerſa? in quibus nihil non ſuis ſedibus diſtinctum, diſpoſitúmq; reperietur. An exiſtimas Apellem ſic picturam ſuã inſpici velle, vt vnius tãtum in ea color,& præſertim nigrans attendatur? De lunæ pulchritudine iudicato: conceditur, ſed noli tridui tantũ figuras obſeruare, ſed quas curriculo menſtruo oſtenderit: tunc creſcentis aptos numeros ſeneſcentiſq; videbis, nam dum orbem paulatim ſibi adauget, paulatim etiam imminuit, oſtendit prudenti mutatione heſternæ ſemper diſſimilem figuram. Furere videbitur orator, ſi quiſpiam veluti occluſis auribus verba & ſententias prętervolet, in ſola manuũ iactatione defixus ſit. Multa ſimilia addi poſſunt, ſed ſatis eſt intelligi, nihil eſſe deforme in partibus, quod congruens vniuerſo non pulchrum ſit. Et iſtud eſt quod Auguſtinus aptum vocat, quod nõ ex ſe ipſo, ſed ad aliud ſpectatum placere poteſt. Affirmandum præterea quũ in tanta rerum varietate neceſſe ſit, alia ſumma eſſe, media alia, alia infima, etiã illa infima (& ſi comparatione meliorum iacent) fore pulchra, naturam modũq; proprium ſeruãtia. Hinc laudes ſuas alij muſcæ, alij cineri & ſtercori, alij ranunculis, alii lenti ſeu fabæ dixerunt: quod fieri non poſſet, niſi in genere ſuo pulchra viderentur. Non defuit etiam ſua laudatio lauro, non hederę, non roſæ, non oleæ, quia ſpecies, vtilitas, vis iſtarum minutarum rerum delectat. At humiliter (inquiet aliquis) ornata ſunt: nec mirum, quia ipſa etiam, quæ ornabãtur, humilia erant, parua paruis, & magna rerum lumina magnis conueniunt:

ſi quis

ſi quis autem altius illa velit euehere, & maiori in honore collocare, non ornauerit, ſed exigua illa ornamenta turbauerit, & quandoq; de proprio deponet munere, ita vt nulli ſint vſui: habet autem admirabilem dignitatem vtendi facultas, quæ animo modò ſpectatur: hoc, vt in ſuperioribus fecimus, illuſtremus exēplis. Omnino video opus eſſe, vt in hoc omni ſermone plurima vtar exemplorum varietate: pingit enim ſibi libenter imagines & ſimulacra rerum humana mens, quibus veluti gradibus innixa ad magnam ſe deinceps cognitionem tollit. Sed humilem ornatū paruis, grandem magnis conuenire, vnde potius exemplum ducam & cōmodius, quā de ſtudiis noſtris? epiſtola enim ſi magno curſu ſonitúq; feratur, declamatorio vtens dicendi genere, deformitatem habeat nō paruam, propterea quòd epiſtola, non oratio eſt: huius enim proprium eſt illuminatius & magnificētius dicere, hanc tori quidam & quaſi iubæ decent: altera quotidiano ſermone contexitur, & gratior fuerit, ſi tenuiter agens, & nudis rebus, oſſa, muſculos, neruos oſtenderit. Serrę conuenit, vt dentiū mordacitatę vtrinq; ſit aſpera, quo habilis ad ſectiones reddatur: ergo ſerram rigor ferri magis decuerit, quā argenti claritas, quæ ob nimiam mollitudinem ad ſecandum inepta eſt, ſi modo ſerra eſſe debeat. Sin autem pro ferro ſubſtituitur argentum, ſerræ ipſius ſtatus (vt ſic loquar) turbatur, nec ſolatio fuerit illa maior argenti dignitas, quin hoc ipſum ſerram dedeceat, perinde ac ſi agricola vel ſutor ſenatoriam veſtem aſſumat, ridiculoſus enim haberetur, ſed nondum ſummè: nam ridiculoſior adhuc eſſet, ſi ob eum ornatum ſpectari cupiens, a proprio & neceſſario opere ocietur. Horridū militem magis probem, quā vnguentis delibutum, & mollibus indutum: ſic & gladium, quo cinctus eſt, pulchrum iudica uero, ſi ſubtilem aciem habeat ferri, & rigidum mucronem: alterius autē gladium, qui eburneo fulgeat capulo, & vagina deaurata includatur, hebes autem ſit ad incidendum, deformen putem. Pulchrum eſt enim quod naturali vi ſua viget, non infectum, acerſitis aliunde ornamētis. Vidi quandoq; in ſinu hadriatici maris nauem minio vndiq; rubē tem, argenteo illuſtrem roſtro, & cum inſignibus domini deauratis, & purpureo vexillo, longè latéq; propanſo & fluitante, ventilantibus auris: non ob hęc pulchram credo, ſed ita, ſi compacta de ſolida firmáq; materia, iuncturis aptè cohęrentibus ad incurſum maris ferendum, ſi gubernaculo facile pareat, ſi remis commodè impellatur, & velo turgido velociter excurrat: ſin his deſtituatur, facta credi poteſt, vt in portu ludat, & nauiget ſpectantibus de terra, ludo oculorum. Hinc non poſſum comprobare, quod ad me nuper allatum eſt: audio nāq; Gallos ſpatioſa nimis magnitudine nauem in oceano comparaſſe, denſiſſimis trabibus contextam, cum alio inſigni apparatu: ſed eam aiunt vix commoueri poſſe præ grauitate & amplitudine: quis eam pulchram dicet nauem? quæ nec vt nauis habebitur, non magis, quā illa, quæ confracta nauigare deſiit, ſed vt prædium erit vrbanum, & vt res ſoli, quomodo iuriſconſulti loquuntur, vel verius ludus quidam eſſe oculorum (vt dixi) videretur. Domū, quam incenſa vrbe Nero Imperator conſtruxit, aureámq; vocabat, laudare vt domum non poſſum, ac ne ideo quidem, vt pulchram domū, quoniam intra ſe contineret arua, vineta, ſtagna ędificiis circunſcepta, & ſyluas omni pecudum & ferarum copia refertas, & multa aperta ſpatia, longiſſimóſq; proſpectus, hoc non tam erat habitationem, quàm quandam orbis terrarū effigiem repræſentare.

repræſentare. Age conſideremus & illud: ſi pingeret quidam hominem, & in eo tunc oculos nigro colore, & compellaret eum de circunſtantibus vnus inquiens, cur pretioſum hominis membrũ purpureos non depingis? non ne pictor depoſito pauliſper penicillo conuerſus ad hunc dicat? quomodo tu, quũ nigros habeas oculos, hos iubes eſſe purpureos? Quoniam (inquiet) cupio hos ornatiores eſſe meis: & pictor, Cupio etiam ego inquiet idem tecum, ſed vereor, ne ſi purpuram hic admiſceam, iſti non ſint oculi, ſed quiduis aliud magis. Sic intelligi datur non oportere quãpiam rem ita exornari, vt quod eius maximè ſit propriũ obſcuretur, fiet enim tunc non pulchrior, ſed deterior, tanquam de loco depoſita, quem ſibi aptũ congruũmq; ſingula ordinatiſſimè diſtribuens natura indiderat. Fertur ſummus ille Perſarũ Rex Artaxerxes, quũ Antalcidæ Lacedęmoniorũ legato coronam e roſis, croco, violiſq; contextam traderet, obliniuiſſe hanc antea varijs vnguentis, quę more gentis vetuſto erãt penes illũ magni pretij, & acerrimi odoris. Hoc, quod ſplendido regaliq; fecit animo honorandi legati cauſa, exiſtimant quidam ruſticius fuiſſe factum, quia propriũ & naturalem florum illorũ ſpiritum, & nitorem oppreſſerit externo ſuperfuſo, pretioſiore quidem & acutiore, ſed non meliore, nec gratiore. Similiter idem Nero Imperator, quũ ſtatuam quandam Lyſippi ex ære, ſummo artificio factam, vehementius adamaret, iuſſit inaurari: ſed quũ auri fulgor, & nobilitas pretij raperet ad ſe oculos, peribat gratia artis. itaq; animaduerſo vitio aurum poſtea detractum eſt, cicatricibus tamen atq; conciſſuris, in quibus aurũ hęſerat, remanentibus, quę res opus illud pretioſius dicitur effeciſſe. Oportet autem naturali pulchritudini ſuperiacere aliam, quæ priorem nõ obruat vel obſcuret, ſed augeat vel perficiat: veluti in humanis animis cõtingit, quos a natura mirabiliter inſtructos prudentia, & iuſtitia, aliæq; virtutis partes in immenſum exornant. Poſtquã autem apparet naturam res cũctas certis ſedibus gradibuſq; collocaſſe, & iuſta vnicuiq; tribuiſſe, eſſe autem pulchra illa omnia modum ordinémq; ſuum tenentia, debent homines naturam imitari, agendo ſingula locis, temporibus, perſonis congruenter, ſine vlla iactantia, & cũ diſſimulatione etiam artis, ſic enim ordo actiones noſtras commendaret, quemadmodũ etiam res naturæ cõmendat. De his autem rebus aliquid latius explicandũ & diſſerendum venit: hæc autem ſermonũ pars magis propriè ad nos pertinet, quàm illa ſuperior: hominũ enim cauſa verba facimus, non naturæ, etiam dum naturalia tractamus: quantò igitur diligentius humana præ illis conſiderare debemus? Quemadmodũ igitur ſuperius dixi fugienda eſſe vitia, dedecorant enim illa naturam, ſic in rebus laudabilibus & conceſſis ordine ea fieri dico oportere. Imprimiſq;, quanuis medicus non ſit quiſpiam vel nauta, iubeo tempora obſeruare. quid ita? ne fortaſſe pulchrũ ſe putaret; ſi ad hominem mœrentem in morte cariſſimorũ accedat cum tibicine & muſico cantu, tanquam ſolari vellet, non enim id conuenit tempori: luctus enim vbi lætitiam adeſſe ſentit, tanquam viſo hoſte, exacerbatur. Ecce tibi ex altera parte alius, qui audiens quòd cum triſtibus agendũ ſit ſeuerè, grauem intempeſtiuè induit perſonam, aſſidens enim lecto amici grauiter cubantis, Dimiſiſſes (inquit) intemperantiam victus, dimiſiſſes copiam libidinum, nunc hic morbus propter illa tibi meritò obtigit, in poſterum magis cauebis. hæc obiurgatio vel ipſo morbo grauior videri poteſt, res enim hominũ afflictæ clemen-

ctæ clementer, & condolentis animo, tanquam onere partito, ſuſcipi debent: vbi enim conualuiſſet amicus, tunc oportunum erat admonere, ſed dum ſcribitur teſtamentum, & circunſtant medici cum toruo remediorum apparatu, & cruciat morbi dolor, alienũ tempus ſententiam dicere, & philoſophari. Mihi verò, qui ſic accederet, inimici partes ſuſcipere videretur, tametſi eſſet amicus: nam vetus eſt, Intempeſtiuam beneuolentiam nihil admodũ ab odio differre. Alium quendam induxi: nunc de me loquar. Vellem hunc diem præuidiſſe, nam materiam iſtam, de qua nunc dicere oportet, mecũ antea tractaſſem atque examinaſſem: veruntamen ſi tunc ab æqualibus ad conuiuium vocatus menſæ cogitabundus aſſiderem, cogitatio tunc mea, vt inter epulas, inſulſa foret. Quòd ſi eodem loco alius quidam nimis religioſus & pius (me enim nunquam tale aliquid facturũ puto) capite aperto, tremulis labris immurmuret preces ad Deum, ſtultitiæ cæteri hunc condemnent, præſertim quũ dicere poſſint ſe non ad aram, ſed ad menſam cõueniſſe, & quòd hęc eſurientibus melius fumare videtur, quã illa, & longè iucundius: denique fugient illum tũc omnes, nemo aſſidere propius ſuſtineat cubanti, & illa audire verborum murmura. Quantum hic mali confletur ex eo perſpici poteſt, quòd vir probus & innocens iuſtè omnibus odio tunc eſſe poſſit. Quid? ſi quiſpiam noſtrũ forum obambulet, lineam indutus tunicam tantũmodo? res eſſet non vituperatione modò, ſed verberibus quoque digna: at in balneo nudus ritè cõſpiceretur: tam valde refert quo quidque loco fiat. Quòd ſi dixerit quiſpiam nõ ſæpe conſpici hominem per tam notas euntem peruerſitates, nos quoque id concedimus: attamen rei deformitas inſigni exẽplo notata facilius animaduertitur: & ſimulac apertè magis perſpicitur, quã valde ad pulchritudinem actionum pertineat temporum & locorum occaſio. Sic etiam dicendũ de ætatibus: non enim eadem ſemper ſtudia ſenibus congruunt, quæ iuuentus exercet: & rurſus propria ſenectutis munera iuuenes temere inuadant. Spectandũ inſuper quam quiſque perſonam gerat, ruſticus ne ſit an vrbanus, ciuis an aduena, priuatus an magiſtratus. Hinc ait ille in Adelphis,

> Duo quum idem faciunt, ſæpe eſt, vt poſſis dicere,
> Hoc licet impune facere huic, illi non licet,
> Non quòd diſſimilis res ſit, ſed quòd is, qui facit.

Multum igitur refert, quæ, quis, quomodo aggrediatur: & demũ eam actionem pulchram iudicare oportet, primũ quæ virtuti adiuncta ſit: deinde quæ ſe locis, temporibus, perſonis, negocijs aptarit: tunc enim apparet illic affuiſſe ordinem, quem ſuperius dixi plurimam rebus venuſtatem impartiri. At non modo in factis conſiderandũ quòmodo quidque fiat, ſed ſæpius etiam, ſi verbis vtendũ eſt, qualibus verbis tractetur: eadem enim ſententia alio verbo elata ſuſcipitur, alio repudiatur: veluti ſi dicatur, noli inuidere fratri, durũ id & acerbum nimis: rectius autem commutato verbo dicitur, noli contendere cũ fratre. Similiter dixerim libentius, fuge mulierem te corrũpentem, quia mollius, quàm ſi dicatur: deſine mulierem corrũpere. Tale quid præſtitit ſũmus ille græciæ vir Themiſtocles, qui bello Perſico ſuadere volens Athenienſibus, vt vrbem relinquerent, non tamen his verbis extulit, ſed illis; Vt vrbem penes immortales Deos deponerent: quod & honeſtius dici, & facilius audiri poſſe videbatur. Mulieri plurimis onuſtę annis nõ turpem eſſe, ſed for-

moſam fuiſſe dicendum,quod ego cuidam dixi,quũ a ſecundis nuptijs dehortarer. Sed quid dico alioꝶ verboꝶ prolationem eodem in ſenſu prodeſſe,quũ valde referat,quo quodq; verbũ loco ponatur? veluti ſi dixero,non poteſt iſte ambulare,hic adimo potentiã:ſed ſi dixero,poteſt iſte non ambulare,do facultatem. Nuper etiam,quid mutatio poſſit verborũ,innotuit: nam quum inter duos familiares meos grauis orta eſſet contentio,ita vt ad pugnam proceſſuri viderentur, ego animaduertens eorum ſenſum congruere, verba diſcrepare, quid feci? duo tantũ tranſpoſui verba, his in altera orationis parte collocatis, viſa eſt res amborum congruere ſententiæ,& diſcuſſa eſt omnis illa diſcordiæ nebula. Sunt etiam inter ipſas actiones dignitatis gradus, & eſt factum aliud, alio præſtantius: præclarum eſt enim id,quod cum fide fit,cum æquabilitate, cũ beneficentia omni atq; liberalitate. Veruntamẽ ea maximè excellunt,quę ſuſcipiuntur a viris fortibus ſine emolumento & præmio, cum labore ipſoꝶ & periculo: ea enim propria viri virtus cenſetur,quæ fructum cæteris peperit vberem,facienti autem nihil attulit,prętermoleſtiam,ſolicitudinem,& erumnam. Splendidũ eſt in rebus proſperis non efferri ſpiritu,non inſoleſcere propter fortunam:ſplendidius in aſperis non fractum eſſe mente,nõ ſuccubuiſſe, non pulſum fuiſſe (vt aiunt) de gradu,ſed retinuiſſe in cunctis grauitatem animi atq; conſtantiam. Illud etiam permagnum,quodcunq; efficias,ſiue animo vti oporteat,ſiue corpore,ſiue vtroq;,id nullo labore ac nulla penè meditatione effectũ tradere, & imparatus ſemper aggredi videri, ſed ita,vt nulli paratiſſimi melius poſſint. Nam quũ nemo,niſi adhibito labore et ſtudio præclarũ quidquã adipiſcatur,quicunq; facile, & veluti negligendo, agit,vt nõ vim adhibere rebus,ſed res ſponte ſua ſequi videantur, is omnem admirationem ad ſe trahit,& exiſtimatur,ſi ſtudiũ & curam adiungeret,quòd hęc eadem & cætera alia longè præſtantius tractaret. Neq; ego hoc dicens,ſtudium,induſtriã, artem, diligentiam tollo,ſed harum rerũ nullam tradere ſignificationem prudentis puto. Artificem enim virum non ita mirãtur homines:quin potius calliditatem eius & prudentiam verentur: & verè maius eſt vel mediocre aliquid præſtare natura duce,& veluti caſu,quàm per ſummos labores magnũ quippiam quæſiuiſſe videri. Hinc facillimè perſpici poteſt nõnullorum error,qui, vbi in muſicis, arithmeticis, vel quolibet alio ſtudiorum generę profecerint, elaboraſſe plurimum & euigilaſſe aſſerunt,& peritiſſimis diu vſos magiſtris, nec intelligunt imminui ob hæc eorũ gloriam, quam augere ſtudebant. Mihi verò artificij tollenda, vel ſaltem obſcuranda videtur opinio, diſſimulatione diligentiæ,& facili negotij tractatione, vt quiuis ſperet idem ſibi licere, experiendo tamen fruſtra laboret. Quãquã illud non improbo,imo vehementer probo, profiteri peritiam magnæ alicuius artis & grauis,mox in alia non inferiori per occaſionem ſe oſtendere, cuius nullũ ſtudium profiteatur: cõmouet enim valde animos,vbi prodit de homine aliud virtutis genus, q̃ quod expectabatur. Quo fit, vt mihi etiam probetur militaris vir, ſi bello ſtrenuus, & fortis,animiſq; & viribus pollens cæteris tẽporibus modeſtiã præferat & verecundiã. Vt enim pictores lumina augent vmbris,& vmbras deijciũt luminibus,ita vtentes cõtrarijs naturis ex aduerſo collocatis,vt altera alterã augeat. Sic in fortibus viris eiſdémq; pacatis,nam & fortitudo illoꝶ oſtẽditur maior de modeſtiæ conſpectu:rurſus modeſtia redditur illuſtrior ob fortitudinem.

Immoderatum autem profiteri robur oratione, re autem concidere, iſtud eſt imitari veluti in comœdia militẽ glorioſum, vel renouare muris fabulã, quem mater tellus magno edidit cũ tumore: nulla etenim verborũ pompa præcedere debet, nulla extrinſecus circunferri oſtentatio rerũ. Contra verò commendationem habet & ornatum, vbi id, quod apparet, vile & abiectũ eſt, mox de intimo erũpit inſigne aliquod atq; pręclarũ, quod Bacchus feciſſe dicitur, qui veluti ludo Indorum gentem aggreſſus eſt, Silenos ducens, & Satyrorũ ſaltantium choros, molles aſpectu viros, ſed viros tamen, vtebatur exercitus pãpineis haſtis, ſed ſub illis ferrum tenuit paratum. Hos quidem Silenos, quos commemoraui modò, Bacchum ſecum duxiſſe ita fingebant veteres, vt exterior eſſet imago ridicula tibicinis, intus autem (nam aperiri poterãt) effigiem oſtenderent alicuius Dei, formoſiſſimã ſcilicet Deo dignam. His ſilenis Alcibiades penes Platonem dixit Socratem fuiſſe perſimilem, qui ridicula quędã & faceret & diceret, vt qui cute tenus attenderent, illum facile irriderẽt: ſi quis tamen introſpiceret, omnia inueniret diuiniſſima eſſe, & ad maxima quæq; & honeſtiſſima compellere. Quantò enim quiſq; demittit ea, quę ſpecie ſunt prima, tantò magis excellunt recondita illa bona. Sæpe videas vtentem aliquem humili ſermone, eſt in verbis parſimonia, & quodãmodo neglectus: at in ſenſibus inuenies ſplendorẽ omnem, & maximã latitudinem, vrget denſis argumentis auditorem, ſemper ad rem feſtinans: quis neſcit id magis decere, quã ſi incipiat altè petito procemio dicere, innixus ſpiritu tumẽtium verborũ? Verùm quomodo turpes mulieres onerant ſe auro & gemmis, pulchra autẽ mulier ſibi ipſi & formæ cõfidens modicè, & vix illis ornatur, ſic imperitior quiſq; gaudet oſtentare ſe exterioribus in rebus, prudentes verò nihil minus. Hinc videas penes ineruditos multos, ſapientiam tamẽ profitentes, inſtructiſſimas bibliothecas, codices illic ordine aſtare oẽs, auro vel argẽto circunlitos, pellibus præterea veſtitos honeſtiſſimè: quũ interea doctus ille vir paucis libellis, iiſq; multo vſu detritis contentus erit. Eadem obſeruatio in ſcriptoribus, quorum vt quiſq; optimè luculentiſſimèq; ſcripſit, demittit librorũ titulum, tantùm eo, quod libris contineatur, indicare contentus. Alij præfigunt præclaros titulos, atq; magnificos, Cornucopiæ, Adonidis horti, Theſaurus, Pandectæ, Aurea roſa, Sine te eſſe nolo: vicit hos omnes, qui libros ſuos Bibliothecas inſcripſit: at vbi prętergreſſus titulũ, intrare cœperis, quã ibi iacere omnia videbis? quàm nihil dignũ inuenies ſtudio & eruditis oculis? Vidi nuper librũ inſcriptum De optimo genere epiſtolarũ: ſed ita elegans erat liber, vt ſi quis dediſcere vellet loqui, nihil aliud legere debuerit, non legi optimũ aliquod illic, niſi in titulo. Hęc igitur nota eſt imperiti ſcriptoris, efflare miros titulorũ fumos: eruditus autem vir opere ipſo ſatisfacere lectoribus tendit, & tantum abeſt abuti huiuſmodi glorioſis pollicitationibus, vt eò magnificentius viſum opus iri intelligat, quò magis nihil magnum titulus promittebat. Sic bonus miles optimis quidem inſtruitur equis & armis, & illis bene vtendo ſpectari cupiet, non de diuite, quem non adhibet, ornatu. Sed nihil intolerabilius iactantia ſui, & gloriæ aucupem putari, nihil eſt, quod auditores minus ferre poſſint: nam ſi quum ab alio coram laudaretur, oporteret ipſum pudore quodam perfundi & erubeſcere, quæ eſt illa impudentia, de ſe ipſum dicere? Habet etiam illud turpe ſui iactatio, quòd, dum ea qui vtitur, profitetur quodammo-

quodammodo quicquid fecerit, nõ honeſta aliqua ratione commotus feciſſe, ſed inani laudis ſtimulo: nec ſi magno excelſóq; viro debetur laudatio pro rebus geſtis a cęteris, ideo debet ipſe eam præripere, & extorquere quodammodo a præſentibus conari. Te autem mihi chariſſimũ adoleſcentem non parandæ laudis cupiditate, ſed vel officio adductum, vel hortatu maiorũ natu, vel honeſta obſequendi voluntate, ad munus aliquod vellem accedere, quod vbi egregiè abſoluiſſes, ſilere te, & permittere, vt opus ipſum pro te loquatur, ne ſi ipſe prædicaueris, non prædicaſſe, quia feceris, ſed vt prædicares, feciſſe credaris, quod ſane eſt turpe, rectè factum non ſua amplitudine, ſed populari fama dimenſum videri. Ornat ſilentium mulieres (vt fertur) ſed multò magis viros magnũ aliquid gerentes. Hanc ego modeſtiam comperio penes veteres fuiſſe, & eos quidem veteres, qui populorũ omnium ſuffragio cęteris ob virtutem antelati ſunt: ipſi enim ſe non anteferebant, quin magis extenuabant ſua, ſed quantò minus de ſe illi, tantò latius de illis cæteri prædicabant: eratq; id eorũ glorioſum, quòd ad gloriam non reſpicerent. Ex aduerſo videas eos contemptos & reiectos, qui ſe glorioſè efferebant. Fuit olim Menecrates quidam medicus, qui quum deſperatos, quoſdam etiam deploratos valetudini reddidiſſet Iouem ſe dici & appellari volebat: itaq; auſus eſt ſcribens Ageſilao Spartarum Regi hunc titulum præferre, Menecrates Iupiter Ageſilao Regi fœlicitatem: quem ſanè titulum quũ legiſſet Ageſilaus, reliquis non lectis reſcripſit, Rex Ageſilaus Menecrati ſanam mentem. Hunc eundem Menecratem lepidè illuſit Philippus Macedonum Rex: nam quum epulum ingens apparaſſet, & amicos inuitaſſet, & in ijs Menecratem, iuſſit Menecrati ſeorſum menſam apponi, qui ſimulac aſſedit, paratus erat puer cum acerra, qui Menecratem, tanquam ſi eſſet Iupiter, thuris vapore ſuffire cœpit. Et primò quidem, tanto honore viſus eſt delectari Menecrates, poſtea verò quàm epulantibus cæteris ipſe nullo, præterquam thuris ſuffimento, fruebatur, & eſuriret, diſceſſit illinc iratus, dicens ſe a Philippo ſumma contumelia affectum, quum tamen ipſe ſe prius tali contumelià dignum feciſſet. Fateor tamen incidere ſæpius tempora quædam, vt de nobis cũ laude dicere, non modo honeſtum, verùm etiam neceſſe ſit: vt quum de rebus geſtis accuſamur in iudicio, vel ſenatu, vel coram grauibus honeſtiſq; viris, licet tunc omnium conceſſu noſtra complecti, quũ id calumniæ opprimendæ gratia fieri iudicetur. Quomodo etiam Pericles ad reprimendum iniuſtum in ſe odium Athenienſium, propter detrimenta nonnulla accepta Peloponneſiaco bello, cuius ipſe fuerat auctor, illa protulit de ſe egregiè penes Thucydidem, Et mihi Athenienſes iraſcimini tali viro? quem nullo inferiorem ſcitis & ad cogitandũ quæ optima ſunt pro vobis, & ad eadem oratione exponendum, qui maxima teneor patriæ charitate, nec vlla pecunia expugnor. Hæc oratio non a faſtu, aut ambitione, aut tumore mentis profecta videtur: ſed a magnitudine potius animi, & ſui ipſius recta fiducia, propter quæ conatur excellens vir calumniam depellere, & iniuſtum periculum effugere. Hinc Virgilianus ille Turnus,

Pulſus ego? aut quiſquam meritò fœdiſſime pulſum
Arguet, Iliaco tumidum qui creſcere Tybrim
Sanguine, & Euandri totam cum ſtirpe videbit
Procubuiſſe domum, atq; exutos Arcadas armis?

Haud ita me experti Bitias,& Pandarus ingens,
Et quos mille die victor ſub tartara miſi,
Incluſus muris, hoſtilíq; aggere ſeptus.

Idem nemine laceſſente de ſe moderatius loquitur.

Et nos tela pater, ferrúmq; haud debile dextra
Spargimus,& noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.

Placet etiã mihi illud Ephialtę,cui quũ ab inimico obiiceretur vt probrũ,quòd paup eſſet,Quin tu (inquit) illud addis,quòd iuſtus ſum. Similiter calamitate aliqua perculſis, conceditur eſſe grandiloquos,& de ſe quid poſſe magnificentius proferre,quia non eſt illud ſe laudare,ſed erigere animũ,& ſpiritũ ducere aduerſus ſęuientem fortunam,cũ qua propoſitũ certamen,quia hęc deprimere illorũ conſtantiam & firmitatem illata infœlicitate tentabat. Ergo repugnandi cauſa licet ſe referre ad eorũ ſplendida & magnifica,illáq; etiã exaggerare ſummorũ oratorũ more. Quamobrẽ Hercules,vbi tunicã Centauri ſanguine tinctam induiſſet miſſu Deianirę,inhęſiſſétq; ea viſceribus,iamq; illi artus oẽs ardere viderentur, inducitur ab Ouidio de ſe illa dicere pulcherrime.

Ergo ego fœdantem. Demum concludit laudes ſuas ſic
Defeſſa iubendo eſt
Sæua Iouis coniunx, ego ſum indefeſſus agendo.

Neſcio quomodo, haud dedecet in dolore illum de ſe illa dicere. Huc etiam referri poteſt illud Virgiliani Æneæ,

Sum pius Aeneas,

Et reliqua: dicuntur enim illa ab Ænea in aduerſa poſito fortuna: q̃q̃ nonnulli excuſant eũ de ſe illa dicentem,quòd dixerit inter ignotos & exteros, & ea nõ ſit laus,ſed inditium. Eſt etiam vbi non modo nulla inuidia , ſed etiam cũ ſumma audientium vtilitate poſſumus geſta noſtra in medium deducere,& ea firmiter grauitérq; enuntiare, videlicet quũ ad ſimilia impellere volumus cunctantes,& hæſitantes. Mouet enim non parum præſens exemplũ ſpectati viri, qui non tantũ nuda verba, ſed etiã opus oſtendit, admonens quod ipſe fecerit, ipſos quoq; iiſdem incedentes veſtigiis præſtare poſſe. Non eſt hæc vaniloqui ſophiſtæ plauſum ab auditoribus captantis oratio,ſed magni excelſiq; viri, Quid cunctamini? ego ante talia quædã aggreſſus ſum & perfeci,nõ imperitus ſum horũ. acerrima profectò omnium cohortatio,vbi ſermonibus res geſta iungitur. Placet etiam illud,vbi laudaris coram,laudem illam ad Deum transferre,cuius ea fuerit benignitas, vt voluerit vti nobis miniſtris: & communem eam facere cũ auditoribus,ſi res patiatur. Veluti Epaminondas, cui quum quidam obiiceret ſentire de ſe illum ſupra Agmemnonem,& maiores ſpiritus ducere, Propter vos hoc(inquit) contingit Thebani, qui paucis horis mecum Lacedęmoniorũ opes fregiſtis. Sunt etiã nonnulli, qui ſatis prudenter eximiam laudationẽ vel inuidioſam in aliud transferũt laudationis genus humanius,& modeſtius. Quemadmodũ quũ belli Dux laudatur de victoriis & vrbiũ expugnationibus: at illud mallem (inquiet) dixiſſes,q̃ ſeuerè milites contineo,qua ęquitate ſociis impero,quàm non labores vigiliáſq; detrectem. Similiter quum laudatur aliquis de magnitudine diuitiarum , ſubiici poteſt: at illud cõmemorandũ magis erat, quòd eas pluribus impertior,quòd periculum creo nemini,proſum omnibus quibus poſſum. Hęc translatio laudis non

minuit

minuit priorem,ſed aliquid etiam addit,& dum illi non omnino aſſentimur, ſed eam quodammodo corrigimus, gignit opinionem in audientium animis, nos non admodũ libenter aures laudantibus præbere. Ad hanc pene effigiem eſt illud Archidami Regis Spartarũ, qui quũ laudaretur a quibuſdam, quòd Arcades egregia pugna ſuperaſſet, Melius (inquit) cõtigiſſet, ſi prudentia potius, quã viribus victi fuiſſent. Non abſurdũ eſt etiam, ſi veluti ioco nobis detrahentes, innuamus tamen ex eo aliquid in nobis laudabile, nam quia id occulte fit, & ingeniũ elucet dicentis, & iocus videtur, ideo illa laudatio ab auditoribus non improbatur. Exemplũ huius rei a Diogene ſumendũ eſt, qui ſolebat dicere de Antiſthene præceptore ſuo, quòd is ipſum ſpoliauerat, & fecerat, vt nec domum, nec mancipiũ, nec pecuniam haberet: ſin autem dixiſſet, quòd eũ fecerat ſapientem, nullius indigentem, ſe ipſo contentum, id dici non potuiſſe videbatur ſine audientiũ offenſione, & longè minus ad perſuadendũ valuiſſet oratio. Et hæc quidem ſunt, quę actiones noſtras condecorant maximè, & plura alia, quæ dicere omitto. Quòd ſi nunc quiſpiam ea religione tangitur, vt nihil diſſimulandum putet, ſed ſimpliciter profitendũ eſſe, quod quiſq; ſciat, & ſua etiam laudare apertè, ſi laudabilia credit, quaſi viri boni non ſit fallere. Ego verò, ſi hæc, quæ dixi, fraudes & deceptiones nuncupare iuuat, non repugnabo, modò intelligatur aliquam eſſe fraudem in laude ponendam. Nam ſi duo proceſſerint ad gladiatoriam pugnam, is qui alterum verberat, quia artificio & ſcientia ſit ſuperior, quodammodo decipit aduerſarium, & tamen ea res ſibi eſt honori. Quid? ſi pictor tabulas bene pictas collocet in bono lumine, quò magis veritati reſpondeant? & aurifex præclaram gemmam includat ſcitè auro, quò melius fulgeat? vterq; eorũ decipit, quia rem auctiorem videri faciunt, quã ſi, vt accidit, oſtendatur, & tamen neuter vt ſceleſtus accuſatur. Licuit enim & ſemper licebit ornamenta rebus adiungere, idq; qui faciunt ex arte (quanuis hanc aliquis dixerit eſſe fallaciam, dum artem diſſimulant) omnium iudicio commendari merentur. Et hæc quidem ſic habent. Reſtat modò, poſtquam de pulchritudine tot & tanta diximus, vt videamus quid illa nobis præſtet, num iucunda ſolum, an etiam vtilis ſit? Videtur autem vix poſſe ab ipſa vtilitate pulchritudo diſiungi: pulchritudo enim bonum, & quod bonum vtile etiam reperietur. Quanuis autem initio ſermonis huius ſubtili quodam iudicio bonum a pulchro diſtinxerimus: attamen in bonorum numero pulchrum ponendum eſt. Hinc bonum etiam pro pulchro vſurpamus, veluti dum dicimus mulierem eſſe forma bona. Amplius, ſi grammaticis credimus, bellum, quod ſignificatione vnum & idem eſt cum pulchro, deducitur per imminutionem a bono. Hinc Varro, Sic cum eis bellum geras, vt bella omnia, domum auferas: ideſt bona omnia, Ergo quum pulchritudo boni ſit particeps, non erit inutilis. Quòd ſi vtendi facultas efficit, vt res pulchrior habeatur, quanuis ſit vilis, quàm ſi eadem ad nullum vſum eſſet ornatior, ſicuti ſuperius oſtenſum fuit, nonne ipſa pulchritudo erit admirabilis? & ſe ipſa (vt ſic dicam) pulchrior? vbi in ſpecie vſus ineſt, & quod vtile eſt, idem pariter eſt & ornatum. Dixi antea magnam eſſe animorum pulchritudinem, quibus ineſt ratio, memoria, cogitatio, voluntas. Quid autem hæc pulchritudo contulerit ad vſum melioris vitæ, & ad dignitatem, & ad omnem excellentiam, expreſſum eſt antea, nec repetendum nunc

dum nunc puto. Sed ſi illa manent, quæ iam dicta ſunt, cognoſcimus, quòd idonea eſt pulchritudo vtilitatem afferre immenſam. Quid porro virtutibus præſtabilius? quid earũ luce ſplendidius? quid nexu & concordia, quam inter ſe habent, ordinatius? At vtilitas quanta? nonne virtutum copia tum ſinguli homines, tum vniuerſæ ciuitates honorẽ, gloriam, dignitatem, rem, opes, diuitias acquirunt? quomodo ſine his incoleremus vrbes? quę ciuilis eſſet ſocietas? quis, vbi nullus pudor, nulla verecundia, nullum ius, nulla lex, nullum ſui alieniue diſcrimen, nulla caſtitas, nulla continentia, habitare ſuſtineat? Sed quid reliqua percurram? volo enim oſtendere pulchritudinem vtilitati adiunctam, quod notiſſimum eſt. Nam ſi rogem, in humano corpore quod nã pulcherrimum aſpectu membrum? oculos dices, quibus ineſt igneus vigor quidam, ſplendor etiam, propter quod radios eiaculantur: hinc etiam hos lumina vocamus, his corporeæ pulchritudinis amatores præcipuè delectantur, & humani corporis ſidera appellant. At in tanta ipſorum pulchritudine vtilitas non minor: nemo enim hominum eſt, qui non aliud membrũ malit amittere, quàm oculos ſibi extingui, non reſpicientes aliò, quã ad vſum, qui de illis percipitur. At longè tamen pulchrior mentis oculus, atq; adeo vtilior, quẽ ſcientiam eſſe dico: hac enim artes conſtant, rerum præcipuè maximarũ: hæc præſtat, vt quæcunq; cognoſcere, & cognitis rectè vti valeamus, quo quid poteſt eſſe vtilius? Quid de cœlo & luce iſta dicam: forſitan aſſiduitate videndi viliora ſunt nobis reddita: quòd ſi quidam eſſent homines, qui ſub terra ſemper habitauiſſent bonis & magnificis domicilijs, quę ornata eſſent ſignis, & picturis, inſtructáq; auro & argento, & pretioſa quaq; ſuppellectile, deinde quandoq; contingat patefactis terræ faucibus ex abditis illis ſedibus in aperta euadere loca ſimilia iſtis, quæ incolimus, qui cœli illis videretur conſpectus? qui lucis huius afflatus? quæ ſolis ſpecies? lunæ? reliquorum ſiderum? nec dubito, quin primo occurſu tantæ pulchritudinis, etſi nihil aliud intelligerẽt, mortalibus hæc vtiliſſima iudicarent. Nos quoq; vtiliſſima dicimus, ſed ratio docet, vſus affirmat: at illos his remotis ſola pulchritudo ſuaderet: vix fieri poſſe crederetur vtilitatem non ineſſe in re tam grata, in opere tam polito atq; exornato. Sed vt relinquamus hæc, quæ ampliſſima ſunt, & ad humiliora deſcendamus, animaduertere quoq; poſſumus in illis vtilitatem eſſe ſociam pulchritudinis: veluti in arboribus, de his enim loquendum eſt, poſtquam in ſylua ſumus, & quia vltro ſe offerunt. Sed in ipſis inquam arboribus non truncus, non rami, non folia ſunt deniq;, niſi ad ſuam retinendam, conſeruãdámque naturam, nuſquam tamen eſt vlla pars, niſi conſpectu iucunda. Iubet agricolarum ars vineta, quæ in collibus conſeruntur, ad quincuncem metiri, paribus ſcilicet vitium interuallis, quod facit ad proſpectus iucunditatem. Sed id faciendum quoq;,

> Non animum modò vti paſcat proſpectus inanem,
> Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
> Terra, nec in vacuum poterunt ſe extendere rami.

Sic hac quoq; in re, quod viſu pulchrum eſt, vtile quoq; vſu inuenietur, nec abeſt vtilitas a pulchritudine. Gladiatores non videntur in illo feritatis certamine ſtudio placendi teneri: attamen arte adhibita cum venuſtate & gratia mouentur: quoniam ſic aduerſarios ictus cautius repellunt, & ſuos altius infligunt,

fligunt. Sic etiam vbi vulnerum loca obligant medici, vident id non poſſe ſatis vtiliter facere, niſi id etiam aptè faciant ac decorè, ideo deformitatem vinculi infœlicioris curationis eſſe arbitrantur. Ædificia itidem pulchra quotidianis vſibus aptius deſeruiunt, & valetudinem ſalubrius tuentur: neſcias igitur ſæpius, quis ea domino fuerit architectatus, num quæ in vſu eſt commoditas? an quæ de aſpectu emanat voluptas? Iam verò ornatas naues, ornatosq; exercitus ſolemus dicere, quando neceſſaria adſunt inſtrumenta, his ad præliandum, illis ad nauigandum. Tantam autem afferunt nauigijs gratiam mala, remi, vela, antennę, clauus, anchora, rudentes: tantam exercitibus arma, equi, currus, tormenta, tubæ, vexilla, vt ea oculis potius, quã rebus ipſis ſeruire videantur, ideo ornamenti ſibi nomen ſuſtulerunt. Maximum humano capiti cæſaries ornamentum: attamen hanc auxilij quoq; gratia ferunt conſtitutam, vt cerebrum, quod maximum eſt in homine & humidiſſimum, tutum præſtaret ab omni frigoris, & caloris iniuria: nam quæ maximè humida ſunt, facile efferueſcere & refrigerari ſolent, ideo talem tutelam cerebrum deſiderabat. Eadem eſt carnis ratio, qua circunueſtiti ſumus: nam & ſi magnum videatur corporibus afferre decorem, non minoris tamen vtilitatis gratia conſtituta fuit. Quũ enim ex ſanguine calidam obtineat humiditatem, fit vt eius humiditas opituletur nobis æſtate aduerſus calores, calor hyeme aduerſus frigora. Quid ergo (inquiet aliquis) nihil ne inductum in hoc tam amplo rerum omniũ contextu, quod valeat ad ſolam ſpeciem ſine aliquo vſu? equidem exiſtimo tale aliquid inueniri poſſe. Nam (ne longius abeam) video in virili corpore barbam mammáſq; additas ad decorem tantũmodo, nullũ ad vſum: ſic leonibus quoq; & equis iubas, & gallis criſtas, pauoni caudam, & auiculis verſicolores plumas additas videmus nullius vtilitatis gratia, ſed ad quendã tantum ornatum, quod videtur in paucis natura præſtitiſſe conſilio, quia magnificentius fuit quædam dignitati, nõ omnia neceſſitati genuiſſe. Non enim poſſumus, quæ ornatus tantũmodo fiunt gratia, veluti vacantia, & ocioſa contemnere, niſi fortaſſe pictores quoq; contemnimus, dum pręter inſtituti operis propoſitum addũt aliqua ad ornatum tabulæ, veluti hederam quandam, aut flexuoſas vites, aut altam cupreſſum, aut puriſſimi fontis ſpeculũ, aut floridam quamlibet aliam ſpeciem, gaudentes in huiuſmodi pariter ornamentis artem ſuam oſtentare. In vniuerſum autem licet dicere pulchritudinem vtilitati fore copulatam, & quò quidq; pulchrius, eò vtilius: id vt non ſit verũ perpetuò, ſatis eſt in plurimis & maximis valere. Cogitaueram finem iam accepiſſe ſermonem, & rem me factam habere putabam, niſi quòd animaduerto modò de pulchritudine partium mundi & earum ordine loquutũ, nondum tamen attigiſſe, quæ ipſius vniuerſi ſit pulchritudo, & qui ordo illud temperet. Cogito nanq; de mundo, vt de corpore quolibet, quia ipſe quoq; eſt corpus, & corporis cuiuſuis membra, etiam ſi ſingula pulchra ſint, multò ſunt tamen in vniuerſi corporis compage omnia pulchriora. Ergo pulchritudo mundi admirabilis per partes ſingulas, longè erit admirabilior, ſi hic totus rerũ omnium contextus ſpectetur ſimul. Certe ſi vel oculorũ ſtaretur arbitrio, ſic illi iudicarent, qui maximis præſtantiſſimiſq; rebus ornatum hunc mundum & quaſi depictum vident: attamen rationibus etiam inductis id ita eſſe oſtendendum erit. Video autem quantum verborũ agmen hoc ſecum trahet, ſi explicare aggrediemur;

diemur: verùm poſtquam in medium ſermonum pelagus delati ſumus, vela nimirum danda ſunt, & eundum quò nos ratio, veluti aura ſecunda feret: ſin autem ingruerint procellę ſubtilium diſputationũ, & opponant ſe nobis, tanquam duriſſimę cautes, magna philoſophorũ nomina, tuum erit, ſi naufragiũ forſitan fuerit faciendum imbecillitate ingenij, inopi eiectóq; tabulam porrigere, per quam incolumis ad littus enatare poſſim. Sed non deſidiæ cauſa rem deſerere oportet, fortes enim (vt dicitur) fortuna adiuuat: ignaui autem viri nunquam lauream & triũphum de hoſte retulerunt. Ipſam igitur vaſtiſſimam mundi huius molem vniuerſa claudentem, ijs menſionibus, numeris, ponderibus, fabricata eſt diuina ſolertia, & parium ſimilitudine, gradatione diſparũ ſic inſtruxit, vt nihil ad humanorũ commodorum rationes accommodatius, nihil ad ſpeciem excogitari poſſit ornatius. Si quiſquã commutare velit, nexũ quendam ordinatiſſimum diſſoluerit: ſin corrigere tentarit, aut addet ſuperfluum, aut detrahet neceſſariũ. Si tamen quæratur, num vlla ipſius vniuerſi ſit deformitas? neceſſe eſt dicere, vt ſit quædam. Quæ? illa ſcilicet primordialis materia, ex qua deinceps omnia conſtiterunt: hanc mũdi faber habuit ſibi ſubditam ad fingendas res & formandas: erat enim ſui ipſius natura incompoſita, vaga, incongrua, inconcinna, inanima, tenebroſa: veruntamen apta erat & potens ſuſcipere ordinem, modũ, ſpeciem, congruitatem, animationem, lucem, omnem deniq; rationem formæ melioris: nullum erat ipſa per ſe bonũ, ex ea tamen quodlibet bonũ effici poterat. Credo autem nihil tetrius aut horribilius hac tam rudi mole cogitari aut effici potuiſſe, vt quæ penitus nihil haberet formæ. Cur autem id contigerit, operæpretiũ fuerit audire. Quemadmodum enim qui docilem & ſequacem ad omnes effigies ceram effingere manu volunt in quæppiam ſimulacra, vel ſigillis inſculpere, non patiuntur alterius rei veſtigium illic extare, ſed exactiſſima leuigatione perpoliunt: ſic materiam Deus, quæ cunctam gremio exciperet formarũ multitudinem, omni forma carentem effecit: nam ſi propriam & inſitam habuiſſet illa quãdam ſui ſpeciem, non potuiſſet contrarias & diuerſas formas exprimere, ſed ſolũmodo ſuam præferret. Quapropter ſinum formarũ omnium capacem, nudum & inanem omni ſpecie Deus præparauit, quem deinceps, quum voluntate artificis tractare cœpiſſet, diſtinxit aptè, ac ornauit. Poſt enim fluctuans & tenebroſum illud chaos compoſitũ, & in ſua membra digeſtum, flores emicuerunt formarum, tunc veluti Dea quædam pulchritudo cœlo, terra, mari longè latéq; refulſit. Hæc autem quanti homini æſtimanda ſint, hinc elici poteſt, quòd auſus eſt ſapiens quidam dicere, elatũ gaudio fuiſſe Deum, poſtquam mundum ipſum cum illo decore & ornatu perfectum vidiſſet. Quòd ſi nihil aliud, certè nos figura eius mouere poteſt, ſi ſpectare voluerimus, quàm pulchra ſit, atq; ab artifice: hanc enim globoſam eſſe vel ipſa probatione indicatur oculorũ, quòd conuexus mediúſq; quacũq; cernatur: eſt autem figura hęc, in ſolidis corporibus omnium abſolutiſſima, quæ ſimilibus ſui partibus conſtans vergit in ſeſe, ac ſe ipſam ſuſtinet & moderatur, nec compaginum eget, nec initium nouit, aut finem: eadémq; orbiculari motui cæterorũ optimo aptiſſimè reſpondet. Accedit, quòd vniuerſitatis corpus res continens omnes hac eadem potiſſimũ conſtare debuit figura, quæ alias quaſcunq; figuras complectitur. Ergo æquabilem, & a medio ad ſummum vndiq; parem, ita mundum

tornauit

tornauit Deus,nihil vt fieri poſſit rotundius. Sic nihil extra offenſionis habet, nihil aſperitatis, nihil in angulos reiectũ,nihil anfractibus reciſum,nihil eminens, nihil lacunoſum: fas autem non erat quidquam,niſi pulcherrimũ, facere,qui cauſarum eſſet omnium optimus. Terra autem cui inſiſtimus,eſt illud, quod mediũ totius ambitus voco, quæ etſi nobis mole tanta videatur, tamen ad vniuerſi cœli complexum, quod extrema eſt ora, determinatióq; mundi, punctus eſt indiuiduus, omni carens longitudine & latitudine. Quod ex eo apparet, quia quacunq; quis ambulet, cœli dimidia pars eſt illi in conſpectu, reliqua,quæ e regione poſita eſt,ſe occultante, & æquali magnitudine ſidera vndiq; cernuntur,ſiue oriantur ei,ſiue occidant,ſiue medium teneant cœli verticem, tanquam pari interuallo diſtantia: quorũ neutrum fieret, ſi aliquo ſpatio terra diſtenta eſſet. In hoc etiam abſolutum & perfectum reddidit idem nobiliſſimus artifex mundum,quòd nihil vnquam eorũ, quæ continet, deperit, ſed facie tantùm nouatur: hoc eſt enim deſinere quippiam, incipere eſſe quod antea non erat. Illa enim vniuerſitatis materia, de qua ante dixi,manet idem ſemper, nec a propria vi diſcedit vnquam: ſtudet enim huc illuc peragrare, variarum gaudens indumento formarum. Hinc nulla mundo deceſſio fieri poteſt, nec etiam acceſſio, neq; periculũ adeo manet vllum, ne quis eum morbus ſenectùs ue queat affligere,quum ſe alat conſumptione ſui,& a ſe omnia faciat & patiatur: non aduentitiis eget ille copiis,ideo ſeipſo contentus eſt. Forſitan aliquis veſtrum hæc audiens iamdudum ſcire cupit, cur inducta ſit illa primordialis materia,quæ tam turpis futura eſſet. Quia ſcilicet facit ad mundi ordinem: nam in ea ſolum eſt, & fundamentum omnis corporeæ formę, & ſimul huius comparatione cognoſcitur, quantò ſit melior ſpecies rerũ. Et licet in ſe turpis ſit: attamen neſcio quam affinitatem cũ pulchritudine habere videtur, quòd ab ea appetit ſe informari, ſicut a viro fœmina, diſcipulus a magiſtro. Cuperet autem omnes ſimul ſuſcipere formas: quod quoniam fieri nequit,ſuſcipit aliam poſt aliam,neq; vnquam eo,quod habet,ſaturatur,ſed noua impleri ſe ſemper appetit ſpecie,qua in re licet fingere eam ſimilem eſſe cuidam meretrici,de qua nobile extat græcum epigramma, quæ nouũ ſemper amatorem petebat priore quoquo dimiſſo. Nec pudeat quòd meretrici materiam primam aſſimulauimus,quoniam ipſa eſt turpis (vt dixi) & quamuis pręſtans hoc habeat, quòd pulchritudine delectatur,& eam vndecunq; venatur, tamen quoniam inſatiabiliter id facit & inconſtanter,videtur quodammodo gerere partes meretricias, quę ſunt,vnũ aſpernari,& multis paſſim cõmiſceri. Nunc ſi de tam vaſti huius corporis ordine aggrediar dicere, ſcio me id munus non ſatis idoneè explere poſſe,non ſi mille linguas, & ferream vocem (vt poëticè loquar) habeam, tanta etenim res eſt, & tam varia, támq; latè diffuſa. Quanq; autem omnis ætas voluerit adhibito ſtudio & induſtria tradere notitiam tantarum rerum poſteris, vicit tamen adhuc multis partibus ignoratio,& ipſa natura latendi, plurimis obſcuritatibus obſepta. Exiſtimo autem perfectius poſſe vniuerſum mundi huius ordinem deſcribere, ſi ipſe huius ordinis nulla pars eſſem: nunc autem,quemadmodum miles in acie locatus non poteſt omnem exercitus ordinem intueri, ſic nobis accidit, qui ordine huius mundi incluſi ordinem ipſum magna ex parte ignoramus: non enim ſupera omnia & infera, non quęcunq; a dextra læuáq; ſunt, tenemus. Archimedes

Siculus optabat ſitum aliquem extra terram, in quo conſiſteret, ita ſperans ſe ſuis terram libraturum ponderibus: nam dum in illa eſſet, negabat hanc vim ſibi poſſe contingere. Huic eidem Archimedi, ſi de mundi nunc ordine loquẽdum eſſet, optaret, credo, extramundanũ quendam locum, de quo, veluti de ſpecula, inferiora hæc omnia proſpiceret. Ego non locum, ſed aciem potius mentis ſublimem optauero, & quando non omnia datur, effabor pauca quædam, ne ingrati animi quandoq; ſit, eius, qui nos & cariſſima quæq; nobis complectitur, dignitatem hodierno ſermone præteritam videri. Equidem illud imprimis ſpecto, quòd ligna, lapides, tegulę, ferrum, in aceruum temere cõgeſta nullam præ ſe ferũt ſpeciem, nulliq; ſunt vſui, ſed ſi compoſita recte ſint & ſuo quæq; loco, alia ſupra, alia infra, alia a lateribus, alia in horum medio, ſolerti architecti manu, præbent tunc domũ, rem humanis vſibus aptam, & ſpectatu decoram. Sic mundana omnia, ſi caſu & nullo delectu in vnũ coniecta fuiſſent, nullum oſtenderent ornatũ, nullam vtilitatem inducerent: nunc autem ita prudenter diſpoſita ſunt omnia, vt appareat aptiſſime ſuam quæq; tenere ſtationem, quemadmodũ in exercitu milites, & cò longè melius, & præſtantius, quò illis Dux eſt & Imperator Deus. Quædam enim eminent loco, vi, ordine, dignitate: quædam ſubſunt, & quaſi illis ſuperioribus ſe præbent: alia autem alijs innexa pendent, & viciſſim ſibi opitulantur. Non exercitus ipſe, non domus, quorũ modò vtebar exemplis, non ciuitas, non nauigiũ, non demum pictura, non lyra, vt de his minoribus loquar, tantam præ ſe fert partium concordiam, & cõſpirantem inuicem (vt ita dixerim) cognationem, quàm mundus ipſe totus, non magis immenſitate molis, quàm artifici deſcriptione conſpiciendus. Videmus nanq;, vt hæc elementa quatuor, e quibus conſtant omnia, mutuò ſe ipſa reddant, & ex alio in aliud tranſmutentur, & aſſiduè has peragant cõuerſionis vices, ita vt occaſus vnius ortus ſit alterius, quod perpetuitatis cauſa machinatus eſt mundi artifex, ne generatio deficeret, quũ ex eo procederet, quod corrumpi videbatur. Et duo ex his ſuperiora, ignis & aër, informãdi vim nacta ſunt: reliqua inferiora, aqua & terra, dant ſe patientis in morem, & veluti materiam artifici miniſtrantis. Et elementa quidem officio generationis ſeruientia ſic habent, & ita commutantur. Nam cœli ipſius, quod complexu ſuo hæc coërcet, ſtabilis eſt & incorrupta conditio, nec quidquam patitur, niſi quòd loco mouetur. Tres enim motus his primis corporibus aſſignati, duo recti, ſurſum & deorſum elementis, tertius orbicularis cœlo, cunctiſq; cœleſtibus: idq; contemplans pulcherrimo fruetur ſpectaculo, quum videat extremas mũdi partes circumuolui, medias ſurſum deorſumq; ferri. Illud etiam, quòd primo gignitur aliquid, deinde conſequitur aliud, & poſtea aliud, poſt aliud ſuccedit, ſatis indicat, ordine ſuo ſtare omnia, ratáq; diſpoſitione gubernari. Vides in ſtirpibus & arbuſculis vt iacto ſemine paulatim exerant ſe, & ad incrementa perueniant, deinde frondeſcant, poſtmodũ vt effloreant, demum efferant poma, & primò immitia & acerba, mox maturitate dulceſcentia. Idem ſeruatur in animalibus, quæ a paruis progreſſa initijs paulatim pubeſcunt: ex quibus colligitur nihil repentinum placuiſſe naturæ: quod in artibus quoq; contingit, nam nihil illæ niſi per gradus & numeros explicant & euoluũt. Noluit inſuper, qui hæc fabricatus eſt, Deus res ipſas agere ſeparatim, ſed mutua ſibi exhibere præſidia, & vnũquodq;, quod præ-

cipuum

cipuum in ſe haberet bonum, tranſmittere ad alia, & veluti quodam germanitatis iure conferre, quoniã bonitas quantò latius ſe diffuderit, tantò nobilior exiſtimatur. Reſpice ad artium magiſtros, præſertim honeſtarũ, qui diſcipulos ita erudiunt ſuos, vt quũ doctrinam imbiberint traditam, tum illi rurſus alios inſtituant: tantò enim pluris doctrinam ſuã faciunt, quantò per eos, qui ſuſceperant a ſe, manare ad alios latius animaduertunt. Eadem videtur ratio fuiſſe inſtituentis mundũ Dei (ſi tamen fas eſt tenuia magnis conferre) qui ingenuit rebus ſingulare bonum, quod ocioſum non eſſet, ſed ad auxilium cæteris per eas importaretur, hoc enim credidit fore præſtantius. Oculus nobiliſſima pars corporũ habet hoc ſingulare, vt videat, ſed non ſibi videt tantùm ſed etiam pedibus, quò via progrediantur: pedes autem, quaſi ſatagãt referre gratiam, ambulant, quò plura videndo oculus apprehendat. Silent mẽbra omnia, lingua vna pro omnibus verba facit: ſic deniq; membra cętera corporis, dũ ſuo quæq; incumbunt muneri, non tam ſibi, quàm alijs militant. Nec verò ita accidit in corporibus animantiũ, in mundi tam præclaro corpore non ita: abſurdum enim eſſet, ſi quod in vniuerſi partibus elucet, id ipſi vniuerſo deeſſet. Nihil longius a terra ſideribus, attamen ſidera vi ſua terram fœcundant: terra autem vaporem exhalans alimentũ viciſſim ſuppeditat illis igneis formis, quę humido pabulo ſaturantur. Sic ſolem incendit Deus, non tãtum vt ſibi ſplendeat, ſed vt cunctis cœli partibus lucem miniſtret. Idem eliquauit aquas, cur? vt humeant ipſæ: apparet. quid deinde? vt perluant, & potent animantes, terras irrigationibus fœcundent, & aduerſus æſtus refrigerent: præclara copia humoris viſa eſt præclarius ſe habere, ſi vſus eius latius pateret. Ipſarũ quoq; aquarum reſpirationibus oritur aẽr, qui rurſus plenior effectus & denſior, imbribus effuſus in eaſdem aquas relabitur. Tellus beluis pabulum ſuppeditat & cubilia: belue hominibus veſtem præbent & cibum: homines tellurem veſtiunt & tectis, & arboribus, & herbis, & frugibus. Sic vtilitatis & ornatus veluti circulus quidã circunducitur, de tellure ad beluas, de beluis ad homines, de hominibus ad tellurem. Quid? illa conuerſio nonne pulchra? quæ audita ænigmatis in morem ſe habet: eſt enim quoddam, quod gignit id, a quo denuo ipſum gignitur. Quod nam hoc? frumẽtum: nam ex frumento ſeges, & rurſus ex ſegete naſcitur frumentũ: ſic & de ouis volucres prodeunt, & de volucribus oua. In humanis vitæ actionibus quædam inter ſe penitus contraria, inuicem tamen ſibi ſuccedunt aſſiduè, & alterius receſſu redditur aduenięns alter iucundior. Nondum fortaſſe intelligis: ſed exemplũ hoc tolle. Vigilia & ſomnus nonne contraria ſunt? fateberis: nam ſimul eſſe non poſſunt, & neutrum eorũ ſubſiſtere non dico perpetuò, ſed ne diu quidem valet, ſed neceſſe eſt per vices ſibi cedere ac ſuccedere, ita vt vbi deſit vnus, ibi alter incipiat, & ita comparatũ eſt, vt alter alterius naturam iuuet, & corroboret: ſic per circuitum quendam vita hæc de vigilia ad ſomnum, de ſomno ad vigiliã perducitur, & propter vigiliam dulciorem induimus ſomnũ, & ſomno ſaturi vigiliam alacrius exercemus. Eadem dicenda ſunt de cibo & inedia, nam ne extinguat inedia, cibũ petimus: rurſus ne nimius obruat cibus, ad inediam reuertimur: cibus inediam ſubleuat, & magnũ cibi condimentũ eſt inedia. De ſiti, & potu intelligis eundem eſſe ſermonem etiã me tacente. Sic modò pleni, modò inanes vitam ducimus ordine, & nunc ſtando, nunc ſedẽdo, nunc ambulando;

bulando: quis enim in horum vno diutius permanere poteſt? Sunt autem in rebus alia contraria, quæ etſi nihil cognatum habeāt, imo inimiciſſima omnia naturæ diſſimilitudine, tamen veluti amicus amico congredi cupiunt, atq; ita inter ſe commixta diſcordiam ipſorꝫ efficiunt concordem: cupiens eſt enim aridum humidi, frigidum calidi, auſterum melliflui, acutum obtuſi, molle aſperi, lene denſi, quod inane eſt expleri appetit, quod plenum exinaniri. Ex hac autem coniunctione compugnatium inter ſe rerum exiſtit & veluti effloreſcit tertiū quoddam genus optima temperatione præditum, quo nihil aptius, aut dulcius, aut etiam ſalubrius inueniri poteſt. Nihil autem eſt adeo repugnās & contrariū, nihilq́ (vt ſic dicam) tam ferum, immite, ſilueſtre, quin commiſceri alteri & coniungi poſſit, ſi quis idoneo ad eā rem vinculo vtatur. Ex hoc enim artes naſcuntur, & eò magis laudatus artifex, quò firmius repugnantia inter ſe & diſſidentia agglutinare nouit. Literę inter ſe cohærere nequeunt, inuētę ſunt vocales, quæ illas colligarent: itaq; quò quiſq; melius colligare didicit, eo melior Grāmaticus. Sic in vocum & ſonorū Muſicus: ſic in nominū & verborum Orator: ſic in lineamentorꝫ & colorum Pictor: ſic in quatuor humorum vinculo Medicus laborat. Et in artibus per hæc quidem homines eunt, & in rebus eodem modo natura: quandoquidem calidis, frigidis, humidiſq;, & ſiccis rite commixtis animantia nata ſunt omnia, & ipſa ſimiliter fœtus ſuos edunt, & in illis & per illa viuunt. Oportuit autem eſſe contraria, vt his deinceps in medium collatis temperamentū fieret, & ex eo generatio, quæ neutiq; exiſteret in alterutro extremorum ſeorſum poſita. Argumento ſit id, quòd in duabus mundi temperatis plagis cuncta generantur: vbi autem cœlum riget nimio frigore, vel immenſo calore efferbuit, ibi nulla animalia, & vacuam rerum omnium credimus tellurem. Miſcenda igitur ad rerum procreationem & ſuſtentationem flamma cum frigore. Hæc vt multa alia pulchre expreſſit Ouidius illis carminibus.

Quippe vbi temperiem ſumpſere humórq; calórq;,
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus:
Quúmq; ſit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, & diſcors concordia fœtibus apta eſt.

Heraclitus initium omnium poſuit diſcordiam, Homerum execratus, qui carmine ſuo quodam optauerat pugnam & contentionem inter homines atque Deos tolli: ſi id fieret, peritura omnia, quū de prælio & repugnantia cuncta flueret generatio. Id maximè omniū diſplicuit Empedocli aſſerenti rerum omniū cauſam pacem atq; amicitiam. Vidit vterq; aliquid veri, ſi Heraclitus intellexit diſcordiā concordem, Empedocles diſcordem concordiam. Sic viſum eſt demū vniuerſitatis huius auctori, vt ex illis primis quatuor qualitatibus ſibi aduerſantibus rerum origo ſalúſq; conſtaret. Exiſtimauit nanq; medium quoddam exiſtere, ſi hæc aduerſantia in idem collata ſuas inuicem vires frangerent & temperarent. Hinc cerebrum & cor in corpore animantium poſita fuere, quāuis ſibi ipſis aduerſentur, non ignoratione artificis naturæ, qua nihil prouidentius: ſed ita factū eſt (ſicut Ariſtoteli quoq; viſum fuit) vt ex calore vnius, & alterius frigore temperies quædam vtriuſq; particeps exiſteret, qua animal conſeruaretur. Sed illud etiam animaduerte quæſo, quòd mundana omnia, veluti gradibus quibuſdam, diſpoſita ſunt, paulatim ſurgente & attollente ſe

lente ſe natura rerum. Nec verò accidit aliud, quàm in ſcalarum gradibus: nam quemadmodum illic primus gradus nihil habet infra ſe ipſe omnium infimus: ſecundus autem infra ſe habet vnum, duos tertius, tres quartus: ſic in rebus, quarum quæ in primo gradu collocatæ ſunt, hoc habent tantummodo, vt ſint, ſicut ſaxa, gemmæ, metalla, & ipſa mundi elementa, cœleſtéſq; flammæ. Aſcendit ab his mox natura ſecundum gradum ea continens, quæ non tantum habent illud inferius, vt ſint, verùm etiam quòd viuunt: trahunt enim radicibus nixa idoneum e terræ ſucco alimentum ad ſe corroborandum & vegetandum. Quapropter a paruis progreſſa initijs adoleſcunt, & diffunduntur latius, fœtúſq; edunt vberrimos, & gaudent quodammodo (vt ſic dixerim) cultura, & aliis beneficiis, ſi quæ adhibeantur: aduerſis verò minuuntur & vitiantur. Hoc loco flores, herbę, ſtirpes, virgulta, & magna arborum ſeges reponatur. Iſtis ineſſe omnibus vitam tum veterum ſapientum ſententia fuit, tum illo prophetico ſubindicatur ſermone, quo dicitur, Occidiſſe Deum in grandine vineas Ægyptiorum, non enim occideret, niſi viuerent, cui reſpondet Virgilianum illud,

Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet. Item illud,
Intereunt ſata læta, boumq; labores.

Ad tertium peruenitur deinceps gradum, vbi poſita ſunt ea, quæ inferiora habent illa duo, vt ſint, & viuant, & hoc amplius, veluti tertio in honore locata, quòd ſenſibus inſtructa ſunt, & appetitu, quo ſequantur ſalutaria, auerſentúrque contraria. Intelligis (vt opinor) iam me dicere animalia, cuiuſcunq; generis, præter hominem: nam quartum & altiſſimum omnium ille obtinet gradum, cui ad ea, quæ habet communia cum cęteris rebus, addita eſt mens, & ratio, & ingenium, propter quæ diuinum animal cenſetur: habet enim finitimum & cognatum quoddam cum Deo, ſolúſq; poteſt homo mirari cœleſtia, atq; gubernare terrena. Hunc tantum naturæ ordinem ita paulatim ſubſilientem vides admiratione digniſſimum: nullum enim genus rerum, quod mundi circunflexu contineatur, prętermiſſum: nullum, quod non his ſedibus gradibúſq; teneatur. Et hæc quidem in vniuerſum ſic diſpoſita ſunt. Sed nec abnuit eadem natura eundem ſeruare tenorem in partibus, veluti in metallis: ſic a plumbo ad æs, ab ære ad argentum, ab argento ad aurum quibuſdam bonitatis gradibus ſcanditur. Nam ſuperius metallum cum inferiore iungitur potentia, ſed eam tamen multò clarius obtinet & perfectius. Gradus etiam diſpares ſunt humanę coniunctionis, quæ latiſſimè incipiens, deinceps contrahitur per ſingulos quoſq; gradus, & anguſtè deſinit, & quò magis contrahitur, eò arctior eſt & copulatior, & plus attingit. Nam latiſſima illa eſt coniunctio, quæ eſt omnium hominum inter ſe, propterea quòd eiuſdem figuræ rationiſq; ſint participes. Proxima eorum, qui eiuſdem gentis ſunt, linguę, nationis, prouinciæ, quę magis afficit, quàm illa infinita ſuperior. Hanc ſequitur tertia eorum, qui eandem nobiſcum incolunt vrbem, quos ciues vocamus, cum quibus fora, templa, vię, porticus, leges, iura, ſuffragia, magiſtratus, Reſpublica, multáq; alia commuia: ideóq; propior eſt, quã illę duę ſuperiores, quæ latiores ſunt, ſed minores cum illis cõiunctionũ rationes intercedunt. Poſtremò ad paucos res deducitur, ad eos ſcilicet, qui in eiſdem vrbibus ſanguine nobiſcũ copulantur, quæ

tur, quæ grauiſſima ſanè omnium coniunctio & firmiſſima cognatio nuncupatur. Magnum eſt enim eiuſdem eſſe familiæ, eadem habere monumenta maiorum, iiſdem ortos progenitoribus. Non eſt autem ſimplex hæc cõiunctio, ſed ordinibus tribus diſtinguitur, quoꝝ primus ſuperior continet parentes, ſecũdus inferior liberos, tertius ex tranſuerſo ſeu a latere fratres, ſorores, qui'ue ex his procreantur. Et ita quidem natura pulcherrimè diſpoſuit humanę coniunctionis gradus, de qua bene mereri ſemper oportet: veruntamen, vt queq; eſt interior, ita in eam plus ſtudij, operæ, officij, beneuolentię conferre debemus. Quid de ætatibus loquar nunc hominũ, vel animantium potius omniũ? Hic non aſcenſus modò ſtatutus fuit, vt in plęriſq;, verũ etiam deſcenſus: nam ab infantia ſurgit ætas in dies florentior ad iuuentam vſq;, tanq̃ ad medium culmen, quod vbi paululum inſedit, mox decliuius fertur langueſcente paulatim robore, donec ad decrepitam peruenitur ſenectam, quæ imbecillitate virium & ingenij altera ex parte reſpondet infantiæ. Sed & eodem modo res cęteras & oriri, & creſcere, & decreſcere, & interire videmus, & alias earũ loco ſuccedere, plurimas nouũ vultũ inducere. Cuncta etenim fluunt nec quidq; eandem diutius tenere ſtationem poteſt, quin corruſco fulminũ ardore ocius decurrunt: inſtat aſſiduè ex alio in aliud viciſſitudo atq; mutatio ne minimũ quidem quieſcens. Ex hoc autem, quòd, dum corrũpitur vnũ, ſequitur alterius generatio, fit quoddã mirũ dictu, quòd deiiciũtur ſimul omnia & exurgũt: deficiunt, & oriuntur: fugiunt & ſequuntur: nullius rei finis eſt: nexa in orbẽ ſunt omnia, quæ ita tranſeunt, vt ex alio in aliud progredientia reuertãtur: quicquid cõponitur mox reſoluitur, & quicquid reſoluitur iterũ cõponitur. Neſcio an probatione hęc indigeant, quæ tã manifeſta ſunt: nullus profectò de iſtis teſtes requireret, de quibus ſibi ipſi teſtificari poſſet. Ecce tibi ligna, lapides, ferrũ, nõne aſſiduè cõmutantur, vel ad melius, vel in deterius? nunq̃ manere eodẽ poſſunt ſtatu, ſed in ortu augẽtur, mox aucta ſeneſcũt, inde effluũt omnino, vt ne appareant quidẽ, recedente vnoquoq; elemento de ſingulis hoꝝ particulis in ſuã ſedem atq; regionem, quoꝝ rurſus coitione alia ſuccedunt prioribus ſimilia, neq; vnq̃ circuitus iſte deficit, vt perpetuitas generis retineatur. Quòd ſi ita in lapidibus, lignis, ferro cõtingit, quoꝝ duriſſima eſt materia, quid de aliis dicendũ, quæ molliorẽ fluxiorémq; nacta ſunt naturã? Regnũ ergo incolimus mutationi obnoxiũ: aufertur prior figura rerũ aſſiduè, & e ueſtigio ſubſequtur poſterior alia, & p̃tereũtibus omnibus omnia (vt ſic loquar) ſuccedũt. Quãobrem nõ abſurdè videtur perpeti mũdus idẽ, quod flumina, quoꝝ diffugiũt aquæ irrequieto & perẽni lapſu, aliis poſt eas promanãtibus aquis: nemo poſſit (vt ſapiens tradit Heraclitus) bis in eũdem fluuiũ deſcendere. Quòd ſi pulcher eſt fluuioꝝ lapſus nouas immittentiũ aquas, nõ poteſt eſſe nõ pulcher in hoc vniuerſi ambitu rerũ omniũ fluxus, noua alia poſt ſe continenter trahens: nec fieri poteſt, vt nõ oblectet variatio illa, per quam aſcenſus deſcenſuſq; fit, & quod non erat inducitur, & quod erat euaneſcit. Verùm, quoniam paulatim rebus per ſingula momenta additur, vel detrahitur, nequit humanorum imbecillitas oculorum tam ſubtilia incrementa & decrementa perpendere: ſed tempore ſentitur mutatio, vt quæ videlicet iam magna ſit: quantò autem longius intercedit tempus, eò magis agnoſcimus res priorem depoſuiſſe figuram. Non de minoribus loquor tantummodo: nam & flumina, & valles, &

les, & colles, & vrbes recedunt, & commutantur. Itaq́, vt egregius cecinit Poëta vltimo tranſmutationum libro,

Vidi ego, quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus,
Eſſe fretum: vidi factas ex æquore terras,
Et procul a pelago conchæ iacuere marinæ,
Et vetus inuenta eſt in montibus anchora ſummis,
Quódq́ fuit campus, vallem decurſus aquarum
Fecit, & eluuie mons eſt deductus in æquor,
Eq́ paludoſa ſiccis humus aret arenis,
Quæq́ ſitim tulerant, ſtagnata paludibus hument:
Hic fontes natura nouos emiſit, & illic
Clauſit, & antiquis tam multa tremoribus orbis
Flumina proſiliunt, aut excæcata reſidunt.

Vrbes etiam videmus non eodem tenore fortunæ perſtare; nam quæ olim fuerunt magnæ, nunc earum permultæ ſunt paruæ: & quæ hac memoria ſunt magnæ, olim paruę fuerunt. Gentes etiam totas ſcimus interijſſe ſuperſtite tantum earum nomine, & conſurrecturas in poſterum credibile eſt quaſdam, quæ nunc ignorantur. Sed quid temporibus ipſis minus ſtabile? nam & ex rerum motibus nata ſunt. Horum tria nominantur, præteritum, præſens, futurum, ſed duo illa tempora præteritum, & futurum non ſunt, vnum enim deſijt, alterum nondum incepit: pręſens autem eſt omnino aliquid, ſed ita minimum, vt aliqui dixerint illud eſſe ferè nihil: adeſt, & ſimulac adeſſe cogitas, iam deſerit, eſt enim ſemper in curſu, & de futuro emergens aſſiduè tranſit in præteritum: ſin conſiſteret, iam non eſſet tempus, ſed ęternitas. Sed mora nulla eſt nec requies tempori, horæ horis, diebus noctes, & noctibus ſuccedunt dies: eadémq́ ratione & menſes, qui ex diebus: & anni, qui ex menſibus: & ſecula, quæ ex annis conficiuntur, tranſuolant nullo fræno morante. Deniq́, vt luculentè idem expreſſit Poeta,

Sicut vnda impellitur vnda,
Vrgetúrq́ eadem veniens, vrgétq́ priorem,
Tempora ſic pariter fugiunt, paritérq́ ſequuntur.

Quanuis autem ſic dilabantur, quadripartita tamen varietate rediuiuum moderantur annum, vere ſcilicet, ęſtate, autumno, & hyeme, hæc ſibi ipſis per vices ſuccedentia partus rerum afferunt, & officia vitæ in animantibus diſtinguunt. Aliud enim agitur per hyemis frigora, aliud per æſtiuos calores, aliud veris autumniq́ temperie, & euntibus illis & redeuntibus aſſiduè eadem per veſtigia non æternitas quidem, ſed certè quædam adeſt ęternitatis imitatio. Cœlum quoq́ non eodem ſemper vultu: nam ſerenum plerunq́ eſt, aliàs ſubnubilum, cæruleum nunc videtur, & in ipſo exortu auroræ purpureum, & atrum per noctem, & ſępius nubibus figuratum. Habet hoc etiam, quòd aſſiduo circumuoluitur motu, rotæ inſtar: ideo quę pars conſurgit, mox mergetur: & quæ mergitur, mox conſurget.

Ipſe Dei clypeus, terra quum tollitur ima,
Manè rubet, terráq́ rubet quum conditur ima,
Candidus in ſummo eſt melior natura quòd illic
Atheris eſt, terręq́ procul contagia fugit.

Nec par aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Eſſe poteſt vnquam, ſemperq́ꝫ hodierna ſequente
Si creſcit, minor eſt: maior, ſi contrahit orbem.

Quid de mari dicam? quod fluctuantibus interſcribitur vndis, appetens litora, nonne & hoc varios habet aſſiduè inconſtanteſq́ꝫ motus? nam quandoq́ꝫ feruet iratum ingenti ſonitu, cœli aurea aſtra penè verberans aſpergine, minitans conuulſurũ ſcopulos, atq́ꝫ rupes, & circumiacẽtes inſulas: quandoq́ꝫ oleo tranquillius fluit. Sed ventis etiam mare ipſum exagitantibus nihil leuius, aut mobilius, qui de varijs orbis partibus ſurgentes hac illac perflant, & nunc vehementius ſe mouentes quatiunt ſyluarũ robora, & ab imis vſq́ꝫ viſceribus ipſam tremefaciunt tellurem, mox ab impetu paulatim cadunt: ſępius ſuauiter aſpirant æſtiuos temperantes calores, rurſus quieſcunt, & quodãmodo ſilentium agunt. Hi vagi, & tam alternantes rerũ motus, & veluti fluctus, efficiũt, vt ipſius mundi noua ſemper ſit facies. Hinc etiam magis oblectat, neq́ꝫ profectò illa conſiſtere vno ſtatu habent, ſi modo pulchritudinem, qualemcũq́ꝫ nacta ſunt, debent oſtendere: nam per deceſſionem ſucceſſionemq́ꝫ rerũ pulchritudo hæc contexitur. Intellexiſtis, dum carmen modò pronuntiarem, non potuiſſe vllo modo ad aures mulcendas peruenire, niſi procurrentibus & progredientibus ſyllabis: ergo ſonuerunt ſyllabę in auribus, atq́ꝫ tranſierunt ſecunda poſt primam, tertia poſt ſecundam, atq́ꝫ inde ex ordine, donec vltima poſt cęteras, ſilentiũmq́ꝫ poſt vltimã. Nemo veſtrum optabat ſtare ſyllabas, ſed tranſuolare, ita vt prioribus quibuſq́ꝫ tranſactis, & veluti intereuntibus, ſuccederẽt aliæ ad texendum carmen idoneæ. Sic in hac admirabili mundi mole res ipſę decedendo ac ſuccedendo peragunt vniuerſum, cuius ſunt partes. Itaque non ſingulas eius ſtare particulas, veluti in carmine ſyllabas, ſed excurrere oportuit, vt decedentibus, & ſuccedentibus alijs ipſa vniuerſi pulchritudo, & veluti canorus concentus perficiatur: quem ſi exaudire poſſemus, inſpecto ſeculorum omnium curſu, plenéq́ꝫ cognita regentis ſolertia, ſcio quòd maxima & penè diuina voluptate mulceremur. Nunc non ſinit ingenij anguſtia & vitæ breuitas niſi particulas tantùm quaſdam huius concentus attingere. Non autem ita delectant pauca quædam diſcerpta, ſicut ſi vno tempore vniuerſitatis huius ordinatiſſimũ curſum tanquam integrum carmen ſentire poſſemus. Et quemadmodũ in poëtico illo metro ſyllabarũ aliæ productiores habent temporũ moras, aliæ contractiores, vt carminis fert modus: ſic in hoc vniuerſitatis carmine res quædam diutius permanent, quædã velocius excurrunt, maioráq́ꝫ & minora carpunt tempoꝛ ſpatia, quantũ ipſe vniuerſi concentus efflagitat. Fortaſſe dixerit aliquis, ſic voluitur tanta concitatione, vt audio, mundus, & res quas ille continet: cæterùm homo ipſe, quia diuinum eſt animal, & ſui dignitate ipſa ornat mundi ornamẽta, nunquã cõmutatur, idem permanet. Imo verò idem eſſe dicitur, & eſt omnino, attamen aſſiduas patitur mutationes ſecundũ vtranq́ꝫ ſui partem, a primo ortu vſq́ꝫ ad extremum vitæ tempus. Manet quidem corpus, ſed non tale omnibus numeris, quale paulò ante fuit, alijs ingredientibus qualitatum vndis, & aliis egredientibus, tanquam in vaſe rimarum pleno: ſic innouatur homo momentis omnibus ſecundum pilos, carnem, oſſa, ſanguinem, & (vt ſummatim cõplectar) ſecundũ ſingulas corporis partes: ita illis ſemper accidit aliquid nouũ: breue hoc verbũ,

accidit, de corpore non hominis, non feræ, non volucris; non deniq; vllis de rebus poſſis vel ad temporis punctum auferre. Quid de humano dicimus animo, quo hęc omnia percipiuntur? non ne etiam illum varijs agitari motionum fluctibus & procellis? nam nunc ſpe trahitur, nunc voluptatibus eliqueſcit, nunc doloribus contrahitur, nunc metu obtorpeſcit, modò ſapientia proficit, modò deficit ignorantia, hæſitans ſæpius huc illuc fertur, & in eo obliuio delet plurima, plurima memoria reponit. Non autē poſſibile eſt ſine mutatione aliis nunc, quàm antea cōmoueri: nec qui aliis atq; aliis commouetur, non priorem ſtatum derelinquere, & nouum ſibi ſumere. Ergo homo ipſe his motibus, tum animi, tum corporis, mundū hunc magnū imitatur: nam ipſe minor dicitur eſſe mundus. Neceſſe autem erat ſeruata pulchritudinis lege minorem reſpondere maiori: nam ipſe mundus (vt dictū eſt) motu laborat aſſiduo: nihil eſt in eo, quod non vel loco, vel quali, vel quanto varietur. Huc reſpexiſſe illum opinor, qui ambiguo ludens ſermone, mundū dixit eſſe certum, & ſimilē incerto. Eſt profectò mundus diuinæ voluntatis organū, hac ratione a Deo fabricatum, vt præter humanos animos, quos ipſe procreat, reliquorum ſuſcipiens ſemina, ſinúq; recondens, omnia producat cōponendo, rurſus auferat diſpergendo. Sic nunquam componere, nunquam ceſſat diſpergere: ipſe vitam & motum tribuit animantibus, idem aufert: ipſe incrementum rebus addit, idem detrahit. Nullum autem horum corporū, quæ oculis occurrunt, purum atq; ſimplex, ſed immixta omnia: quædam tamen eorum magis craſſa atq; concreta, quędam minus: ideo altera grauia, altera leuia ſunt. Hæc & his ſimilia de mūdi ordine dici poſſunt: quem ſi quis acutius inſpexerit, vniuerſam per partes peragrans naturam, inueniet rectiſſimè cuncta diſpoſita & ad ſpeciem & ad ſalutem. Quòd autem exorbitare quædam præſtitutis itineribus aliquando videantur, quæ ob id nobis miraculo ſunt, temere & fortuitò accidere non putandum, ſed quòd cauſa quædam potentior id efficit, quæ ab inſtituta mundi ratione non diſcrepat: ſæpe enim ordinem in partibus non ſeruari, ordo ipſe vniuerſi depoſcit. Quemadmodū autem in loquendo vtimur quibuſdam loquutionū modis, quos grāmatici figuras appellant, & has diffiniunt vitioſè fieri cum ratione, vt quum parte poſita totū accipi volumus, vt tecta pro domibus, & hoſtes gladio ſuperatos dicimus, ideſt armis, & reliquo omni bellico inſtrumento. Rurſus quod de toto dicitur, trahitur ad partem, vt quū equitatum pro vna turma equeſtri ponimus, & obrutos quoſdam dicimus mari, non omni ſcilicet mari, ſed aliqua maris parte. Fit etiam nouū aliquod verbum coniungendis nominibus, horriſonum pelagus, ſaxifragis vndis, arcitenens Apollo, armipotens Pallas, vulnificuſq; chalybs, & cornipedes equi: hac enim vocabulorū coniunctione ludunt poëtæ, ſicut ille quoq;, qui non inuenuſtè deſcribens vno verſiculo cocleam, dixit

Terrigenam, herbigradam, domiportam, ſanguine caſſam.

Inſuper poëtarum necnon oratorum more tribuitur inanimæ rei, quod proprie ad animos ſolos pertinet: hinc a Virgilio ſceleratum frigus dicitur, & labor improbus, & iuſtiſſima tellus, & pontem indignatus Araxis, & Cicero Rempub. inducit loquentem, & plura his ſimilia, quæ longum eſſet enarrare, quæ dici poſſunt miracula eſſe orationis, & fiunt extra ordinem, quia abutimur tunc grammatices regulis. Rurſus ordine illo ſuperiori & latiori includuntur,

duntur, quo grāmatica neceſſitatis vel ſuauitatis cauſa hæc ipſa peccata concedit. Similiter natura efficit in rebus aliquid cōtra vſitatum & nobis notum ordinem, non tamen abſq; illo ordine, quo ſibi permiſit illa fieri poſſe: non enim licere minus debet naturæ in rebus, quàm poëtæ in verbis. At Poëta (vt dixi) duo iungit vocabula, & ea ratione tertium quoddam effert vocabulum, nunquam antea cognitum, quod natura etiam efficit ſæpe diuerſas inter ſe duorū animalium iungēdo figuras: hinc centauri, & capripedes bicornéſq; Fauni, & talia quædā, quæ, quia raro conſpecta ſunt, monſtra nuncupamus. Quemadmodum etiam poëta orationem ſæpe aſcripſit animantibus mutis: ſic procurante natura effectum eſt aliquando, vt mutū animal humanam verè emitteret vocem. Sol plurium nō admittit numerum: at poëta non veretur ſoles dicere: ſimili natura ludo ſæpius & ipſa plures ſoles oſtendit. Summatim autem hoc ſic habet: nam vbicunq; inuſitatum accidit aliquid, rarum, nouum, nunquam antea perſpectum, id accidere intelligendum contra id, quod natura ſolet plerunq; oſtendere, non contra ipſius naturæ vim inſuperabilem. Nunquam enim factum eſt, quod fieri non potuerit; ſin autem fieri potuit, & factum eſt, non id pro flagitio habendum, velut ordo deſeratur, quū ordinis ſit ordinem aliquando non ſeruari. Tanta autem cōſenſione inter ſe conſtricta & colligata ſunt omnia, vt quicquid eſt, vnicum eſſe opus naturæ, & vnico conſilio inſtitutū & perfectum meritò videatur. Nam res ipſæ, quæ diſperſæ & diſſipatæ multitudine videntur, ſæpius in eadem ſunt ſpecie, vel ſi ſpecie diuerſæ apparent, tamen nulla eſt earum, quæ non veluti pars quædam proprio generi ſubijciatur: atq; ita altera alteram communione ſui generis attingit. Ipſa autem rerū genera, quæ neceſſe eſt etiam eſſe plura, & inter ſe differre, tamen ipſa quoq; ſubijciuntur cuidam ſuperno generi, quod omnia complectitur, & veluti nodo vno conſtringit: hoc Græcè οὐσία, latinè dicitur ſubſtantia, extra quam nihil dici aut cogitari poteſt. Nam hæc loquutio manifeſtam habet repugnantiam, ſi dixero occurrere aliquid, quod nō ſit, quia illud aliquid oſtendit ſubſtantiam, quæ quomodo poteſt non eſſe? ſubſtantia igitur omnia tenet, ſocijs illi etiam additis, veritate & bonitate; nam quicquid eſt, neceſſe eſt etiam vt verè ſit, & vt bonum quoq; ſit: quin etiam vnum quoq; erit, quoniam non eſt aliquid, quod a ſe ipſo diuiſum ſit, & non ſit idem ſibi, & alterum ab alijs. Rectè etiam cogitantibus apparebit, quòd tendunt ordine in vnum omnia, nulláq; multitudo vnius expers reperietur, quoniam per ſingulos quoſq; gradus magis atq; magis aſcendēdo coarctatur vno; demum efficitur, vt ad id, quod veriſſimè eſt vnum, perueniatur. Nam quæ plura numero, vnum eſt ſpecie, quæ plura ſpecie, vnū genere: quæ plura genere, vnū ſubſtantia, veritate, bonitate. Deniq; omnia inter ſe compoſita atq; coagmentata, diuiſa partibus, vnum toto ſunt: licet enim aliud totum, aliud partes, totum tamen de partibus reſultat, ſed hoc totum quoq; conſtans partibus innumeris, vni ſubeſt principio, ſimpliciſſimo, indiuiſibili, a quo proceſſit, regitur, ſuſtentatur. Sed iam finem ſermo præſens ſuſcipiat: memoria enim iam deficit, nec alia occurrunt vlla, niſi parua quædam, quæ prætermittenda cenſeo. Supereſt autem, poſtquam vidimus admiranda pulchritudine & ordine ſingulari cōſtare mundum, aliud nihil, niſi vt gratulemur nobiſmetipſis, quòd in tam pulchram támq; ornatam domum inducti fuerimus, conſiliúmq; tanti

opificis

opificis approbemus, & ſupplices veneremur: nec verò tu, aut horum quiſquam audebit me auctore tam perfectum támq; politũ opus vituperare, niſi fulgura, & tonitrua, & immenſos quoſdam alios terrores experiri maluerit. D I O. Quæ tandem fulgura, quæ tonitrua nobis narras? & quos terrores minitaris? M A R. Tu verò forſitan putas me ioco comminari. Ego verò ſerio, atq; adeo ab hiſtoria, quam referre haud ab re (vt opinor) fuerit. Nam ſuperioribus menſibus ocio abundans, quum Hiſpanorum regum geſta ab antiquiſſimis temporibus ad hanc vſq; ætatem perducta relegerem, incidi in Alphonſum decimum Caſtellæ regem. Is vir bello ſtrenuus fuit, & pluribus victorijs inſignis, aſtrologiæ autem ſtudioſiſſimus adeo, vt in arte luculentum ederet volumen, quod nunc inter manus plurimum verſatur. Sed dum vnà cum ſuæ ætatis aſtrologis ſidera rimatur, inuenientibus cæteris vnde ex natali cuiuſq; die prædictiones facerent, ipſe, qui quæſtu non indigeret, inuenit, vnde blaſphemus eſſet: nam palam cœpit dicere multa diuino operi deeſſe, alia commodius fieri potuiſſe, quæ prolaturũ fuiſſe aſſeuerabat, ſi in conſilio fuiſſet tunc Deo mũdanam fabricam erigenti. Ergo Deus homine eguit monitore? Quum autem antea docti viri, & in his eruditiſſimus quiſq; hoc tam immenſum naturæ opus non bene intelligi aſſeuerent, magnámq; partem humanæ ſcientiæ minimam eſſe eorũ, quæ ignorentur, contendant: tú ne adeo ingenia omnium ſuperaſti Alphonſe, vt tanquã omnia perfectè intellexeris, quædam deeſſe dicas, alia redundare? Quum contradiceret regi nemo, & iam ille magis valdè clamaret, adierunt ad eũ ſancti viri, qui Dei auctoritate, a quo miſſi fuerant, nuntiarunt, vt peccatum agnoſceret, atq; defleret: quos ille in ſentẽtia manens pertinaciter & ſuperbè contempſit: contempſit, nec quidquã poſt illa ſibi timebat, quid enim timeret, qui ſe dignũ Deo credidit collegam? Sed ecce inſequentis noctis ſilentio fulmina, nimbi, procellæ in cubiculum irrumpunt regium, omnia concuti, tremere, ac in profundum demerſa videri. Tum demum altiloquus ille erexit ſe contra ſe, pectus percuſſit, peccaſſe faſſus eſt, vocem impiam, ſacrilegam, dementiſſimam, quã nullæ aures ferre poterant, correxit: nec tamen pœnam omnem euaſit, nam multis illũ poſtea calamitatibus vindicis Dei ira afflixit, & ad extremũ regno nudauit. Hæc hiſpanienſis nobis refert hiſtoria, cui ſi fidem habueris, bene (vt opinor) tibi fuerit conſultum, ne Alphonſo ſimilem ſimilis pœna comprehendat. Nam qui ſtultus eſt aliquando in crimine, efficitur demũ ſapiens in pœna: itaq;, ſi me audieris, cauebis. D I O. Rectè mones. Attamen multi, ſiue de Alphonſo nihil audierint, ſiue ſi audierunt, contemnant, non verentur pulchritudinem ordinémq; mundi incuſare, referam autem quid illi dicant, vt a te refellantur. Imprimis enim res iſtas viliſſimas & abiectiſſimas, quibus plenus eſt orbis terrę, reſpuũt, præſtantiora autem quæq; amplectuntur: ſed horũ præſtantiorũ vberiorem aiunt copiam fieri debuiſſe, vilibus illis & paruis remotis. M A R. Diſcutiendum igitur putas, quicquid ſit, quod hi dicunt, ſeu philoſophi ſint, quos ego paulò ante inter nauigandũ, vt duriſſimas cautes, occurrere mihi metuebam, ſeu de populo ſint, ego tamen eos arbitror inualidos eſſe, & nihil afferre metuendum. Nam ſi eſt aliquid, quod veriſſimè ſit vnum, quod æternum infinitúmq; pariter ſit, & ſtabile, eodem modo habens ſemper, rerum omniũ poteſtas & menſura, id ab hac diſputatione ſeparetur: non enim de hoc quæritur: ſed

tur: ſed de mũdo, quem vt corpus quoddã partibus conſtare oportet: ſi enim nullæ eſſent partes, indiuiduum quid eſſet, quod corporum natura non recipit, ſin autem erunt partes, pulchrius efficient corpus diſpari forma & officio, quàm ſi per hæc pares, numero tantũ differrent. Sic igitur fabricatus eſt mundus, qui debuit eſſe pulcherrimus, quantũ corporis ferebat ratio, vt plura haberet diſtincta tanquam membra, quorum alia oportuit eſſe priora dignitate alia media, alia infima, quia ſic etiam perfectior pulchritudo naſci videbatur, ſi paulatim, tanquam gradibus quibuſdam, ſuccederent ſibi inuicem omnia, aſcenſu facto ad ſummum, & ad ima deſcenſu. Hæc quum ita ſint, ſi quis velit quod eminet in partibus amplecti, reiectis inferioribus, non animaduertit ſæpius illorum nexum, quòd ſcilicet magna illa, quæ probat, non poſſunt aliquando ſine his inferioribus ſubſiſtere. Nam architecti quoq; dicunt lapides magnos ſine paruis in ædificiorum vſum non poſſe collocari: vel ſi id non poteſt in hæc transferri, vellem doceri, quomodo ſublatis terreſtribus cœleſtia extarent: nam, vt diximus antea, ſidera terrenis maritimiſq; vaporibus longo interuallo extenuatis aluntur, illis ceſſantibns extinguantur neceſſe eſt. Ipſa etiam quatuor elementa ita oriuntur ex ſe inuicem & in ſe ipſis ſic deſinunt, vt nullum eorum per ſe tantummodo vel cum altero remotis duobus manere diutius poſſe credatur. Quomodo etiam cœlum in ſublimi poſitum diceretur, niſi e regione terram infimam haberet tanquam centrum? nam ſine humili & anguſto centro ſublimis ille & fuſus circuli ambitus non conſtaret. Deinde quod vnum rerum genus, quod maximè admiratur, vellet occupare omnia, ſublatis alijs, geminum ſanè peccatum vna incurritur ſententia, quòd vniuerſitati rerum & adijcit ſuperflua, & detrahit neceſſaria, & perinde facit, ac ſi vellet hominem nec manus, nec aures, nec pedes, nec nares habere, ſed illorum loco oculos alios ſuccedere, quia præſtantiores omnibus oculi. Hicnum ornaret tum hominem? an maximo potius bono ſpoliaret? nam etſi nares (vt de eis loquar) inferiores ſunt dignitate ſenſus oculis, tamen ad hominis formam tam adeſſe debent, quàm nec illi deeſſe, & tam pulchre ſeruiunt officio ſuo inferiori loco, quàm illi faciant ſuperius. Similiter in mundi corpore deſiderari non debuit maior illa copia ſuperiorum bonorum dempto illo infimo genere, quum & illa non deſint, nec ſuperfluo exaggerare conueniat, hæc adeſſe omnino oporteat, vt varietas huius corporis perficiatur. An tu putas in rebus bonis laudandum eſſe nimium, ac non potius quod e diuerſis generibus temperatum eſt, & varietate quadam permixtum? Laudamus ſeria, ſed hæc acceptiora, ſi iocis quibuſdam condiantur: laudamus iocos, hi quoq; dulciores, ſi in ſeria multa inciderint. Iam illud multi afferunt, quòd nauigatio prope terram, ambulatio iuxta mare ſit iucundior, quia ſic agens vtroq; elemento perfruatur. Reficit mixtura animos: afficit faſtidioſè ſimplex illud vno tenore perductum. Ecce placet cunctis nocturni ſpecies cœli, ſtellis vndique conſperſa frequentibus: quòd ſi augere cupientes efficere volumus, vt non iam diſtantibus interpolatiſq; ſpatijs ſubſideant ſidera, ſed ipſum cœlum totum ſit ſidereum, omnibus ſui partibus rutilans, non iam oblectauerit, ſed de tanta luminis copia integras gentes vno aſpectu conterreat. Igitur gratiora ſunt noctu diſperſa ipſa ſtellarum lumina. Addo amplius, ipſę illę quæ horrendæ videntur altiſſimæ in nocte tenebræ, nullo prorſus interfulgentę

gente ſplendore placere etiam poſſunt, ſiquidem placet etiam in vocum cantu, & citharæ fidibus, & in ipſa etiam oratoris facunda eloquutione, certis moderatiſq; interuallis interpoſitum ſilentium: non enim aliud tenebræ, quã ſilentium & pauſa ſunt (vt ita dixerim) luminis. Quamobrem ſicut nemo aſſiduè cantantem audire cupiat, quin quandoq; pauſas quaſdam in cantu requirat: ſic nec luminoſum ſemper aliquid videre vellemus: intercurrit nox, illuſtrior mox aduentat dies & gratior. Qua ratione commotus videor poſſe dicere, infimas has mundi res & tenebroſas, ſi non aliud, at illud ſaltem præſtare, vt collata ipſis ſuperiorum bonorum dignitas magis eluceat. Ideo gratiam nonnullam habere in loco poſitas, vt hæc oſtendunt, & id quod ſimili exemplo fit ab ijs, qui æmula manu reddunt nobis naturæ pulchritudinem, quinam hi? pictores: nam nullis hominum curę magis mulcendi oculos ſuauitate formæ, quàm illis: in hoc enim artis eorum cardo verſatur. At illi picturis vmbras illinunt, quæ ſunt in figurarum campo veluti tenebræ quædam: attamen laudantur, quia per eas magis eminent ipſa colorum lumina, non placent ſpecie ſua vmbræ illæ: eſto: at placent ordine. Sic mundi Pater vmbroſa quædam & obſcura diſpoſuit, vt per ea ſummorum bonorum dignitas melius colluceret. An illud potius factum in mundo, quod in magna locupletis patriſfamilias domo fieri ſolet? vbi non ſpectantur tantummodo aurea & argentea vaſa, gemmea, eburnea, ſed ęnea quoq;, marmorea, & lapidea, quin etiam lignea, & lutea, & vnaquæq; eorum ſedibus ſuis diſpoſita ita, vt ſplendidiora nobilioribus, viliora ſordidioribus miniſterijs inſeruiant, idq; ſic eſſe magis eſt e dignitate domus, & magis e diligentia induſtriáq; patriſfamilias, quàm ſi pauca eſſent precioſiſſima, & omnia vnius generis. Cogita modò de iſtius immenſæ & communis domus ornatu. Huic nobiliſſimus Opifex innumeram comparans ſupellectilem, plurima illorum diuerſis effinxit figuris, varietate operis delectatus, differentibus etiam locis collocauit, alia alijs plus & minus ſplendoris habent, & hæc ſupra, illa infra, alia in meditulio manſerunt: atq; vt in domo ſapientis patriſfamilias fit, ſic in mundo ſplendidiora quæq; nobilioribus vſibus mãcipata ſunt, obſcuriora vilioribus, quis id iure improbare queat? Quid? hi noſtri comœdiarum & tragœdiarum ſcriptores, nonne ſimili in ratione verſantur? has legiſti ſæpius, ſpectaſti nonnunquam: non illic omnes heroes inducuntur, aut patreſfamilias diuites, aut milites, aut ſenatores, ſed prodit ſępius in ſcenam ſeruulus aliquis, qui verba ſumit de medio, & viliſſimis de rebus loquatur: fingitur perſona ruſtica & agreſtis, rudiori quædam pronuntians ſono: audis puerum, ſenem, pędagogum, nutricem, nautam, meretriculam, lenonem, vnumquenq; fantem apta perſonæ. Si quis has eximat deteriores, relictis modò ſceptrigeris, tyrannis, & alijs grauibus perſonis, abiicietur poëma, tanquam minimè ſit elegans & præclarum. Pari ratione mundus eſſet ignobilior, & tanquam abiiciendus, ſi viliſſima, quæq; & abiectiſſima non haberet, quæ loco ſuo reddita decerent, fructuoſa etiam eſſent: ita enim in eo ordinata ſunt omnia, vt quum ſumma admirationi ſint, inferiora tamen probare cogamur. Res vilis ſtercoratio, & vilium operarum, hæc tamen lætificat agros: hinc etiam fimus, e quo ſtercoratio, lætamen vulgo nuncupatur, quod Seruium quoq; grammaticum annotaſſe video. Extat clarum Ciceronis teſtimonium de

docto

docto ſapienteq́ Heſiodo, quòd is in georgicis ſtercorationem prætermiſerit. At non Virgilius noſter, non Cato, non Varro, non Cicero ipſe, non alij, qui penes nos ruſticas res ſcripſerunt: cuius etiam rei vetuſtiſſimus omnium, idémq́ nobiliſſimus poëta Homerus meminit, dum Laërtem ſenem deſiderio filii in agro degentem, & eum ſtercorantem inducit. Vulpianus quoque noſter in Digeſtorum libris tractans de impenſis in res dotales factis, vtiles, inquit, impenſæ pecora prædiis imponere, ideſt ſtercorare. Quid plura? nonne antiquitas diuinos tribuit honores Stercutio Fauni filio huius rei repertori? tantum hac in re tam ſordida bonum illi eſſe crediderunt, nec prætermittere voluerunt. Si hoc tantum vtile, vt vſu quoque docemur, quid aliud erit inutile? quanquam etiam hæc infima indicant in pluribus fabricantis naturæ ſolertiam. Quod non fefellit ſummum illum Poëtam noſtrum, qui veluti vniuſcuiuſq́ vellicans aurem admonet illo carmine,

Admiranda tibi leuium ſpectacula rerum.

Formicæ, veſpæ, culices, cicadæ, muſcæ leues res ſunt, & volatiles, attamen in eo, quòd molis minimum, admirationis habent plurimum: nam in vaſtis & magnis corporibus quiduis facilius videtur deducere potuiſſe natura, ſequente materia: ſed in animalibus inſectis quis non plurimum admiretur ſubtilitatem officinæ? quòd in tam minimis ac penè nullis corpuſculis indiderit natura viſum, auditum, olfactum, guſtatum, tactum: nec id tantùm, ſed dederit etiam ſenſum victus, generationis, & operis, & ad futura curam pariter extenderit. Eſt etiam in quibuſdam præſtans ſtudium, & vtilitas: non apes, de quibus idem poëta tam egregium condidit volumen, habent regendi prudentiam rebus ciuilibus proximam, mella & ceras mortalibus vtiliſſima duo effingunt; his rebus ornata eſt in illis corpuſculi breuitas. At ranunculi, & aliæ quædam beſtiolæ præſagiunt impendentem tempeſtatem, & hanc motibus quibuſdam denuntiant: credo plurimum gaudeas, ſi talem domi habeas ſeruulum. Sed aranearum illam ſubtiliſſimam texturam quis imitari queat? quis ſic operis fila poſſit diſponere, per quæ illa minuta animalia veluti retibus implicita tenentur? At non modo diuerſis in rebus inter ſe collatis, ſed in iiſdem aliud alio melius, dignius, validius, quod ſatis latè patet. Ægyptii id imprimis in elementis viderunt, ponentes in ſingulis marem, & fœminam: aërem concitatum & ventoſum marem vocant, fœminam nebuloſum & inertem: aquam virilem iudicant mare, muliebrem omnem aliam: ignis maſculus eſt illis quà ardet, fœmina quà lucet: terram ſcopuloſam & lapidoſam ſcilicet, ſaxáq́ ipſa & cautes habent, vt marem, reliquam culturæ patientem, vt fœminam. Hæc quum ita ſint, ſi depoſcitur ratio rerum, quæ in mundo infimam præ ſe ferunt ſpeciem, hæc vtique redditur, quia dicitur extare ea debuiſſe, tum vt oſtenderetur elegantiſſimus hic connexus, quo maiora minoribus, & minora maioribus coniunguntur, tum verò quia vberior viſa eſt pulchritudo adeſſe mundo, ſi ſumma illa bona non redundarent nimis, ſed intra congruum modum ſe tenerent, & infimæ hæ res non deeſſent, ſed præſentes, ſui generis varietate vniuerſitatis huius ſpeculum exornarent. Sic effectum eſt, vt hæc humilia etiam haberemus, præſertim quum grata eſſe poſſint, quia comparata ſummis

oſtenderent illuſtriorem eorum ſpeciem & lætiorem: & quia etiam ſingula per ſe vtilitatem afferunt, & ſunt etiam pulchra ſuo decore, ideſt infimo, nam ſi grandius & magnificentius fuiſſent exornata, alienum decorem haberent ſibi ipſis minimè conuenientem. Ecce tibi quot & qualia affero ad retundendum aculeum, quem inieciſti: quibus congruentia ſenſerunt veteris ſapientiæ profeſſores, qui humanum genus conditum dixerunt, vt diuinum magis eniteſceret, ſi contrarium haberet, cui collatum ſpectaretur. Ergo homines conſtiterunt, effecitq; tenue illorum & anguſtum bonum exiſtimari omnibus beatiſſimam Deorum immortalium vitam, quæ talis non haberetur, ſi infra ſe nihil ipſa haberet, nam magnum parui notione cenſetur, & maximum eſt aliquid minoris collatione. Hoc illi dicunt, quod ego latius accipio, ſtatuóq; eodem argumento diuerſa genera rerum, diuerſos gradus ſummo, medio, infimo diſtantes extare in mundo debuiſſe. Nam ſi humanum diuini gratia adeſſe debuit, vt illi dicunt, cur non pari ratione plura infima condita dicendum, vt ſumma quædam eſſent? nec tamen illa infima repudiabimus, tanquam mala, ſed bonitate præſtare dicemus, licet minori, ſicut humanam ſubſtantiam bonam quoque dicimus, licet nimis iaceat diuinitati comparata. His rationibus adductus non poſſum laudare Pythagoram, qui duo principia, bonum & malum poſuit, ita vt bono ſubijceret finitum, par, vnum, dextrum, maſculum, quietum, rectum, lucidum, quadratum: malo autem ſubijciebat contraria, quæ ſunt infinitum, impar, numerabile, ſiniſtrum, fœmineum, commotum, curuum, tenebroſum, claudum. Reſpondere ſingulis non eſt neceſſe, breuiter dici poteſt non debuiſſe hæc poſteriora in mali ſorte collocari; non enim quod minus perfectum eſt, ideo malum, ſed minus bonum: quanquam etiam in ſe illa quoque ſunt perfecta, quoniam, qui eorum captus fuit & conditio, altius exornari expolirią; non debuerunt. Et hæc quidem ita mihi ſe habere videntur. Tu verò quid ais? D I O. Elegantiſſimè quidem & pulcherrimè loquutum, nondum tamen a te ſatisfactum iſtis, quos ego veluti mundi accuſatores pono, atque haud ſcio, an id mea contigerit culpa, qui ipſorum rationes latius non explicaui, quod deinceps facere inſtitui. Non enim vnum aut alterum, ſed infinita penè ſunt, quæ contra hunc mundi ſtatum afferuntur a pluribus, quibus etſi omnino non aſſentior, commoueri tamen illorum vocibus neceſſe eſt. At vide non humanum conſilium, ſed diuinam potius ſortem, quæ imprudente me ſermonem impulit in eas res, quas tractari, agitarią;, & ad exitum perduci cupiebam. Nam ob hæc tenebræ quandoque ob oculos non paruæ, quas ſi tu hodie diſcuſſeris (quod ſperare mihi videor) gratiſſimum erit. Sed quid ago? æquius forſitan fuerat hunc Callimachum partes has ſuſcipere, qui & ætate, & ſapientia, & literis, & rerum vſu longè me eſt robuſtior, & (quod eſt caput) his de rebus accuratiſſimè diligentiſſiméq; ſcripſit, vt audio. Itaq; ſuſcipis ne Callimache? vel quomodo agis? C A L L I M A C H V S. Quid ſuſcipiam? D I O. Vt exponas ſcilicet ea, quæ contra mundi huius conditionem, ſtatum, ornatum te ſcripſiſſe audio. C A L. Non audiſti modò, ſed ſcripta ipſa vidiſti, & ſæpius legiſti. Sed quid tu me ad nugas & illa ridicula vocas, quæ aliquando ludens compoſui, & animi cauſa? D I O. Imo nunc nugaris ſciens, & ludis: nam antea

tu &

tu & ſocij valde aſſeuerabatis inuerſam eſſe mundi huius orbitam, hoc tuum eſt & tuorum. C A L. Ne me obſecro Anaxagoram Clazomenium facias, qui omnia ſimul confuſa eſſe dixit. D I O. Non te Anaxagoræ diſcipulum, facio aut ſectatorem, nam ſi te Anaxagoram facerem, forſitan nimium eſſet. Veruntamen ille initio omnia confuſa eſſe dixit: ſed addidit, quòd mens ea poſtea diſtinxit & ornauit, & hanc ſanè ille diſtinctionem & ornatum ſuſcepit, & reueritus eſt: tibi hæc duo, quæ confuſionem illam ſubſequuta ſunt, & abſtulerunt, nō probantur. Nam diſputans contra ordinē pulchritudinémq; mundi, vtrunq; impugnas, & diſtinctionem ſcilicet & ornatum: ſiquidem diſtinctio ad ordinem, pulchritudo ad ornatum pertinet, nec aiebas te commoueri ipſo mundi vocabulo, quòd elegantiam quandam ſeu verius munditiem aſtrueret: eſſe enim mundum hunc illi alteri mundo muliebri perſimilem, ei ſcilicet, quem mulieri damus, quum ſe ipſam in balneo perſtringit, vt paulò mundior exeat, quàm intrauerat. C A L. Age, ſi quid agis ſine me. Equidem infœlix videor, quòd cogor hodie multa de nugis meis audire. D I O, Tu nugas vocas illa argumenta? tam crebra? tam grauia? tam acuta? quæ a te & tui ſimilibus (non enim tu vnus omnia congeſſiſti) afferuntur: crederem, niſi etiam eruditos viros commouerent. C A L. Quin tu igitur profers omnia, quando ita videtur, & a me, & a reliquis, quæ in eandem faciunt ſententiam, mutuatus. Illud tantum deprecor, ne Callimachi nomen huc admiſceas. D I O. Non equidem Callimachum, ſed, quòd plures ſunt, Callimachos hos mundanæ pulchritudinis oppugnatores vocabo, atq; adeo voco: non enim video, quo alio poſſim vocabulo aptius hos omnes comprehendere: nam innominatos relinqui non oportet, & tu (vt opinor) concedes: nihil enim iacturæ affert communicatio nominis. C A L. Non abnuo, poſtquam ita animum induxiſti, ne anſam tibi præbeam excuſationis, te ſcilicet defectu nominis cauſam hanc deterius egiſſe: voca igitur, vt libet. Equidem in huiuſmodi diſputationibus, quæ fiunt leuandi & exercendi animum, atq; adeo veritatis ipſius exprimendæ cauſa, quiduis & facere & pati glorioſum puto. Tu modo viriliter & ſtrenuè incumbe, nihil prætermittens eorum, quæ audiſti vel didiciſti: maximè verò ne omiſeris, quæ ab alijs allata exiſtimas me prætermiſiſſe, quanquam huius rei caput eſſe videor. Quid plura? arbitror te bene inſtructum paratúmq; venire. D I O. Agam pro viribus & ingenij captu, & eò libentius aggrediar, quòd omnia tua ferè teneo, nec multa ſunt a te derelicta, quia forſitan viſa leuiora, quæ tamen, qualiacunq; ſint, in aciem producentur: nam vt in exercitu imbecilla auxilia, ſic iſta leuiora ſaltem ad ſpeciem valebunt. Sed mihi prius exeundum eſt e ſylua, vt videam quid diei ſit reliquum de ſolis curſu: ille me admonebit vel contrahere orationem, vel dilatare. Itaq; ſic faciam, niſi forſitan Marce non vis: iam enim meus ad te vertitur ſermo, & mihi tecum res futura eſt. M A R. Neq; te teneo, neq; dicta refello.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PVLCHRO LIBER TERTIVS.

ELOQVVTIONVM Tria eſſe genera veteres ſapientes tradiderunt, vnum præſtantiſſimum omnium & diuiniſſimum, a quo cętera loquendi genera profluunt, meditatio ſcilicet & cogitatio, quæ fit ſub ſilentio in animo huc illuc ſe commouente, ad inueniendum aliquid, vel diſponēdum, vel iudicandum: hæc ſane animi actio ſermo intimus appellari poteſt. Alterum verò loquendi genus, quod a ſede animi vocis inſtrumento effunditur auribus accommodatum, quod pro arbitrio intendere, contrahere, deponere, & alternare poſſumus, & ab hoc ſermone tāquam ſpirante afflatur ſatis & concitatur auditor. Tertium loquēdi genus ſcriptura profertur, quod, etſi multas patitur difficultates, nam non obſeruato tempore, nec habita ratione perſonarum, nunquam commutato dicendi genere, eadem aſſiduè vtitur voce, & ſi laceſſatur vel oppugnetur, auxiliū ſibi ferre nequit: attamen hæc omnia incommoda reſarcit propter præſidium, quod affert aduerſus obliuionem & temporis iniuriam, verius ſermonis imago, quā ſermo. Quemadmodum enim homines animaduertentes corpora eorū diuturnitatem ferre non poſſe, ſtatuas & picturas inuenerunt, quæ corporum ſuorum imagines redderent, arbitrātes ſe in illis diutius victuros: ſic poſtquam animaduerſum eſt ſermonem noſtrum, tam eum, qui interius verſatur in animo, quàm alterum, qui voce affertur, moram non ſuſtinere, ſed ſtatim effluere, inuentæ ſunt literæ, quæ picturæ inſtar ſtabilem horum ſermonum imaginem referrent. Non veterum hominum dicta, non facta cognoſcerentur, non vita artibus excoli potuiſſet, ſed cuncta abeuntibus inuentoribus effugiſſent, niſi literis illigata fuiſſent: demum fruſtra veteris ſeculi ſapientia præceſſiſſet, niſi literarum beneficio in poſteritatem emanaſſet. Vt autem hæc tria loquendi genera gradu poſita ſunt, ſic vnum quenq; incumbere illis oportet, primas partes priori tribuendo, ſecundas ſecundo, tertio vltimas. Primū enim omnium eſt multa ſecum animo agitantem inuenire cognitu digna: huic proximum multos præſenti voce erudire: poſtremò ſcripti genus arripiendum, ne intercidant præclarè cogitata. Vt enim nulla lucra quęſita proſunt, niſi adſit cuſtodia, ſic nullus fructus ſapienter inuentorū, niſi cuſtodiātur: nulla autem melior cuſtodia quàm cuncta in literas mittere. Quamobrem non ſine laude prætereundos cenſeo veteres ſummos illos viros, qui, quum præclara multa excogitauiſſent, & bonis artibus ciues ſuos inſtruxiſſent, voluerunt etiam ſapientiæ ſuæ theſaurum literis conſignare, ne viderentur venientia ſecula fraudaſſe diuinis illis inuentis, & ingenij eorum fœlicitatē poſteris inuidiſſe. Hac ratione aſſequuti ſunt, vt non vnius aut alterius populi vel gentis, ſed vt vniuerſi humani generis præceptores habeantur. Illi dum ſcriberent, non præſens modò ſeculū, ſed poſteritatem omnem ſpectabant, huic inſeruiebant, ab hac etiam mercedem laborum ſuorum repoſcebant, gratam ſcilicet nominis memoriam, & exiſtimationem integram, atq; honeſtam. Enimuero, ſi verū amare volumus, exiſtimabimus vnūquenq; noſtrum nō relinqui talem oportere,

qualis ab initio natura editus fuit in lucem, ſed eruditione & doctrina & quaſi cultu quodam indigere, vt corrigantur deteriora, ſi qua ſunt inſita ingenio aut moribus, bona autem ipſa in melius prouehantur. Quapropter quicunque ante nos ſapientiæ nomine digni fuerunt, nunquam ab erudiendis hominibus tum voce, tum literis ceſſarunt, ſed in id munus præſtantiſſimũ ſanè omnium & pulcherrimum cogitationibus ſuis omnibus incubuerunt. Quid enim maius homini contingere poteſt, quàm multis eſſe auctor ſalutis, & melioris vitæ? hoc eſt eſſe Deum inter homines, plurimos iuuare beneficio mortales. Horum ego exempla ſequutus ſum in ſcribendo hoſce de pulchro libros: ſermo enim iam antea meus in amicorum cætu de his emanarat: nunc eius imago diuturnior (vt opinor) futura literis repræſentatur vtilis, vt ſpero, legentibus, ſi qui tamen legent. Voluptatem etiam attulit mihi ſermonum illorum recordatio, ita vt etiã nõ mediocriter delectarer in ſcribendo, quanquam ſucciſiuis id agimus temporibus, vbi vacui negotijs ſumus, & a iuris ciuilis ſtudio ceſſamus, cui ſerias (vt aiunt) impendere cogimur lucernas: non enim poſſumus deeſſe ciuibus de iure ſibi reſponderi cupientibus. Sed iam huius operis tertium ingrediens volumen, viſum eſt, antequam progrediar, paucis eos alloqui, qui forſitan prolixitate dictorum & dicendorum grauabuntur: hos enim placare mihi cupio, quia intelligi volo, non id loquacitate noſtra contingere, ſed vt propoſitæ materiæ ſatisfaciamus, & cuncta planius & commodius explicemus. Si enim fieri poteſt, vt ipſi breuioribus verbis eadem dicant, ita vt nihil pereat de vtilitate legentibus, nihil prætereatur eorum, quæ aptius ad intelligendum faciunt, fateor errorem meum, vt qui nulla ratione cogente ambages fuerim ſequutus. Sin autem nihil detrahi poteſt de oratione mea, quin eadem opera detrahatur de materia, deq; eius inſtructione, & ornatu, non adeo illis breuitas placere debet, vt non animaduertant ad magnitudinem rei propoſitæ, quæ talis ac tanta eſt, vt de ea clarius ſimul ac breuius diſſeri non potuerit. Et ea quidem, quæ de mundi pulchritudine & ordine ſenſimus, ſuperiore libro dilucidè ſatis (vt opinor) explicata ſunt. Nunc deinceps quæ contra a Dionyſio ingenioſiſſimo æqualium ſuorum, & ſtudioſiſſimo allata ſunt, quidq; eius orationi reſponſum per me fuerit, exponam. Is etenim ſyluam egreſſus, paululumq; moratus, mox vt rediit, & conſedit, cupientibus omnibus illum audire, talem habuit orationem. DIO. Poſtquam ſol vix meridiem exceſſit, ita vt multum temporis ſuperſit, explicabo latius ſententiam iſtorum, qui pulchritudinem ordinémq; mundi oppugnant: nam etſi probè loquutus modò fuiſti, tamen ignoras adhuc aduerſus quos homines res ſit tibi: nondum planè noſti Callimachos hos, quales ſint. Illi ſiquidem delicioſi ſunt, & ipſis inuitati delicijs mordent acrius ſtructuram mundi, non improbantes hæc infima, quia infima, & quaſi velint ſublatis terreſtribus bonis cœleſtia ſolùm permanere, ſed hæc terreſtria illi etiam complectuntur. Attamen eorum optant vberiorem ſibi copiam fluere: vellent flumina ire lactis, & de ſentibus vuas legere purpureas, & de quacunq; arbore flaua mella decerpere: lapides, quos paſſim ſtratos & iacentes vident, alios eſſe iaſpides, alios ſmaragdos, alios quamlibet aliam gemmam æquali magnitudine, auras etiam aſſiduè ſpirare ſuauiter halantes. Illa autem omnia, & his meliora, quæ ſibi ſcirent fingere, ſuppeditari

nulla

nulla interpellante moleſtia. Hæc vera eſſet (vt aiunt) vita, feſtus tunc ageretur perpetuò mortalibus dies. Nunc ſegetem non effert tellus, niſi aratro ſub acta, & duris ſuffoſa ligonibus, & infinito alio perdomita labore: nec de vitibus pendet vindemia, niſi antea nos annui temporis cura exercuerit, vinitoréſq; fecerit, nec agricolandi modò, ſed ædificandi, ſuendi, texendi, piſcandi, venandi, & ſimilium rerum plurimus & non neceſſarius iniectus homini labor. Et dum hæc dicunt, leuius conqueri videntur: veniunt ad grauiora, non incuſantes, muſcas, culices veſpas, atq; formicas, quorum tu etiam ſtructuram miraris. Sed quid opus fuit tot beſtiarum ſæuitia? quid ſerpentum venenis? cur exurit ignis? obruunt vndę? ſuſpendit arbos? opprimit tectorum ruina? Pudet dicere, quòd vel cœli, vel aquarum nouitas, vel flatus non familiaris auræ nos ſæpe conficit, adeo non magna opus eſt tempeſtate, vt confringamur, nihil fragilius reperies, nihil infirmius corpore, nihil omnibus magis agitationibus & procellis obnoxium. Nec mare obieceris, hoc enim externis tantùm commouetur flatibus: at corpus non modo extra læditur igni, ferro, morſu, flagellis, & rebus talibus, ſed continet intus plurium malorum ſemina, dum humores colligit, aut nimis acres, aut nimis concretos, ſpiritu vtitur nimis denſo aut aſpero, & vt alicui contingat bona corporis habitudo, incertum eſt tamen quàm diu maneat. Sit aliquis liber a morbo, quis tamen a timore morbi? ſemper trepidandũ eſt pro corpore, neſcientibus quid illi veſper ſerus vehat. Et vide quanta eſſe diffidentia debeat, quũ metuendũ ſit etiam ei, qui in dies ſentiat ſe in melius procedere: nunquam enim habitudo corporis in eodem ſtatu permanere poteſt. Quamobrem quũ ad ſummũ peruenerit, nec vlterius poſſit progredi, ruina quadam retro voluitur: ergo quò plenior quiſq; & ſpecioſior, & coloratior, eò magis ſibi ſuſpectus eſſe debet, minimè enim eſt ſtabile, quod maximè floret in corpore. At quàm graues dolores? quàm diuturni? quàm penitus imis infixi ſenſibus? quũ voluptates eadem natura fecerit leues & momentaneas: illæ etenim, tanquam auræ, ſumma tantùm perſtringunt corporis, mox auolant ingratiſſimo earũ fumo relicto. Non poſſunt ergo cõferri doloribus nec magnitudine nec tẽpore: hęrent iſti in neruis, viſceribus, ſpiritu, & ſanguine, nec dies modò, ſed menſes & annos, nec niſi alijs doloribus aduocatis abeunt, ſi tamen abeunt, nam ſæpius per omnem vitam comitantur, nec niſi cũ ea extinguuntur. Et iſtud eſt etiam, quod quæritur, cur interimat mors, nec ſimplex modò mors, ſed varias horribiléſq; induens ſibi figuras, cum graui ſenſu omnes perimens corporis ſenſus. Hoc dum quærunt, illud ſignificant homines aut non naſci, aut ſi naſcerentur, mori non oportuiſſe: ſicuti regnũ quum datur, deinde eripitur, melius fuiſſet non dari. Illud etiam videbatur ſtatui debuiſſe, ne inanimũ aliquod vel animatum vim humanis corporibus inferret: non enim nimium erat, ſi humano natura dediſſet corpori, quod auro dedit: hoc enim aiunt aduerſus omnẽ vim fore inſuperabile, nec vllo artificio deſtrui poſſe, neq; die aut vetuſtate vlla, quod in nobis fit, abſumi. Sed feramus leuiter ſingulos paulatim homines carpi fato vltimo, atq; aboleri, niſi etiam aceruatim & generatim populis & gentibus idem cõtingat exitium vno tempore. Nam quomodo diluuium ſemel in vniuerſum genus humanũ ſe effuderit, ídq; perdiderit paucis ſuperſtitibus, notius eſt, quàm vt referam: & plura etiam diluuia in prouincijs conti-

giſſe ſeparatis temporibus, incoláſq; earũ regionum inundatos fuiſſe teſtis eſt hiſtoria vetus. Sed flãmis non terrenis, ſed etiam cœleſtibus partes quaſdam memorant exarſiſſe terrarũ, plurimóſq; mortales tũc conſumptos, & ſunt, qui id in Æthiopia ſub Phaëthonte Rege accidiſſe putent. Cogita terræ hiatus & tremores, quibus totæ cũ ſuis populis euertuntur vrbes: cogita animalia non ſolum magna, ſed etiam minuta, quorũ copia gentes nõnullas, non de ſuis ſolùm pulſas ſedibus atq; fugatas, verùm etiam quaſdam conſtat deletas: cogita peſtilentiæ vim, quomodo, vbi craſſatur, magnæ etiam vrbes ciuibus paruo ſpatio viduantur. Ergo gregatim contigit perire homines quoq;, atq; adeo populariter, vt ſic loquar, qua in re videtur durius ſe habuiſſe natura, quàm par erat ei, quæ ſe humani generis parentem haberi vellet: ſi quidem in munere vitæ habuit ſe reſtrictè, & in eius ablatione largè, ac penè prodigè: nam vnam tantùm ad naſcendum aperuit hominibus portam, eandémq; anguſtam, qua ſinguli educerentur. At ad moriendũ latas & multiplices patefecit feneſtras, adeo vt turmatim quoq; & occurrentibus vndiq; mortibus intereamus. Videbatur autem naturę magnificentiæ conueniens, vt omne mortis genus ab homine auerteret, ne datum vitæ munus non temporarium eſſet, ſed perpetuũ. Nam ſi decet conceſſum a principe beneficium manere, vt vos iuriſconſulti in veſtris ſcholis decantatis, quantò id magis naturam decuit? quę ipſorũ principum eſt princeps, & quæ illos etiam admonuit, ne datum a ſe munus reuocarent. Maximè autem prouidendũ erat, ne homines hominibus nocerent, ſed mutua inter ſe beneuolentia iungerentur, æqualis cunctorum eſſet bonitas: vel ſi hominũ alios malos, bonos alios fieri placeret, at bona bonis, mala malis euenirent: hoc ſi ſtatutũ fuiſſet, iudicant maiorem humanis in rebus futurã fuiſſe pulchritudinem, & elegantiorem vſum. Nunc quò res progrediatur quid dicam? quid enim fit malis? non viuunt? non lucem hauriunt? non illis tellus fontes? non fruges? non cubile miniſtrat? Satis contenti eſſe poſſemus, ſi communibus iſtis tantùm fruerentur: ſed adſunt illis maiora quædam: leuiculus ſanè ille, qui de amica deierante conqueritur,

Quàm longos habuit nondum iurata capillos,
Tam longos, poſtquam numina læſit, habet.
Pes erat exiguus, pedis eſt aptiſſima forma:
Longa decénſq; fuit, longa decénſq; manet.

Et reliqua. Item illud eiuſdem feſtiuum,

Pérq; ſuos illam nuper iuraſſe recordor,
Pérq; meos oculos, & doluere mei.

Mittamus hæc ridicularia, quum in talibus non ſit ridendum, ſed vides ipſe multorum florere improbitatem omni fœlicitate. Abundant auro, argento, purpura, ędificant magnificè, arant latiſſimè, paſcunt vberrimè: quid alia pompoſa, quibus adornantur? tituli, imagines, ſtatuæ, honores, imperia, magiſtratus, clientum cunei, amicorũ factiones, vulgi fauor, poëtarum rethorúmq; laudationes. Nec id ſatis: ſed, quos vix ferendũ erat ſic fœliciter agere abſq; aliorũ iniuria, hi bonis omnibus paupertatem, exilium, ignominiam, verbera, cruciatus, mortẽ denićq; innectunt. Interim pœna nlula, vel ſi qua venit, tardè venit, poſtquam ſcilicet plures ſui diſſimillimos oppreſſerint: ita vt ne pœnam quidem illi eſſe agnoſcant tam longè a ſceleribus diſtantem, ſed aduerſam fortu-

nam in-

nam incidiſſe ſibi cauſantur. ſed putent pœnam: quid audaciores illos ad peccandum facit, quàm hoc, quòd pœna in diem illis debetur, præſens autem fructus ſceleris decerpitur? quo fit, vt non modo ſeipſos non corrigant & emendent, deliquiſſéq; pœniteat, vt peiora etiam addant inuitati priorum ſucceſſibus: ipſis autem oppreſſis & afflictis quod ſolamen relinquitur? quos cõtingit prius mortem oppetere, quàm iniuriæ videant auctorem pœnas iam diu debitas pendere. Hinc illi, quum attolli malos videãt, bonos peſſundari, colligunt nullo ordine volui mũdi orbitam, ſed temere circunferri: quemadmodum nauem quiuis temere gubernari iudicaret, in qua imperitos & improbos gubernaculo, prudentes autem & bonos viros ſentinę pręfectos videret. Quorũ ego ſententiam num quiſpiam rectè vituperare queat, ſępius ambigo, ſiquidem exoptant ſibi adeſſe bona, & mala amoueri. Quis id nolit? noſti enim quantopere omnes, quod nocet, auerſentur & oderint, non ſic in eo, quod prodeſt, nam id amplexantur, amant, fouent, adaugent, quin id ſolũ dicunt eſſe ſuũ. Nam vel ipſi nautę, imperitiſſimũ hominum genus, nauem dicũt ferri vento ſuo, vbi proſper flatus incũbit nauigantibus, & artem quis ſuam inueniſſe dicitur, in qua proficit, & de qua honores & lucra conſequitur: quũ ad hæc impellat natura, vt altera fugiamus, altera proſequamur, cur tot fugiẽda immiſit? & aſſequẽdorũ anguſtiorem fecit copiam? & eo vſq; progreſſa eſt, vt fugienda bonis viris, aſſequẽda iniquis hominibus diſtribuat? nec id ſatis, ſed, tanquam delectaretur peſſimè agendo, iſtis in illos detulit principatũ. Adijce his & illud, quòd principum peccata ſæpius luunt populi, hinc illud

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui

Et alius poëta de principibus loquens inquit,

Humanum paucis viuit genus

Et profectò hoc arbitrantur principes, reliquos mortales in eorum gratiam creatos, nec diſcrepat euentus, nam vbi inter potẽtiſſimos duos exoritur diſſenſio cupiente vtroq; dominari, tunc planè videas vrbes & agros euaſtari, magnam innocentiũ multitudinem perire, quod eò horribilius videtur, quia ſæpius nihil intereſt populorum, vter e duobus imperet. Hæc ipſi laudare nequeunt, vel potius deteſtantur, nec mediocriter perturbantur. Da veniam, quòd ego quoq; per hæc eadem vadens veſtigia vultu etiam conturbor. Sed non modo exterius humanarũ rerum ſtatum, ſed intus in ipſo homine peruerſo ordine ferri arbitrantur, inſtituẽte ipſum peruerſe natura: idq;, quemadmodum ab illis demonſtratur, demoſtrandum quoq; mihi paucis puto. Animus (inquiunt) hominis, quo ſingula diſponuntur, non ſimplex eſt, ſed biformis, & compoſitus, diſtributúſq; in partes duas, in vna mens & ratio, in altera affectiones cupiditatéſq; verſantur. Si ad eum modũ fabricatus eſſet humanus animus, vt rationem ducentem & imperantem affectus noſtri facile & libenter ſequerentur, cuncta via & ordine progrederentur, nullus eſſet error præeunte ratione: nunquid ita factum eſt? minimè verò: nulla tranquillitas, imo perturbata omnia, quum in animũ humanum natura immiſerit cupiditatum turbam, tanquam in eandem ciuitatem plebem agreſtium & peruerſorũ hominum a patribus diſſentientem: habent enim motus contrarios inimicóſq; rationi, eſtq; earum vehementior impetus, adeo vt imbecillis ratio ferè in omnibus ſuperetur, niſi ante diſciplina, egregijſq; inſtitutis excolatur, monitiſq; ma

ſiorum natu corroboretur, vehemens hæc profectò accuſatio eſt naturæ, ſi rectè intelligis, quòd, quũ ordinis ſit, vt inſipiens pareat ſapienti, ideſt vt ducat videns non videntem, propterea debet ratio in homine præeſſe, appetitus obtemperare, non effecerit vt rationem, tanquam optimam vitæ ducem, appetitus ſponte ſequatur: ſed opponat ſe cæcutiens ille & amens, & ducere ipſe magis velit, exemplo ſerpentis illius, de quo dictũ eſt a te, cuius cauda ſeditione aduerſus caput cõmota ducem ſe fieri totius corporis cupiebat, quod quũ impetraſſet, intellexit poſtea dãno admonitus ſerpens, ſe caudæ conceſſiſſe quod concedere non debuit. Huic ſimile factum naturæ culpatur, quòd eam conceſſit vim appetitui, vt expers recti ſenſus totũ hominem frequẽtiſſimè regat, quam ſane vim ne ſerpentis quidem caudæ hæc eadem natura conceſſit: ſtultum enim videbatur concedere ducatum corporis ei parti, quæ omni ferè bono ſenſu carebat. Hoc, quod interius geritur in animis, vt deterior pars vincat meliorem, exterius inter homines geritur: nã mali bonos proterunt, quia iam intra ipſos praui affectus bonos vicerunt, & congruũ exiſtimant id in ciuitatibus publicè ſeruari, quod ſibi ipſis priuatim ſtatuerunt, quinimo id neceſſariò contingit. Non enim fieri poteſt, vt qui malis cupiditatibus animi ſui regnum conceſſerit, is in ciuili ſocietate iniquorꝫ hominum factionem eſſe nolit ſuperiorem, non alius erit foris quàm intus ſit, quia eędem cupiditates impellunt. Certè quũ e ſingulis conſtet multitudo, vbi ſinguli erunt mali, ſeu maior pars eorũ, multitudo bona eſſe non poteſt. Demum nulla mala eſſent in ciuitatibus, niſi prius eſſent in ſingulis hominibus, qui ſunt veluti elementa & ſeminaria ciuitatum. Malorũ igitur dominatum tenemus, iacentibus bonis, nullo ordine. Nam ſi ſtulti ſunt mali, ſapientes boni, ſuperior illa reuertitur oratio, ſtultos ſapientibus parere oportere, ſicut cæcos oculatis, quod minimè fit, quia plures mali, pauci boni, ideo hi opprimũtur, illi opprimunt, & ne id humanis arbitrijs imputes, tametſi poterat natura hæc ipſa arbitria frænare, vel ad meliora conuertere, vel meliora feciſſe, vt modò dictum eſt, videas in fortuitis, quibus nulla humana prouidentia moderatur, bonos pariter malóſqꝫ nullo diſcrimine iactari. Nam in naufragio, ruina, eluuione, incendio, ſi ſimul adſint ijſdem locorum finibus circuncluſi, vtriqꝫ pari calamitatis iure comprehenduntur: nec prodeſt alteris virtutem coluiſſe. In quo apparet maxima inæqualitas æquali animaduerſione aduerſus diſpares, vti legimus in vrbis Troianæ excidio illam miſerabilem complorationem,

> Quis cladem illius noctis? quis funera fando
> Explicet? aut poſſit lachrymis æquare labores?
> Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
> Plurima pérqꝫ vias ſternuntur inertia paſſim
> Corpora, pérqꝫ domos, & religioſa deorum
> Limina.

At iniuſti tantum ſternuntur: quid iniuſti? ſequitur enim,

> Cadit & Ripheus iuſtiſſimus vnus
> Qui fuit in Teucris, & ſeruantiſſimus æqui,
> Dijs aliter viſum.

Vides ne, vt iuſti iniuſtam necem poëta exaggerans dolenter Dijs ipſis aſcripſerit: nec ſemel id facit, aut vno ictu abſoluit, ſed mox, quaſi augens inuidiam in

diam in Deos, ſubiicit,

Nec te tua plurima Panthu

Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

Hæc ita diſpoſuiſſe naturam non admodũ laudabile videtur, vt iſti aſſerunt. Immo & nonnulli ex veteribus ſapientibus, quorꝫ plęricꝫ hanc improborum fœlicitatem, bonorũmcꝫ preſſuram ad deorũ referunt incuriam, qui humana negligerent, alij ob hoc ipſum nullos eſſe deos exiſtimauerunt. An non Diogenes Cynicus dicebat, Harpalum, qui tunc pyraticam fœliciter exercebat, contra Deos teſtimonium dicere? oſtendere volens hoc exemplo, aut Deos non eſſe, aut, ſi qui eſſent, nihil curare. Sed vt dij non tollantur, deorũcꝫ prouidentia, ſicut nec tolli poteſt, graue ſanè hoc inſtitutum humanarum rerum, quo mali fœlices, boni fiunt miſeri: contraria enim ſors melior: ergo non laudant hoc Callimachi. Aeſopus phrygius fabulator narrat quoddã, quod audiens delectere. Lignator (inquit) quidam, quũ penes fluuium ligna cæderet, & elapſa de manu in fluuiũ decidiſſet ſecuris, ſtans in fluminis ripa, affictabat ſe & lamentabatur, huic affuit Mercurius, & audita męroris cauſa opem pollicitus, demiſit ſe in fluuiũ, & ex e o auream extulit ſecurim. Et rogante illum Deo num hæc eſſet, quam amiſerat, reſpondente illo non eſſe hanc, rurſus ingreſſus fluuium tulit argenteam: illo necꝫ hanc ſuam eſſe dicente, tertio deſcendens ferream attulit: quam quum ille, vt propriam, agnouiſſet, delectatus hac animi eius æquitate Mercurius omnibus illis hominem donauit. Hæc vt geſta erant, quũ deinceps in amicorꝫ cætu renuntiaſſet: vnus eorum cogitauit ſimile facere lucrum, & accedens ad fluuium de induſtria ſecurim propriam in illum dimittens, mox lugebat. Apparuit igitur & illi Mercurius, & cauſa intellecta fletus dimittens ſimiliter ſe in fluuiũ, ſecurim extulit auream, & rogauit, an hanc amiſiſſet; quum lætus ille hanc verè ſuam eſſe diceret, cognita Deus hominis improbitate, nec illam dedit, nec ſuam illi reddidit. Hęc ſic audita demulcent mentes, quanuis ficta, quoniam ratio ſuadet fieri aliter non debuiſſe: conuenit enim Deo virtutem extollere, vitium deprimere: hoc quãtum oblectat animos, tantũ offendit contrarium. Conuerte mihi nunc fabulam, & finge Mercurium improbo illi omnia donaſſe, probo, autem illi viro ne ſuam quidem reddidiſſe bipennem, quid indecentius? quis obſecro ſuſtineat audire? Atqui magna ex parte humanæ res ita tractantur: nam tantũ abeſt, vt pauper probus aureis & argenteis donetur muneribus, vt ne ſuum quidem illi ſæpius, quanuis vile, relinquatur. Improbis autem dat Deus opulentiam, inde illud natum, Diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Sed ea etiam probitatis videtur eſſe conditio, vt eius cauſam deteriorem eſſe ſemper neceſſe ſit: nam & ſi probo viro nullus hominũ noceat: ipſe tamen probitatis ſtudio nocere ſibi cogitur, & quodammodo vim inferre. Vendat vir bonus inſalubrem domum, peſtilentem agrum, atcꝫ hæc vitia eſſe nemo præter ipſum ſciat: hæc vitia tamen, dum bonus eſſe vult, patefaciet in ipſa auctione, atcꝫ ita aut paruo vendet, aut omnino non vendet: nec deerunt quibus ſtultiſſimus eſſe videatur, quũ præconem pronuntiare iuſſerit, ſe inſalubrem domũ, peſtilentem agrum vendere: id enim illi faciendum, ſi boni viri nomen retinere vult. Idem ſi adulterinos nummos imprudens acceperit pro bonis, nolens quũ reſcierit alteri ſoluere, vides quid ex eo ſequatur. Si ſocietatem vnà contrahant

alicuius negotiationis vir probus & improbus, probus minus ſemper feret, tanquam tyro calidè a ſocio veteratore circunductus: quin etiam de iure ſuo in multis ſponte volet decedere, ne lites ſuſcipiat, & iudiciorum contentionibus inuoluatur: improbo autem res creſcet familiaris propterea, quòd plura ſubduxerit de communi, & in rem ſuam verterit. Imperet Reſpublica tributum, bonus ille vir confert plus iuſto, improbus aut nihil confert, aut paruo elabitur, aut etiam de eo, quod a cæteris confertur, aliquid ſurripit: contra ſi aliquid accipiendum de publico, bonus nihil, improbus plura domum refert. Gerant magiſtratum ambo, bonus non modo ex eo non lucratur, ſed etiam iactura afficitur, minus curans rem familiarem, occupatus publico munere, incurrit etiam ſæpius offenſiones propinquorũ & amicorum, dum, niſi quod æquũ ſit, a ſe quicquam patitur impetrari: improbo eueniunt contraria, quia tenues & moderatos homines expilat, & afferri ſibi dona, tanquam regi, poſtulat, diuitibus verò & potentibus obſequendo gratus redditur. Quòd ſi hæc parua videntnr, quæro quid vita poteſt eſſe maius? & tamen ſæpius caſus incidit, propter quem bonus vir honeſtatis ſtudio cogitur vitam amittere. Nam ſi ad bellum profectus, acie ſuorꝶ fuſa, omnibus in fugam verſis, nactus ſit ſaucium equo inſidentem, num illum deijciet de quadrupede, inſiliens ipſe, vt hoſtes inſequentes effugiat? non faciet æquitatem veritus, quæ id minimè ſuadet: ſic parcens alteri ipſe perit ab equitatu hoſtium comprehenſus. Eodem modo naufragio facto non eripiet alteri, quanuis imbecilliſſimo, tabulam, quam ille prior apprehenderat, vt ipſe conſcendat, eáqꝫ nixus euadat, non metu iudicij (quis enim ſit teſtis, quum medio mari res geratur) ſed quia iniuſtũ id arbitratur. Sic in omnibus æquitas mentis detrimentum affert habenti, & ad extremum lucis huius vſu ſpoliat. Quod conſiderantes multi iuſtitiam iam nihil aliud eſſe putant, quàm generoſam quandam ſtultitiam. Horum omniũ culpa ad naturam transfertur, quæ diſponere debuit, vt quicquid vtile, pariter id eſſet honeſtum: nnnc autem dum honeſtatem ab vtilitate diſtraxit, & hoc aliud eſſe ſtatuit, illud aliud efficit, vt probi viri ſtolidi eſſe videantur, quia perinde agunt, ac ſi ſibi ipſis vtilitatibúſqꝫ ſuis bellũ indixiſſent. Hinc etiam fit, vt in conſultationibus penes populũ, ſenatum, principem ſuperetur is, qui honeſtum defendit, ab eo, qui contrarium vtile eſſe aſtruat, & cum magna gloria ſummáqꝫ opinione prudentiæ improbus ille vtilitatis defenſor diſcedat: alter verò placere ſibi nimis poteſt, ſi tantummodo vincitur, ac non pro honeſto conſilio pœnas pendat. Refer parumper ab hac oratione mea animum in Regum aulas. an non ſummos illic videas eos, qui omnem pecuniæ viam norunt? qui noui vectigalis inſtituendi rationem cõmonſtrare poſſint? qui fœdera cenſent deſtitui oportere, modò aliquid regno adiici queat? hæc ſatis oſtendunt omnes opibus, potentia, emolumentis, quæſtúqꝫ duci, honeſtate etiam repugnante. Cur igitur honeſtas vlla inducta eſt vtilitati contraria, ſi eam in omnibus ferè cauſis vinci neceſſe eſſet? An vt defenſores ſuos inuidia odióqꝫ grauaret? multis calamitatibus premeret? euerteret? quid enim aliud Phocionem? quid Ariſtidem perdidit? quàm quòd ciuium ſuorum diſſimillimi probitate excellerent, improba conſilia accuſarent, honeſta ſuaderent. Quot Senatorii ordinis reperies olim iuſſu Cæſarum necatos propter vitæ integritatem, rectarum artium ſtudium, conſulendi libertatem? neceſſe

tem? neceſſe enim erat malis principibus inuiſos eſſe bonos ſenatores. Hoc igitur illos afflixit, quòd ab omni adulationis ſpecie procul aberant, & malle-bant iniuſta perpeti, quàm iuſta non dicere: quorũ ego virorũ propoſitum ſicut laudo, ita euentũ rei deteſtor. Apparet autem maiores ineſſe natura vtilitati illecebras, quàm honeſtati, quia hac reiecta illam plures ſequuntur: pauci enim boni æquiq́; ſtudioſi: quantum ſit in reliquis, nullus honos eſt honeſtati, ſed vtilitas præponderat. Nam ſi, quod dulce eſt in honeſtate, id latet, vel de longinquo cernitur: at vtilitatis in promptu eſt fructus, & iucũditas, nec aſpera vtilium rerum eſt facies, ſicut plerunq; ſolet eſſe honeſtatis, ſed blandula & illex. Ideo difficile eſt bene eligere, quia ad ſuauiora impellimur voluntate, non ad ſeueriora, quæ nihili eſſe ducimus, vel ea ad nos nequaquam, ſed ad philoſophos dũtaxat & monachos pertinere arbitramur. Et quia quod quiſq; appetit, id amat, & quod amat, pulchrũ quoq; iudicat, fit ea de cauſa, vt honeſtum eſſe putent, quòd vnuſquiſq; vtilitatibus voluptatibúſq; ſuis inſeruiat, quo quo modo poſſit, quaſi veriſſimum ſit illud poetæ,

Iuppiter eſſe pium ſtatuit, quodcunq; iuuaret.

Quemadmodũ enim in medicina, quodcunq; vtile eſt ſanandis & in ſanitate cuſtodiendis corporibus, id quoq; iuſtũ eſt fieri, hoc idem ſi in omni vitæ functione ſtatutum fuiſſet, non eſſet opus hac accuſatione aduerſus naturam, qua nunc vtor: maxima autem hominũ pars hanc ſibi legem ſtatuerunt. Quòd ſi nonnulli eorum iuſtitiam, temperantiam, & reliquas virtutes iactent, & habeant frequenter in ore, quid refert, quòd gaudeant ſermonibus illis, quum vita & moribus contrarias partes tueantur? Hos inſpiciens aliquis, laudabit magis Gallos Senones, vt ſimpliciores, & nihil callidè occultantes: nam quum ſuperatis alpibus ingenti manu Italiam petiuiſſent, & agrũ ſibi a Cluſinis dari peterent, quærentibus Romanorũ legatis, quid iuris Gallis eſſet in hetruria, aut quanam ratione agrũ ab antiquis poſſeſſoribus auferre vellent, ſe ius in armis ferre, & omnia virorũ eſſe fortium, clamauerunt. Et hi quidem (vt dixi) apertiores. Cautius tali in re virgilianus ille Æneas, qui quum ab Ilio in hanc eandem Italiam claſſe veniſſet, omnia agit, ne temere alienam regionem inuadere videretur, nam aduentum ſuum in fata, in ſortes, in Deorum oracula reijcit, deinde ſuppliciter poſtulat per legatos, & modeſtiſſimè

Dijs ſedem exiguam patrijs, littúſq; rogamus
Innocuum, & cunctis vndámq;, aurámq; patentem.

Honeſta oratio, ſed quia parum vtilis, exitũ habuit vtilitati magis, quàm honeſtati conuenientem, nam non aura, & vnda contentos fuiſſe Troianos, ſed eam partem Italiæ, in quam venerant, occupaſſe conſtat, accolis bello repulſis. Quòd ſi ius ſequerentur, id eis facere non licuiſſet: non enim in vacua venerant, ſed in ſedes iam a Laurentibus & Rutulis poſſeſſas. Ergo penes iſtos quoq;, vtilitas maiore in honore fuit, honeſtas ad verba vſq; proceſſit. Hæc ſequuntur illa, quòd non modo maiorem poteſtatem, ſed ne mediocribus quidem facultatibus inſtructum amicum audeat quiſpiam peccantem coarguere, & admonere officij, quoniam diſplicet veritas, & odioſa eſt, adulatio grata: veriſſimè nanq; Terentius,

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Cui concinit illud Agathonis Poëtæ: exprimam autem eius ſententiam latinè totidem

tine totidem verbis.

Si tibi vera dixero, haud placuero:
Sin placuero, haud tibi vera dixero.

Quamobrem rectè Antiſthenes, qui dixit de quibuſdam melius promereri inimicos, quàm amicos, quandoquidem hi tacent, vel aſſentantur: illi autem exprobrantes palam vitia, præbent anſam corrigendi ſe ipſos, ſi vera ſunt crimina, ſin autem falſa, cautius viuendi, & ſuſpitiones vitandi. Nullũ (inquies) tantũ malum, quod viri probi magno fortiq; animo non patiantur. At nemo id, quod patitur, amat, tametſi ipſam patientiam amet: nec patienter ferendo euadit nomen miſeri, ſed miſer eſt fortiter, non enim ideo miſer non eſt, quia eſſet miſerior, ſi miſeriam illam impatienter ſuſtineret, nunc ſuſtinet, ne opprimatur, ſed premi nollet: aſpera ſunt enim & inimica ſenſibus, quæ vocantur mala, ſiue ea corporis ſint, ſiue fortunæ: re enim, & non nomine tantùm ſunt mala. Hæc nemo (vt opinor) libenter ſubeat, niſi quòd nonnulli forſitan, qui erectiore ſunt animo, illud comicum ſequuntur neceſſariò,

Quoniam fieri non poteſt quod vis, id velis quod poſſis.

Hoc conſilium eſt, quod datur miſero, non quò euadat miſeriam, ſed ne ſit miſerior. Contrarium quilibet libentius audiret ſermonem: Quoniam fieri poteſt quod vis, noli id, quod velle non potes, hoc eſſet dicere, habes quod petis, nec coge animum id velle, quod velle refugit. Huc ſpectat illud etiam eiuſdem comici, quod tamen ante expreſſerat Plato.

Ita eſt vita hominum, quaſi quum ludas teſſeris:
Si, quod eſt maximè opus iactu, non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte vt corrigas.

Cogor quidem, vt dicis, arte corrigere, quoquo modo poſſum, ne ingraueſcat malum, ſed non mea ſponte id facio: nam mallem cecidiſſe forté quod maximè opus erat. Sicuti nauigantium quiſq; optat tranquillitatem maris, nemo autem aduerſam tempeſtatem deſiderat, quò gubernatoris artem experiatur, ac ne ipſe quidem gubernator expetit arti ſuæ eſſe locum, ſed mallet quietus ridente pelago ferri. Simile huic comico illud Cleantis,

Duc me parens celſiq; dominator poli
Quocunq; placuit, nulla parendi mora eſt,
Aſſum impiger: fac nolle, comitabor gemens,
Malúſq; patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata: nolentem trahunt.

Hæ ſunt voces non eripientium miſeriam, ſed oſtendentium, quomodo miſeriam feras aptius. Quemadmodum ſi ſeruo damnato ad verbera conſulat amicus, vt quũ vapulabit, dicat ſe libenter illa perpeti propter domini offenſionem, ne ſi tergiuerſetur contra pœnam, & in contumelioſa verba forſitan prorumpat erga dominum, longius vapulet & durius: iſte quidem non liberat a miſeria, ſed docet meliori conditione ferre: nec ſeruus id faciens amat verbera, ſed vehementer odit, quanuis æquo animo excipiat. Fortitudo prodeſt quidem non nodo ad minuendam animi ęgritudinem, ſed etiam corporis dolorem: vt enim onera contentis corporibus facilius feruntur, remiſſis opprimunt, ſic in animi valida inductione fit mitior, & langueſcit quadam ex parte dolor, eo autem remiſſo grauius incrudeſcit. Verũtamen ſanæ mentis homo

libera optione, & ſi impendentibus vndiq; tot malis cupiat fortitudinem animi ſibi paratam, nuſquam tamen velit eſſe neceſſariam. Quis enim ſponte ad ſe attrahat mala? quis deinde deligat periculoſè magis certare, quàm quieſcere, ſi vtrum vis liceat? Nam nō eſt tam perſpicax animi acies, vt videre poſſit quantum in ſeipſo ſit virium, quantum neruorū: plures, qui de ſe ſibi ipſis magna promiſerant, vbi ad rem ventū eſt, ſuccubuerunt victi doloribus & aſperitatibus rerū, & cæteris malis, quibus circunfuſi premebātur. Si qui autem ſunt, qui dolorem corporis pro nihilo habeant, & nihil referre dicant, doleant nec ne, hos quidem ex ſcientia, non ex ſententia loquutos exiſtimo: facile eſt enim verbis philoſophari. Competit in iſtos illud Laconis, cui quū oſtenderentur in tabula picti Atheniēſes multos iugulare Lacedæmonios, & quidam ex circunſtātibus diceret, Fortes Athenienſes: In tabula, inquit. Sic nonnulli magni ſunt contemptores dolorꝫ, quin ipſos iugulantes dolores, in verbis quidem & literis: qui vſq; eo intrarunt, vt dicant dolorem derideri quoq; poſſe propterea, quòd quidam eculeo impoſitus compertus ſit ſpeciem præbuiſſe ridentis. Magna certè animi firmitas, ſi proficiſcens aliquis ad ſupplicia, ſimilem habeat vultū atq; gradum, ac ſi ad epulas proficiſcatur: deinde membris omnibus diſtentus ita iocetur inter carnifices, ac ſi inter conuiuas bene potus accumbat. Non nego, ſed quò magis admirabilis hæc firmitas, eò minus credibilis, nec niſi rariſſimè diuino contingere poteſt munere. Sed horū narratores viderint ipſi, quid inter ſæuiſſima tormenta præſtare poſſint: non enim præcepta de veterū libris collecta, & pulchris contexta verbis oratio, tribuunt validum animi robur. Ego ſanè illud valde exopto, ne mihi vnquā vlla fiat deridendi dolorem copia: ſed, ſi deridendū eſt aliquid, illos potius derideamus, qui talia loquuntur, ſunt enim irriſione digniſſimi. Accuſatores autē iſti, quorum ſuſtineo perſonam, vel illud maximè obijciunt naturæ, quòd dolores immiſerit humanis corporibus minimè quidem contemnendos, ſed quos vix ferre, & quandoq; ne ferre quidem poſſint: hæc maximè conturbant, quia nullo ordine fieri videntur. Iam verò quis dignè ſatis conqueri & vociferari poſſit, quòd tantas ignorationis tenebras natura nobis circunfudit? nam nō æquè patere omnia vel illud indicat, quòd neceſſe eſt clariora eſſe quæ aſſumūtur probandi gratia, quàm id ipſum, quod probare volumus, quódq; elicimus concludendo: ſi quidem argumentatio id agit, vt ex cōceſſis auditorem perducat ad ea, quæ non concedit: ergo alteris magis, alteris parū lucis ineſſe videtur. Sed quid proficitur? nā ſæpius eſt in ipſis probationibus, quæ lucis gratia adhibentur, ſponte ſua ſqualor quidam, non paruáq; obſcuritas. Deinde, vt proficiſcantur ab euidentibus ad ea, quæ ſunt abdita, alius aliò iſta euidentia trahit, & ad aliud accedit: inde manifeſtum, diſcordiam, quæ dijudicari nequeat, paratam, quod ſanè indicat veram firmámq; cognitionem nullā eſſe, & rem, de qua ambigitur, minimè teneri. Quamobrem videmur obſcura obſcuris declarare non minus abſurdè, quàm ſi in tenebris videndi gratia lychnum extinctum inferamus. Philoſophi infiniti & olim fuerunt, & nnnc ſunt, quorum vnus e veteribus Democritus dixit denſiſſima caligine omnia circūfundi, veritatem in profundum eſſe demerſam, nihil liquidò teneri: plures alij in eādem ſententiā dixere, quibus venia danda eſt ita cenſentibus, poſtquam non aliorū tantùm, ſed ſuam quoq; ignorantiam detegunt non ſine quodam ingenuo rubore.

bore. Sed omiſſis teſtibus, ipſa rerum obſcuritas non obſcura eſt nobis, ſed apertè patet: conſulamus euentum: nihil enim ferè eorũ eſt, quæ ratione ſcrutamur, quin in contentionem veniat, ambiguitatémq; deducatur. Sed vel illud potiſſimum oſtendit non eſſe, vnde quiſquam argumentationi cuipiam poſſit tutò ſe concredere, quia multa iam probabilitate maxima fefellerũt. Scimus quod vna ætas magno conſenſu receperit, poſteriori ſeculo improbatum fuiſſe, & irriſione dignos habitos priores, quòd illa ſenſerint. Sic nihil eſt, quod quiſquam fidenter poſſit aſſeuerare, quia incertum eſt, an refelli valeat, vel ab eorum, qui nunc ſunt, quopiam, vel a poſteriore, qui propoſitum acutius teneat, vberioréq; affluat ingenij vena. Itaq; iam in prouerbium venit, Imperitia confidentiam, peritia timorem creat: cuius equidem prouerbij vim ſum ſæpius admiratus, quia contra videbatur dici debuiſſe, quòd imperitus timeret, peritus confideret: quid enim timet, ſi peritus eſt? Sed ita eſt profectò quòd is, quem periti nomine donamus, ipſe, an talis ſit, ignorat, & nemo de peritia ſua certus eſt: videt etiam in his, in quibus peritus creditur, contrariarum rationum momenta penè paria: itaq; fluctuans huc illuc opinione fertur, nec ſtabilem figit gradum, illud tantùm, videri ſibi, magis pronuntiat. Imperitus autem non perſpiciens quid contra altera ex parte diſputari poſſit, facilius quod libet aſſeuerat, & lapſum non veretur. Sed quoniam imperiti iudicio non venit deferendum, ſed periti potius, & quò quiſq; peritior, eò magis timeat, & in ipſo timore prodat dubitationem ſcientiæ ſuæ, quis naturam non incuſet, quæ certam non impoſuit rebus notam, qua verum a falſo diſtinguatur? quaſi delectetur diſputationibus, & implexis ſyllogiſmis, & opinionũ erroribus: quę etiam inuidiſſe videtur hominibus ſapientiæ qualemcunq; progreſſum, vitæ breuitate: nam quũ vſq; ad extremam ſenectutem inſudantes aliquid diſcere cœperint, tunc demum extinguuntur. Agimus nunc de mundo: quàm varia & inter ſe diſcrepantia ſenſerunt de eo hi, qui philoſophorum ſunt principes? alij aſſerentes vnum, alij innumerabiles: ipſum autem vnum alij ortum eſſe, alii initium non habere, alii interiturum, alii ſemper futurũ. Sunt qui illi rectorem præficiant ſempiternũ, neq; id ſine pugna & ſanguine (vt dicitur) ſed contendunt aduerſus plurimos, qui ipſum aſſerant domino & rectore carentem. Vt horum aliquid vincat cætera, tamen opus eſt litibus: quanquam neq; quid horũ vicerit conſtat, quia vnuſquiſq; ſua pertinaciter aſtruit & defendit. Similiter de humanis animis magna diſſenſio, quos alii mortales ſtatuebant, alij immortales: & qui immortales, alij reuolui in beſtias, alii nequaquã: qui verò mortales, alii interire mox poſt corpus, alii diutius viuere, ſed non ſemper. Nihil horum plus vno verum eſſe poteſt: attamen iſti mihi plura vera oſtendunt, & (quod difficultatem facit) vnuſquiſq; eorum argumenta colligebat, & diſciplinæ ſectatores inueniebat. Ignorabant veteres diſſenſione ſapientum ſuorum, quid de illis in morte futurum eſſet, quæ ſedes, quæue regio exciperet: demum ne hoc ipſum quidem, eſſent nec ne, ſciebant. Verebantur nonnulli feras perimere, ne forſitan in illis parentem, aut fratrem, aut alium neceſſarium occiderent, credentes animas de corpore in corpus migrare, & quaſi coloniam mutare: quæ ſententia, etſi in illis gentium tenebris natus eſſem, nunquam mihi placuiſſet: peregrinationis enim nunquam ſtudioſus fui. Ecce alia non minor rixa atq; diſſenſio, de pleno atq; inani, Pithagoras, & qui

illius

illius viri diſciplinā ſecuti ſunt, aſſeruerunt vacuum, &, vt id obtinerent, ratio-
nes varias collegerūt. Democritus idem ante cenſuit, Epicurus, & plures alij:
repugnat Ariſtoteles dicens omnia cōferta eſſe corporibus adeo, vt quà quid
que ceſſerit, aliud illico ſuccedat. Contrariæ ſententię: ſequar aliquem horum
neceſſe eſt: quem? Si ad rationes me refero, vtriq; afferunt probabiles: ſin au-
ctoritatem contemplor, omnes ſapientiæ ſunt profeſſores: nemo, qui poſt ſe
diſcipulorꝫ non trahat agmen: cur huic potius credam, quā illi? Si dicis Ariſto
telem aſſeuerare ſua eſſe veriſſima, & ſibi ſoli credendum, cōmune id eſt om-
nium: idem dicet Democritus, idem Epicurus: nullus eſt iſtorꝫ, qui ſe contem
nat, vel potius qui non cenſeat ſuas ſententias eſſe veluti quædam oracula ſa-
pientiæ. Quid igitur agemus? vtrum ſorte controuerſiam dirimemus, vt eius
ſit potior ſententia, cui ſors fauerit? vel num magis ad gratiam iudicabimus?
vtrunq; abſurdum, & eorꝫ, quę ratione exquiruntur, dominam facere fortunā,
& in iuditio veritatis gratiam quicquā habere momenti. Elige (inquies) quod
verius eſt: cū qui mihi id dicat, ludere putem, nec tamen video quid aliud dici
poſſit: vt enim de pictore, ſcalptore, fabro nemo poteſt, niſi artifex, iudicare:
ſic de ſapiente nemo rectè, niſi ſapiens, iudicauerit. Num ſapientia forſitan ſimi
lis eſt auro & argento? iſta enim penes alios videre poſſumus, vt ipſi nō habea
mus. Aliud in ſapientia, nam perſpici hæc nequit mentis acie: niſi enim intus in
mente ſit, forinſecus nō inſpicitur. Nō igitur, dū ſtultus ſum, ſapientiā video:
nā ſi viderem, haberē quoq;, nec ſtultus eſſem: quid fieri opus eſt? hoc ſcilicet
quod facio. Accedo ad hos, qui artifices mihi ſapientiæ videntur: nā ſapientes
vocantur: peto, vt ſapientiā mihi tradant, profiteor me rudē, imperitū, inſipien
tem, magnū mihi videtur rerꝫ cauſas & abdita naturę cognoſcere, hęc vt teneā,
venio. Hic alius aliò me trahit, nō vna eſt ſentētia, diſſident, clamāt, pręliātur,
& dicitur mihi, Elige vtrū horꝫ verius: hoc eſt dicere, elige penes quē iſtorꝫ ſit
ſapientia: at ſapientiā non nouit inſipiens, ego inſipientū ſum vnus: quò me vo
cas? explica id quæſo qūo poſſum ferre ſententiā de ſapientū iudicijs ego, qui
ſum rudis & imperitus? ſi enim ſapiēs eſſem, philoſophia nō egerē, nūc ſtudeo
ſcire quæ ignoro, & verū a ſapientibus exquiro, nō autem illorꝫ iudex eſſe de-
beo & magiſter. Sin autē ipſi inter ſe diſceptant, et digladiantur, diuerſáq; de-
fendunt, mihi iam illud Demiphontis Terētiani venit in ore, qui quū retuliſſet
neſcio qd ad amicos, illi autē cōtrarias oſtendiſſent ſententias, Feciſtis (inquit)
probè, incertior ſum multo, q̃ dudū. Tantū verò abeſt, vt ignorātiā mihi aufe
rant, vt in eā maximè conijciant: nā quę antea ſciebam, nūc neſcio. In hoc profi
cit cōtentio, vt nō habeam quò me vertā. Vnius iudiciū infirmum: at multorꝫ
ſe inuicem oppugnantium infirmius, quia ne vt vnius quidē iudiciū, ſed vt nul
lius habendū. Quid igitur opus eſt facere ſumptum, laborem operámq; in-
terponere, ſi nihil horꝫ explicari poteſt? Etenim quū inter ipſos ſapientes ni-
hil conueniat, ſed aliud alij videatur, hæc diſcordia ſatis arguit naturales cau-
ſas eſſe imperceptibiles: nam in eo, quod ſcientia apprehenditur, concordant
ſcientes, nullo errore, nulla inconſtantia, aut varietate: veluti ſi qui ſciant ſcri-
bere, conſtabit inter hos, quomodo nomen meum vel tuum ſcribendum ſit.
Similiter de numero & pondere quarundam rerū, de longitudine et breuitate
eorundem mirificè artifices conſentiunt, quia illis hæc ſtabili & certo demon-
ſtrationis genere ſunt tradita, ita vt contradici non poſſit. At in naturaliū rerū
veſtigatione plena diſſenſionum omnia, quia opinandum eſt tunc, & quaſi di-

uinandum, nec reperietur quiſquam e tãto numero perfectè illa expediens & dilucidè. Quemadmodum ſi quis de longinquo contemplatus ſitum magnificæ, & illuſtris ciuitatis, non poſſet deinceps exactè dicere quidquã de ciuibus illius vrbis, de legibus, de magiſtratibus, de plateis, de vijs, portu, fluminibus, tectis, delubris: ſic iſti, quũ ſatis perſpexerint cœlum, terram, mare, quaſi extremitatem, & mundi mœnia, non ideo fit, vt quę in ſingulis fiant partibus exponere valeant, ab humanis ſenſibus tam procul poſita. Quæritur vtrũ ſidera cœlo inhæreãt, vel libero curſu per illud ferãtur, quis ſubuolauit illuc mortalium, vt huc renũtiare nobis potuerit? Poſſumus ne aperire terram? vt videamus quãta eius craſſitudo, vtrũ in ſe ipſa ſubſideat, quaſi in ſuiſmet fundamentis, an media pendeat, paribus librata ponderibus. At veriſimilius hoc, quàm illud: placet igitur tãtas res veriſimilibus, & quaſi ſuſpitionibus iudicare? hoc vos Iuriſconſulti probabitis, qui in iudicialibus cauſis certam probationẽ requiritis, dubiam ambiguámq; excluditis? Nam ſi duo inuenti ſint in loco, vbi cædes facta ſit hominis, alter autem eoꝝ auarus ſit, & ad eum magnũ emolumentum de occiſi morte peruenturũ, veriſimilius ſit hunc potius, quàm alterũ cædem feciſſe, & tamen audeat nemo illum, vt homicidam, damnare, nec hanc illi conditionem offerre, vt occiſor habeatur, niſi occiſorem oſtenderit: adeo dubia coniectura nitendũ non eſſe iudicatur. Rurſus redeo ad illum, qui contemplatus tantũ ſitum & mœnia ciuitatis audet dicere, qui populus illic habitet, quibus legibus & moribus regatur, quæ ędificiorũ ratio, quæ vrbis deſcriptio, non quia ipſe viderit, ſed quia ſit veriſimile ſic illa haberi. Si opponat ſe huic alius vocans inſanum, cõtendátq; diuerſo modo fieri illic omnia, negans ſe pariter vidiſſe, ſed ſua eſſe veriſimiliora, hos audiens duos quid faciat? poteſt fieri, vt alter verũ dixerit, poteſt fieri, vt neuter: attamen nec veritas liquidò oſtendi, nec mendaciũ detegi poteſt. Damnabit igitur vtrunq; dementiæ, quia de ignota re tantis agant contentionibus, vnoquoq; eorũ, quodcunq; viſum eſt, pro ingenij captu effingente. Par eſt iſtorũ ratio, qui diſceptant de rebus ignotiſſimis ad mundũ ſpectantibus. Platonici, & eos ſequuti ſtoici auctore Empedocle aiunt ſolem, lunam, reliqua aſtra ex igne conſtare, quod oſtendit & circunfuſa luciditas, & aſſidua mobilitas, & loci, quẽ incolunt, ſublimitas, & feruentiſſima caliditas nõ tepefaciens modò, ſed exurens quoq; inferiora. Hæc propria ſunt ignis, quibus quũ illa abundent, ignea vt ſint dicendũ, & quod his cõſequens eſt, vt alantur aquis alia dulcibus, alia marinis, quòd ignis permanere nõ poſſit ſine paſtu. Idq; præterea colligunt ex maculis ſiderũ, quia orbe dimidio nonnunquã maculoſa cernantur, maculas enim nihil aliud eſſe, quã terræ raptas cũ humore ſordes: & hanc cauſam aſſerunt eſſe, quòd ſub zona cœli peruſta, qua ſolis et aliorũ errantiũ ſiderũ fertur orbita, natura oceanũ diffuderit, vt illic ſuppoſitũ hauriant alimentũ: eadémq; ratione fieri, vt ſe ſol referat, nec lõgius progrediatur ſolſtitiali orbe, ne diſcedat a cibo. Idq; tu pariter ſequutus es, quia id cauſæ, quã ſuſceperas, proderat, dum cœleſtia, terrenis iungis, vnóq; aſſeris cõplexu teneri. Hęc illi, qui neſcio an ab Ægypti hoc ſumpſerint ſacerdotibus: illi enim, vt plęraq;, ita hoc obſcuris ſubindicabãt ſermonibus, aſſerentes ſolem & lunã non curru, ſed nauigio circũuehi, quaſi egeant humido elemento. Idq; dogma ſequutum ſe oſtendit Virgilius illo carmine, Conuexa polus dũ ſidera paſcet. Ex hoc autẽ, quòd terrę, maris, & aquarũ vaporibus alantur ſidera, euenturum ijdẽ putant philoſophi, vt ſtellis aſſiduè hãc

pabuli copiam ducentibus & ad ſe trahentibus , omnis aliquādo exhauriatur humor,atq; ita ad extremum totus igneſcat & deflagret mundus,qui deinceps renouabitur ab ipſo Deo cum pari aut etiā meliori ornatu,quod ſanè nō multum diſcrepat ab his,quæ fidei noſtrę myſterijs continentur. At Peripatetici, qui nunc ſoli ſcholas occupant,hæc irriſerint:dicant ſe nihil horū ſcire nec credere:immo cōtraria eſſe veriora:nō enim corpora cœleſtia eſſe ex his quatuor elementis cōpacta,ſed ex quinto quodā genere,quod incorruptū ſit & immutabile. Itaq; nō augeri illa,aut imminui,aut omnino vllam perpeti mutationē: eſſe enim ſimplicia corpora,nec habere aduerſarium aliquid,cōtra quod repugnent,ſed tuta & bene firma manere conditione naturæ:vtq; propter leuitatē non efferuntur,nec ſubſident propter grauitatē,ſed circumagūtur motu quodam ſuo,ita frigoris,caloris,ſiccitatis,humoris eſſe expertia:quę vi tamen ſua & poteſtate queunt concitare,& reliquis impertiri. Hinc vehementer errare iſtos,qui ipſa ſidera inducunt natura ſua flagrantia & feruida, argumētis ductos luminis & caloris,quū calor nō ſit illis proprius,ſed excitetur in ſubiectā aëris regionem vehemēti illorū motu:poteſt autē motus ligna,lapides,ferrum inflāmare,quantò magis aërē. Nec quòd ſint lucida cōtinuò fieri,vt ſint ignea, niſi putrefactam quercum,eò quòd luceat,ignem volumus exiſtimare. Quāta porrò indignitas illa timere,ne nobiliſſima illa corpora,veluti animalia terreſtria,ob præcordiorum ſiccitatē ſiti premantur, humidóq; pabulo expetāt ſaturari? Quid deinde tā abſurdum,quā putare,quòd,quum cœleſtes globi vitam,motum,fœcunditatē,progreſſum his tribuant inferioribus,ipſi egeant inferiorum præſidio ad ſalutis ſuæ tutelā? Et hæc quidem & alia his conſentanea aſtruent Peripatetici,quorū dictis nō cedēt aduerſarij,ſed reſpōdeant ſua tuentes. Demū nec illi iurare poſſent rem ita ſe habere,nec iſti:ſed vtriq; opinari ſe dicent,ideſt peccare poſſe fatebuntur,eſt enim opinatio incerti:Nā quicūque exiſtimauerit rem ita ſe habere,quæ tamē aliter habere ſe poteſt,is opinari dicitur. Scientiam autē dicimus eſſe de his, quæ ita ſe neceſſariò habere,nec aliter habere ſe poſſe oſtenduntur. Hanc igitur diſciplinam quiſquā vocabit, aut putet eſſe vllam,in qua incerta ſunt omnia,vnū illud eſt certū nihil eſſe certi? Iam a ſtellis diſcedo,imo nondū diſcedo,nā de eiſdem quęritur quoq;,vtrū ſuo fulgeant lumine,an id a Sole cū Luna pariter mutuentur. Magna inter auctores diſceptatio,variæ hinc atq; hinc coniecturæ afferuntur ita , vt ex vtraq; parte naſcatur opinio,non ſcientia,quia (vt dixi) coniecturis agunt. Quòd ſi vlla certa huius rei eſſet demonſtratio,nōne cuncti poſitis armis in eandē ſententiam cōueniſſent? Quid illa,quæ totius vitę rationē amplectuntur,quibus agitur de bonorū & malorū finibus,num magis certa? Nam ſi qua in re decet homines parere ſapiētum monitis,hic maxime oportet, vbi agitur,quomodo melius viuamus & tutius,eadem ratione ſapientes inter ſe magis cōuenire & certius aliquid proferre oporteret. Ego,vt antea dixi (volo enim potius hac in re me,quā alium,in medium adducere,nec ſanè refert, cuius perſona inducatur) Ego igitur profiteor me rudem,inſipientem,peto hos ſapientiæ nomine inſignes viros:decreui illos cūctis in rebus ſequi,nec exorbitare ab his,quæ mihi præſcripſerint gerenda,nolo inquam dominus eſſe actionum mearum, ſed in cunctis ad vos reſpiciens o virorum optimi cupio fieri inſtrumentum miniſteriúmq; ſapientum. Quæro igitur quo conſilio vitam inſtituam, quæ

ſit ſumma rerum gerendarum, ad quam reliquas actiones referre oporteat. Quid ſit? quod conſilium datis? non vna omnium eſt ſententia, quaſi non vna ſit ſapientia, vel ſi vna ſit, ſibi ipſi diuerſa & aduerſa ſtatuat. Hic mihi virtutem, alius voluptatem proponit, ille non dolere melius omnibus exiſtimat. Quid firmam corporis valetudinem, quid diuitias, quo loco habetis? vna iſtorum caterua in bonis hæc numerat, altera nullam in partem referre cenſet vtrum valeat aliquis corpore, an non valeat, pauper an diues ſit, ſemper beatum fore ſapientem, neq; his detractis beatitudinem minui, neq; additis augeri. Exoritur tertium ſapientum genus, qui hæc, ſi detur optio, ſumenda dicant, ſed non appetenda, quaſi theſaurum in agro altè reconditum nolint effodere arrepto ligone, in via iacentem ſi videant, non grauentur auferre. Hæc inter eos magnis agitantur prælijs, ſummis contentionibus, immenſis voluminibus, non deeſt rationum & argumentorũ copia, quibus vnum quodque agmen ſuam tueatur ſententiam, ita vt qui audiat, huc illuc animo feratur, modò hoc, modò illud vero proximum cenſet. Illa etiam quæſtio venit in medium, vtrum ſapienti adminiſtranda reſpublica, & gerendi magiſtratus: iſti dicunt accedendum eſſe, illi contradicunt. Sed vt vincat ſententia adhortantium rempublicam capeſſere, incidit deinceps aliud, quod magnam poſtulat deliberationem, quomodo tractandæ ſint ciuium voluntates, vtrum manendum ſemper in eiſdem ſententijs, vel deflectendum aliquando a ſummo illo iure, & concedendum aliquid populi cupiditati, nam & aſſentari turpe eſt, rurſus fruſtra reniti, & contendere, leuitatis videtur. Magnns nodus: hic ego fluctuo, hæſito, quo me vtar neſcio: moueor enim rationibus, quæ vtrinque adducuntur, & ſapientum auctoritatibus, quas video interſe contrarias. Quòd ſi in his, quæ quotidie ſunt in manibns, tanta eſt diſſenſio, quid futurum in obſcurioribus, & a cognitione noſtra remotioribus? Redeo iterum ad indaginem naturalium cauſarum, nam hoc non modo philoſophicum eſt, ſed etiam poëticum.

Fœlix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Cupio igitur ſcire rerũ principia. Principium autem voco, quod ante ſe aliud non inuenit, vtinam tam facilis eſſet reſponſio, quàm interrogatio. Quãquã me forſitan corripuerint hi, qui vel aërem, vel aquam, vel ignem, vt principiũ poſuere, quaſi interrogauerim de pluribus principijs, quum plus vno non ſit: contra quos inſurgent alij, qui hos dicent cæcutire, non enim eſſe illa, quæ nominauerunt principia, ſed elementa: principia nanq; eſſe Deum, materiam, idæam, ita enim Platonici aſtruuut. At Peripatetici motum, materiam, priuationem habent in principiis. Pythagoras numeros, & eorũ ſymmetrias, atq; harmonias. Epicurus indiuidua quędã corpuſcula per inane volitantia. Anaximander Mileſius infinitatẽ. Anaxagoras clazomenius ſimilitudinem partiũ & mentem. Demũ occurrit illud comici, quot capita, tot ſententiæ, quorũ nullus ſectatores inueniſſet ſententiæ ſuæ, niſi eam veriſimili ratione defenderet. Has tãtas audiens varietates, vt magno plæclaróq; ſit ingenio, quomodo ſcire poterit liquidò, quis horũ veriora dixerit? finiré ne audebit, & verè finitam putabit controuerſiam tantam, quam tot numero ſapientes, tot ſeculis, tanta inquiſitione finire non potuerunt? ſed ſit impudentior aliquis, qui tanquã legiſlator nulla ratione reddita ſtatuat vnum iſtorũ eſſe retinendũ reiectis cæteris,

quid

quid proficiet? nam ſic agens contemnetur ab omnibus. Ego verò, ſi amicus fuerit, quæram ab eo, cur vnius rationes prætulerit cæteris, quóue ſigno commotus. Nam ſi vllum eſt ſignum, clarum eſſe debet, manifeſtum, perſpicuum, non ambiguum, non obſcurũ, non tenebroſum: ſed nihil tale dignoſcitur, nemo enim diuerſa ſequutus eſſet. Magna inquiſitio fit de leui, atq; graui, quid ſit vtrunq;, quæue natura ipſorum, & vnde hanc habeant potentiam: diuerſi diuerſa ſentiunt. Hic iure ambigam. quid faciam? aſſenſero Ariſtoteli? at Platoni repugnabo: hunc ſequar? at diſcedam a Democrito, & veteribus alijs plæriſq;, quorum magna ſunt in philoſophia nomina. Argumenta autem ea affert vnuſquiſq; pro ſua ſententia tàm apta, & tam ad rem accedentia, vt difficillimum ſit, quænam earũ palmam obtinere debeat, iudicare: vbi enim auctores auctoribus, argumenta argumentis tam acriter aduerſantur, quid fieri poteſt, niſi vt pronuntiet auditor, ſibi non liquere? Et cæteris quidem in rebus, quæ philoſophorum ingeniis diſcutiuntur, mihi contingit dubitare; in hac autẽ re captus mihi quoq; fuiſſe videor, nã antea q̃d leue eſſet, quid graue, putabam me liquidò ſcire, quãdoquidem hoc ipſum me cognoſcere arbitrabar raritate vel denſitate corporũ, demum & pondere: nunc autem lectis iſtorũ diſputationibus, ſi quis idem me roget, fatebor me prorſus ignorare. Iam verò de motu, déq; his, quæ ſequuntur motum, loco ſcilicet & tempore, ſcis ipſe quantæ diſſenſiones, & quã nihil inter eos conueniat. Non itur de his quæſtionibus ad arbitrum, qui litem componat, ſed bellum geritur irrequietũ. Magna hæc, vel maxima potius: intereſſet vitæ etiam leuioribus in rebus habere certum aliquid, quod ſequeremur. Sumpto cibo vtrum ambulandũ vel quieſcendum? alterum ex his faciendum, nec quid ſit illud ſatis conſtat diſſenſione ſapientum, nam aliud alij magis probatur, vtrunq; factum ſuos habet auctores, nec auctor vllus ſine ratione. Quæritur quæ aquæ corpori magis ſalubres ſint potæ: hic mirifica diſſenſio, dicit vnus aquam pluuiam cęteris meliorem, & cur ita ſibi videatur, non tacet: ſurgit mox alius, qui hunc reiicit, & eam, quæ ex fluuio eſt, probat, tanquam curſu percuſſúq; ſuo magis attenuatam: vtrunq; horum contemnit tertius, & e puteis hauſtam ſalubriorem affirmat: ſic ignoratur, quæ ſit potui aqua magis probabilis propter auctoritatum opinionúmq; pugnam. Non male dixit quidam inter duo monoſyllaba vitam hominũ iactari atq; rotari EST, & NON. Non minus hæc vexant, quã duo illa vocabula, Meum, & Tuum, quæ de ſua Rep. conatus eſt Plato auferre, nec abſtulit tamen, quia effici non poterat, quin quiſq; proprium haberet corpus, priuatos ſenſus: ſic fieri non poteſt, quin ſuam quiſq; habeat ſententiam, & neſcio quomodo quilibet magis eo delectatur, quod ſibi ipſi intus depinxit, nec tamen magni ingenii vir aliquid vnquam in pingendo niſi probabile ſequutus, nec tunc id certũ, quia alii diſſentirent, diuerſam ab his picturam alio probabili nixam proferentes. Sæpe mihi venit in mentem in tantis rerũ tenebris & opinionum ambagibus voto opus eſſe, vt verum inueniatur. Sed quid proderit votum? quũ ſi forte fortuna etiam in verum inciderimus, tamen tale ipſum eſſe neſcimus: adeo multa cõturbant, quæ ſe potius vera videri volunt: quinimo ſi ad vaten retuleris, cui maximè fidem habeas, quaſi in huiuſmodi rebus neceſſaria ſit diuinatio, iſq; inſpecto auium volatu, vel pecudis iecore, ſicuti priſcis vatibus moris erat, tutò reſpondere poſſit e multis illud eſſe verũ,

non ideo tamen magis ſcies, quomodo illud ita ſe habeat, quáq; ratione verum ſit, quod vnum efficit ſcientiam. Etenim haberes te tunc perinde, ac ſi oculis captus rectam ingrediaris ſemitam, nã tum quidem non errares rectè ingrediens, hic tamen rectus ingreſſus tibi certus eſſe non poſſet, nec alterum, qui argueret tanquam errantem, refellere valeres. Extat pulcherrimus Plutarchi libellus De primo frigore. Primum vocat frigus origine, cauſa, potentia, ea in diſputatione primò aëri, deinde aquæ, tertiò terræ frigoris tribuit principatum tam validis argumentis pro vno quoq; eorũ pugnans, & tam paribus confligens copiis, vt mediis in armis hucillue victoria oberret. Quamobrem in libri clauſula Phauorino recentioris academiæ philoſopho, ad quem ſcribit, inquit, Poſtquam quæ dicta ſunt veri ſimilitudine conſtant omnia, neq; aliud alii ſupereminet, ne eorum quidquam inducat opinari, ſed exiſtimet in obſcuris magis eſſe philoſophi ſuſpendere ſententiam, quàm pro certo aliquid cõprobare. Sic ille vir erudititiſſimus in re tanta fluctuat: habuit vnum, quod fugeret, videlicet ignem non eſſe frigoris principium, e reliquis verò tribus cui id munus tribueret, & quem huius rei oſtenderet principem, non habuit: poterat dicere cum Pelignο poëta, ſi latinè noſcet.

Vt ſtat, & incertus quà ſit ſibi neſcit eundum,
Quum videt ex omni parte viator iter:
Sic, quia poſſe datur diuerſas reddere cauſas,
Quò ferar ignoro, copiáq; ipſa nocet.

Tanta autem videtur eſſe vicinitas verorũ atq; falſorũ, & tam ambiguus conſpectus, vt vir quiſpiam callido verſatóq; natus ingenio, idem dicendi exercitatione pollens, poſſit quodlibet auditoribus ſuadere, quod præſtitiſſe præcipuè academicum ferunt Carneadem, qui contra quodcunq; dicebatur, opponebat ſe, & contrariũ defendebat rationibus variis allatis, inſurgens mirificè contra aduerſarios, quorũ argumenta non concedebat, ſed eorũ alia depellebat, alia ſuccidebat, alia ſupplantabat: demũ populabatur & euertebat omnia, modò furis, modò latronis more, ſæpe etiam per iuſtam pugnam, ita vt ex omni cõtentione ſuperior diſcederet: nec vulgares modò homines, verùm etiam paratos præmeditatóſq; multũ fluens ipſe in dicendo obruebat. Hunc virum publicè legatũ ab Athenienſibus Romam miſſum vna cum Diodoro ſtoico, & Critolao peripatetico, quũ audiuiſſet diſputantem Cato contra iuſtitiam & ciuilem ſtatum, cenſuit ſtatim legatos ab vrbe dimittendos, quoniã illo viro argumentante verum a falſo haud facile diſcerni poſſet. Magna olim eloquentia Vlyſſes inter heroës fuiſſe perhibetur: itaq; in armorum iudicio Aiacem ſuperauit, verùm turpi iniquáq; victoria: vt enim Vlyſſis merita in vniuerſum græcorũ exercitum eſſent maiora, arma tamen concedenda erant forti viro, qui cominus pugnabat, hoſtémq; ferro premebat, non ei, qui furtis tantũ, & calliditate rem gerebat, ſed linguę valuit acumen, fluxus, volubilitas,

Et quid facundia poſſet
Tunc patuit, fortiſq; viri tulit arma diſertus.

Sunt autem quidam, qui nomine & gloria alicuius philoſophi capti omnia illi concedunt, abſurdè: non enim decet ad perſonam reſpicere, vbi veritas rerũ exquiritur: nullus enim hominũ, quamuis excellens, poteſt fabricare res ſermone, ſatis habet eas oſtendere: ſi ſint, eſſe illas oportet, dici tantũmodo nihil

prodeſt. Non igitur quid hic vel ille dixerit, ſed quod in re ſit, conſiderandū venit: atq; ita fieri oportere (vt nihil ipſe loquar) euentu monemur, qui ſtultorum dicitur eſſe magiſter, propterea quòd ſummos plærosq; viros in nõnullis fœdè lapſos haud ambigitur. Quis philoſophorum illuſtrior Pythagora fuit? cuius diſciplina celebratior? quæ in ea Italiæ parte, quę magna olim Grę cia dicta eſt, latè floruit: attamen hominum animas credidit poſt mortem migrare in beluarum corpora, & de beluarū corporibus in humana, vt ante dixi, rem abſurdam atq; ridiculam commentus. Potuit a feris magnam id ſentiens inire gratiam, ſi modò intelligerent, & eò magis, quòd ab illis vngues & dentes continuit: homines verò cur ſequerentur? Illud eos mouebat, quia ipſe dixit, ipſe autem erat Pythagoras. Vides quàm noxium ſit & peſtiferum non exquiſita rei ratione homini ſe committere, qui, quanuis excellat ingenio, conſiſtit tamen vt homo in lubrico, & turpiſſimè labi poteſt. Meliſſus quicquid eſſet in mundo, vnum eſſe ſtatuit, & tantarum rerum multitudinem ſententia ſua ſuſtulit, numerare non nouerat, nec curabat, & Arithmeticos omnes contemnebat, & forſitan ſe plures habere digitos & dentes non ſentiebat. Miror autem iſtum non cõſideraſſe, ſi omnia corpora vnū quid eſſent, ſicuti volebat, fore omniū vnum naturalem motum: at inter elementa alia ſurſum, alia deorſum ferri, & cœlum diuerſo ab his motu circunuolui videmus. Quomodo etiam non vidit, ſi vnū omnia eſſent, quòd idem eſſet bonum & malum, idem homo & equus, canis & non canis; eadémq; in ratione ignis & glacies verſaretur, quod vix quiſpiam inſanus ſentiret. Sed quid dico omnia, quæ vniuerſitas habet, non eſſe vnū, quum ne homo quidem, qui particula eſt ipſius vniuerſi, vnum quid ſit: nam ſi vnū eſſet nunquam (vt ait Hippocrates) doleret, vel ſi doleret, vnicū illud eſſet, quo ſanaretur. Sed nõ modo homines & reliqua animantia, verùm etiā inanima cuncta nullis præmerentur aduerſis, ſi vera Meliſſus diceret. Nam quū omnia vnum eſſent, non mutarentur: non enim eſſet aliud, in quod fieret immutatio: at omne immutabile non patitur, nec pati poteſt, quod autem pati nõ poteſt, huic nihil contingere poteſt aduerſi: at rebus ipſis multa contingunt aduerſa, falſa igitur ea ſententia, quæ prædicat omnia vnum eſſe. Mihi quidē videtur, credo item tibi, & his omnibus, partes mundi innumeras eſſe, varias, & longè inter ſe diuerſas, propterea mundum dicimus non ſimpliciter vnū, ſed e pluribus vnum, ſicut e pluribus partibus conficitur vnum, ergo multitudinem de mundo auferens, mirum quòd potuerit oculos & cor habere, & illa dicere. At huc confugiebat, vt diceret non eſſe illa multa, ſed videri: quod ſi obtineret, quid reſponderet ei, qui ijſdem inſiſtens veſtigijs poneret ne mundū quidem eſſe vllum, ſed videri. Fuit ijſdem penè tēporibus Prothagoras opinione ſapientię celebris, qui res ipſas nihil dixit eſſe per ſe, ſed tale vnū quodq;, quale cuiq; videretur. Nemo iam credit, non eſt opus modò philoſophum audire ad iſta refellenda: cui enim non ſuccurrit, ſi quod Prothagoras voluit, veritate niteretur, omnis ſtultitia ſublata eſſet: omnes eſſent ſapientes in illis etiā artibus, quas antea nõ didiciſſent, & in ipſa ſapientia æqualitas admirabilis, quia alter alteri non præſtaret, quæ ſi abſurda ſunt dictu, ſequitur falſa eſſe illa, e quibus hæc ſumpta ſunt. Vtrum maior impudentia eorum, qui hæc protulerunt? an patientia illorū temporum, quibus homines talia audire potuerunt? Primum quidem illud eſt, ſcire id quod inquirimus: pro-

ximum cauere, ne in aliquod falſum eatur: præſtat enim ignorare, quàm errare: nam quantò ignorans deterior ſciente, tantò melior errante. Iſti ergo, qui tam fœdè errarunt, non ſcientibus modò, ſed etiam ignorantibus deteriores fuere: & ferri id poſſet, ſi vnus tantùm, aut alter erraſſet: plures ſunt. Xenophanes non ignobilis philoſophus, quē in plurimis Parmenides & Zeno ſequuti ſunt, a quibus Eretriaci philoſophi defluxerūt, habitari dixit concauum lunę ſinum, eámque eſſe terràm multarū vrbium & gentium: portenta videntur, attamen a philoſopho dicta & retenta. At non hoc contentus aiebat eandem illic homines vitam incolere, quā hic nos, & omnia eſſe paria, veritus ne, ſi quid deeſſet, eſſent miſeri, & veluti in inſulam quandam deportati viderentur. Ergo habent fontes, flumina, maria, oceanum, inſulas, ſyluas, rupes, omnis generis animantia, ſolem, qui illis in die luceat, & quod plus eſt, quanuis luna incluſi, aliam habent lunam, quæ nocturnum illis lumen exhibet, ſicuti hæc nobis. Si hæc ita ſunt, quæ conditio eſt noſtra? quomodo irridebimus lunaticos homines? an non hæc terrarū ſedes, quam incolimus, alterius inferioris terræ luna eſſe poteſt? Illud etiam admiror, ſi luna ſuos habet populos, cur non etiam ſidera? ſunt enim magnitudine immenſa: cur non quoque ſol ipſe? cur tanta fraudatur gloria, qui princeps eſt omniū cœli luminum? an indignus ille? credo propter Phaëthontis incendium: nimium fuiſſet hæc fingere. Itaque quis Poëtarum talia vnquam dixerit requiro? nullus inuenietur, tametſi illi ſuo iure ſumunt poteſtatem ſibi quodlibet mentiendi. At iſte mentiri nolens mendaciū tamen dixit, quod etſi in bonū virum cadit, non tamen in ſapientem: ſic in quibuſdam vir vnus ſapiens, in alijs inſipiens inuenitur, adeo vt nō ſit tutū vnius diſciplinæ ſe totum tradere. Quòd ſi coëant in vnum philoſophorū agmina, quomodo poſſumus vniuerſos vereri, quos ſeparatim deſpeximus? Sed cæteros philoſophos contemnamus licet, Thaleti tamen Mileſio deferendū venit, qui fuit vnus e ſeptem, cui reliquos ſex conceſſiſſe primas ferunt: is aquam poſuit rerū initium, ex ea conſtare aſſerit omnia: ferri id poteſt, quanquam non facile igni reſiſtere valemus, qui aquæ eſt aduerſarius, & ſe quoque inter initia poſtulat reponi. Sed vt id relinquatur, quod ſequitur quomodo audiemus? ſubijcit enim orbem terrarum aqua ſuſtineri, hunc ſuper eam more nauigij vectari, & mobilitate ſua fluctuare, tunc quū dicitur tremere. Quid ais Thales? claram habes patriam Miletum Ionicarum quondam vrbiū principem, es præterea ętatis tuæ ſapientium lumen: expectamus de te veros ſermones, ſed eripis ſententia tua ſtabilitatem terræ, quam omnes illi concedebant: hæc ſapiente viro digna loquutio? ita ne verò ambulat terra? circum agitur? fluctuat? vacillat nullis affixa radicibus? aquam dicis in cauſa, ne vinū putetur, propter quod talia ebrijs videri ſolent: ſi parua res aut ludicra ageretur, tacerem, nunc illud moleſtè fero, quòd me terres in re magni ponderis: vbi enim verè tremor incidit terris, quod fit ſæpius, cupio firmo eſſe animo, cupio non metuere, non licet per te, qui terram aquis ſuſpenſam a fundamentis concuti vis, adeo vt illius inclinatione vel euerſione naufragium quandoque ſit metuendum: id me curare non putas cū mea, tum totius humani generis cauſa? Ego antea, ſicut cæteræ gentes, illa perpeti tellurem intra venas & cauernas ad ſuperficiem vſque arbitrabar, ideo nihil tum metuebam, & nunc etiam ſecurus, vt in terra, nihil de naui cogitans, iacebam. Hæc ſatis ad Thaletem; quē talia

cenſentem,

cenſentem, ne ineptum valde putem, facit eadem de re alterius ineptior ſententia. Niceas ſyracuſanus is fuit, qui (ſi Theophraſto credimus, & Ciceroni, qui illum ſequitur) cœlum, ſolem, lunam, ſtellas, ſupera deniq; omnia ſtare cenſuit, vnam in omni mundo terram moueri, eam circum axem ſumma celeritate ſe ipſam conuertere, eadémq; effici omnia, quæ nunc fieri opinamur, quaſi ſtante terra cœlum moueatur, & ita quidem ille cenſuit: quãquam Plutarchus in libro, quem De vultu, qui in lunæ orbe oſtenditur, inſcripſit, hanc ſententiam non Niceæ ſyracuſio, ſed Cleanthi ſamio tribuit, eúmq; impietatis ab Ariſtarcho accuſatũ refert. Sed qſquis ille fuit, qui hoc primũ protulit, hoc ab illo prolatum potius hominibus, quàm probatum fuit. Aſpicis in quot, & quàm fœdos, & intolerabiles errores induerit ſe vnuſquiſq; ſapientũ, afferunt non modo vituperatione, ſed odio quoq; digna, & quæ commentitia, & ficta quilibet aſſereret: quum illi nihil minus agerẽt veritati ſtudentes, quę videtur hoc habuiſſe operis & muneris, vt ſui inquiſitores vana oblata ſpecie eluderet. His igitur credi par eſt, qui inane quoddam & ventoſum ſibi oblatũ pro ſolido & vero apprehenderunt? ſi res vna falleret, quanuis minor eſſet, auctoritatẽ in reliquis amitterent, non enim creditur exploratori ſemel decepto: quid iſtis futurũ eſt, qui in plurimis & maximis labuntur? quo confugiam, ſi tot & tales viri, quos modo nominaui, veritatem præſtare nequeunt? Ad Democritum? (fuit enim nobilis genere) hinc ſperare licet, quòd magnum aliquid & elegans afferet. At indiuidua illa corpuſcula, quæ atomos vocat, ex quibus huc illuc concurſantibus mundũ fabricauit, quis vnquam vidit, aut cogitatione percepit? itaq; olim exploſus reiectúſq; ab omnibus, tanquam omnẽ inſaniæ numerũ nimia ſui ſapientia expleuerit, & iuxta comicum, nimis intelligendo nihil intellexerit. Qui enim conuenit putare domũ, porticum, ſtatuã, nunquam ex illis atomis confici potuiſſe, diuerſum in operoſiore huius mundi ſtructura credere? Quomodo credi par eſt ex illis corpuſculis nulla magnitudine diſtentis tantam rerũ molem conſequi potuiſſe? nihil illum iuuit diuitias abieciſſe, & oculos, tanquam duo impedimenta veri perſpiciendi: nam nihilo ſegnius cæteris errauit. Parcum fuiſſe & penè frugi in philoſophiæ penu credere poſſumus Anaxagoram, qui hominem Solis videndi cauſa natũ eſſe dixit, nam veritus (vt opinor) ſumptũ ninium facere verboꝝ, vel tanquam illi ſermo magnificentior emendus eſſet præſenti pecunia, noluit loco ſolis mundum, & loco videndi contemplandũ ponere, atq; ita dicere, hominem ad mundum contemplandũ eſſe natum: quod, etſi forſitan minus verè, congruentius tamen dici potuiſſet. Nonne etiam delirauere illi, qui virtutes animalia putarunt? aduerſus quos Seneca diſputat non minus ridiculè, quàm ridiculi illi fuerant, qui talia cogitabant. Illa etiam ſtultiſſima opinio, qua nonnulli veterum, in rerum ratione infinitum corpus poſuerunt, veluti aërem, aquam, vel aliud quiddam, idq; principium cęteroꝝ eſſe voluerunt: quod quidem fieri nõ poteſt. Nam ſi infinitum vllum eſſet corpus, ſine dimenſione extenderetur, quod natura corpoꝝ non recipit, quam trina dimenſione conſtare notiſſimũ eſt. Præterea omnia corpora, quæ oculis capiuntur, naturali motu ferũtur, vel in orbem, vel ſurſum, vel deorſum, ex quo ſequitur nullum horũ eſſe infinitum, nam infinitũ non moueretur, tum quia omnia loca occuparet, tum etiam quia nulla eſſet ratio mouendi ſe magis vnam in partem quã alteram: quandoquidem

doquidem infinitum nõ medias & vltimas partes, nec anteriores poſterioréſue habet. Non ne inſuper infinitũ reliqua omnia finita vi ſua obrueret, & demoliretur? His & alijs pluribus perſpicere poterant non magis in agmine corporalium rerum extare infinitum, quàm hippocenuarũ & chimæram, & pegaſum: vbi enim illa, vel quando fuerunt? Sed hi veteres. Quid illud, quòd Plato non cogitauit de mũdo, veluti de tẽplo, vel ornatiſſima domo, aut vrbe, ſed illum dixit animantem, i. ſenſus & mentis cõpotem, cuius dogma. Virgilius ſuo operi intexuit: aſtráq; præterea animata, ideo in deorũ numero ponenda; idq; poſterius Ariſtoteles etiam tenuit magiſtrũ ſequutus, licet in alijs pluribus ab eo diſſentiat. Si quis modò, non ſolum hæc eadẽ dicat, verùm etiã addubitet, ſicut etiã de mũdo, nũ eſſet animãs, Auguſtinus multò poſt addubitauit;

Romani tollent equites peditéſq; cachinnum.

Quid idem Ariſtoteles, cuius nomen menitò eſt magnum, nonne eos, quos a dęmone correptos videmus, eodem dęmone intus agente vẽtura ſæpius prędicere, philoſophica etiam tractare, quãuis rudes antea fuerint, hæc facere ille exiſtimauit atræbilis vitio, idq; plurimis aſtruit verbis? hic plura non dicam. Miror tamen, ſi cuiquam ſuaderi poteſt tãtam eſſe vim in humore aliquo, ſeu eius exhalatione, vt vatem efficiat, & ex indocto, ſtatim poëtam reddat, oratorem, philoſophum, & præſtet vti lingua incolis etiam ipſis incognita. Idẽ philoſophus, neruos originem a corde ducere autumat, quod apertè falſum eſt, quum neq; cor neruis ſit præditum & in corpoꝝ inciſionibus principium neruorum eſſe cerebrũ, & ab eo ad reliquas partes ferri doceatur. Quis iam igitur ſibi ingenióq; ſuo poterit confidere, quando ipſa philoſophiæ lumina tam turpiter conſtat aberraſſe? Quid iam dices? rerum cognitionem non hominibus, ſed hominibus tantum rudibus & negligentibus ablatam? quũ videas eos, qui ad eam rem duo hæc maxima attulerunt, ingenium ſcilicet & diligentiam, a lapſu non fuiſſe ſecuros. Sed quid colligo digladationes inter ſe philoſophorum, & multoꝝ ridiculoſas ſententias, quando idem ſæpius ſapiens inuenitur cõtraria ſenſiſſe, & aliud alìas tenuiſſe? O rem miram, vnus homo ſecum pugnat, ac ſi duo eſſent, & modò falſum, modò verum defendit, imo opinione ſua verum aſſiduè, quod adeo latet, vt in contrarijs etiam partibus quærendũ ſit. Laudatur Socrates, quòd ab huiuſmodi rebus diſputationem ſuſpendit, & quærenda ea potius putauit, quæ ad mores pertinerent. Sed non tam laudandus aliquis videtur, quòd hæc neſciat, & ab inueſtigatione abſtineat, quã accuſanda natura, quæ multa immiſit imitatione veri fallentia: hanc (inquiunt) facultatem imitandi ſuſtuliſſet, & veritatem reiectis inuolucris omnibus nudam ante oculos collocaſſet: id ſi feciſſet, diſputatio omnis ſublata foret, docti pariter atq; indocti, quicquid eſſet, cognoſcerent. Nunc ſi veritas cognoſcitur, nõ eſt ea res populi, ſed paucorum tuntũmodo, reliqui veluti prophani excludũtur: opus eſt non modo his cõmunibus literis, verum etiam remotiſſimis diſciplinis. Artes enim mathematicę primum addiſcendæ: nam plura probari nequeunt, niſi Geometrę adiuuerint, qui ratiocinationibus indubitatis docere ſe profitentur. Tum verò Dialecticæ incumbendum, quæ argumẽtandi viam tradere pollicetur. Dandum eſt aliquid temporis Rhetoribus, vt cognita planè & dilucidè exponere poſſimus, reliquíſq; demonſtrare, ex quo iudico magnum errorem recentium philoſophorum, qui hãc artèm dicendi negligunt,

quia ſit deinceps,vt ea loquantur, quæ intelligat nemo,niſi is qui eadem (vt ſic dicam) farina delectetur. At quū hæc omnia præſtiterimus, tam immenſo exhauſto labore,offert ſe certa rerum cognitio,cauſarū veritas: imo relinquitur contentio,diſceptatio,ſententiarum varietas, & ſæpius inter eiuſdem gentis homines, vel etiā ciuitatis,& quandoq; res eò perducitur, vt diſcipuli a magiſtris,tanquam filij a parentibus,deſciſcant: vnuſquiſq; illorum victorem ſe pronuntiat abſq; iudice & præcone. Graue tunc, & moleſtum admodum incumbit nobis negotium,vtrinq; inuenta & excogitata ſolerter diſpicere,quæ quomodo rudis & imperitus agnoſcet,quę vix tot ornati diſciplinis percipere poſſumus? Iudicare autē inter tot veriſimilitudines argumentorum vtrinq; collectas quis tutò poſſit,aut audeat? Nondum dico multa fieri, quæ quomodo fiant, ne coniectura quidem vlla eſt; nā fulmen hoc habet, vt dolia exhauriat integram relinquens teſtam,nullo prodito ingreſſus veſtigio: æs pariter,& argentum liquefacit in zonis non labefactato vinculo, nulla percuſſionis nota foris apparente: quis dicere poſſit,vnde huic igni e nubium conflictu eliſo tāta vis inſit oſtēto ſimilis? talē ſi habeāt vim fures valde lętentur. Echeneis ipſo nomine gręcæ loquutionis haud ignaris indicat quid agat, noſtri remorā vocauere. Quomodo autem fieri poteſt, vt tam paruulus piſcis nauem, cuius fundo hæſerit, plenis euntem velis moretur? quā non vincula vlla,non anchoræ pondere irreuocabili iactę retinerent: augetur miraculum,quòd in nauem receptus idem pręſtare non poteſt,nihil præcipuum habet,ſed ibi eſt,ſicut aliud quodlibet. Res apparèt,cauſa latet,fruſtra in hoc humanus conatus laborat. Magnes lapis,qui & Heraclius dictus eſt,maximus ferri eſt raptor,hinc architectus quidam cogitauit concamerare Alexandriæ templum hoc lapide, vt ferrea regum illorum ſimulacra in aëre ſuſpenderet. Quid cauſę? vtrum ſimilitudo id efficit? quid porro tam diſſimile,quàm magnes & ferrum? ſed fac nō eſſe ita,ſi ſimilitudo valeret,magnes multò magis alium magnetem,& ferrum ad ſe aliud traheret ferrum. An quia in ordine corporū magnes ſit ſuperior? minimè,imo ſuperius lapillo metallum: dura etiam & rigida ferri materia,magnetis autem tenuis & inualida, & tamen hic trahit, illud ſequitur trahētem, ſicut captiuus victorem ſolet vinculis impoſitis,aut iniecta manu. Quid hoc ſibi vult? quo naturę iure fieri dicetur. magnū hoc,ſed maius illud adhuc,quod lapis iſte eandem vim tradit ferro,quod rapuerat,itaq; pluribus anulis ferreis iuxta poſitis ſicut primus annulus trahitur a lapide,ſic ipſe ſecūdum trahit, & ſecundus tertium, & tertius quartum, & deinceps, quouſq; omnium anulorum cathena formetur. Vulgus hæc aſſiduè ſpectans non miratur,ſtupet enim non ad maxima quæq;,ſed inſolita: doctis autem viris ignoratio cauſæ admirationem creat,ergo,quū ad hęc quid dicant non habeant,ſtupent & exhorreſcūt. Similia illa,quòd adamas aduerſus omnem vim inſuperabilis,ex quo etiā nomen ſumpſit,hircino rumpitur ſanguine. Leo fortiſſimus omnium animalium & generoſiſſimus galli cantu terretur. Hæc fieri oculis cernimus,ſed qua ratione fiant,nulla mentis acie perſpicitur. Illud etiam ignotum eſſe dico, cur Struthiocamelus ferrum concoquat: nam,ne id aſcribi poſſit ſtomachi nimio calori, leo facit,qui idem non poteſt, quū ſit illo longè feruidior. Si quiſpiam, periculo nunquam facto,viſo magnete, vel echeneide,adamante, & alijs modò relatis,vim illorum pronuntiaſſet, verè hic maximus inter omnes doctrina & ſapientia habendus fuiſſet: proximus tamen huic eſſet,qui re conſpecta, vnde id

fieret,

ſteret, oſtenderet: dicere autem tantummodo id, quod accidit, cuiuſlibet eſt, qui modò oculos habeat. Nam rem factam ſtultus etiam intelligit. Quamob rem in talibus, quorum non conſtat ratio, nihilo plus prudentes viri ſtultis habent. Deueniendum eſt eò, vt dicatur, quòd, quẽadmodum medicina inſanabiles habet quoſdam morbos, ſic philoſophia multorũ incognitas cauſas: manifeſtum eſt quid fiat, ſi quæratur quare, vel quomodo, obmuteſcit. Quãquã iſti non taceant, ſolent enim, vbi tale quid incidit, dicere proprietatem eſſe occultam, quod eſt planiſſimè ignorationem fateri. Ergo hoc tuis infinitis lucubrationibus, hoc philoſophia dignum, vt dicas te neſcire? quod eſt os ſic reſpõdentis? nihil enim plus habet reſponſum, quàm quæſtio: nam qui quærit, proprietatem rei proponit, & ex eo, quod quęrit, occultam denuntiat, nemo enim manifeſta quærit. Memini quandoq; in circulis plebeiorum hominum ridiculoſe propoſitum, vtrum horũ prius fuerit tẽpore, Gallina aut ouum: hanc quęſtionem poſtmodum inter philoſophos agitatam legi, & veluti ſignis collatis rem actam, argumẽtis vtrinq; inductis. Admiratus quãdoq; ſum homines graues in re tam ludicra ſumpſiſſe laborem: ſed nihil eſt, quod illi non perſequãtur. Attamen tam eorũ qui oui, quàm qui Gallinę partes tuentur, adeo argumenta leuia ſunt, vt facile appareat neſcire illos, quid loquãtur: cuncta enim ad coniecturam reuocantur, quam lubricam eſſe, & ſponte ſua fallacem omnes intelligunt. Dicunt iſti ventilatores naturæ nullum eſſe, quanlibet exiguũ corpuſculum, in quo diuiſio finiatur, ſed infinitè omnia diuidi, quia omnis pars corporis corpus eſt, & omne corpus habeat neceſſe eſt dimidium quantitatis ſuæ: ſubtiliſſima quidem ratio, quæ tam ſubtiliter diuidere docet, modò doceat. Sed veniamus in rem præſentem, vide ſi potes diuidere vnum capitis tui capillum, & ex vno duos effice: deinde illorum alterum rurſus diuide & pro gredere, alterã partium ſecando aſſiduè, quouſq; tibi oculo hoc dextrò innuero: ſed non expectabis nictum oculi mei, nam ne ſemel quidem diuidere poteris. Vter igitur noſtrũ naturã magis accuſat? egó ne, qui, quod opere impleri non poteſt, ne eſſe quidẽ puto? an tu, qui aliud habere dicis naturã in ratione, aliud in opere, quaſi deceat habere eam facta verbis cõtraria, & in hac ipſa repugnantia, non facta magis verbis præponderent? Res demum eò deducitur, vt vel falſum ſit, omne corpus infinitas admittere ſectiones, vel ſi verũ eſt, nihil prodeſt id ſcire, quod expleri nequit: ſuperuacuo igitur hoc ſcimus. Et hac quidem in re, quod non fit, ſcimus: in alijs autem multis, quod fit neſcimus: veluti quum obtutum dirigimus in ſolem tam longè diſtantem, neceſſe eſt, vt proximum quodq; aëris ſpatium radij oculorũ penetrent prius, & poſterius quodq; loginquum, atq; ita demum ad ſolem perueniant: attamen id fit tanta celeritate, támq; paruo interuallo, vt non ſucceſſiuè id fieri, ſed ſimul & ſemel videatur. Sic huius rei perfecta cognitio ablata eſt, quæ tum deniq; eſt talis, quum, quod ratio docet, id ſenſus agnoſcit, multiſq; anſa præbita contrarium defendendi, aſtruentibus aciem oculorũ nullo interuallo vndiq; ferri. Eadem ratione præſens de futuro emergens tam velociter tranſit in præteritũ, vt intelligi magis, quàm ſentiri poſſit. Frequens ſtillicidium excauat ſaxum, quod, quum factum ſit, apparet, non autem dum fit: adeo nanq; obtuſa eſt acies ſenſuum noſtrorũ, vt nequeat, quid ad ſingulos aquę ictus decedat de ſaxo, perſpicere. Nam etſi poſt milleſimum ictum (vt ita ponam) appareat cauatum ſaxum, non ideo tamen fit, vt primus ictus non aliquid de eo detraxerit, imo neceſſe eſt

ceſſe eſt

ceſſe eſt detraxiſſe: nam ſi primus non mutaret ſtatum ſaxi, non mutaret ſecundus,non etiã tertius, non quartus,non quintus,non deinceps reliqui: quoniam ſicut primo reſiſtit ſaxum idem manens,eadem ratione reſiſteret poſterioribus omnibus, qui in eadem ſunt cauſa: ſed quũ ad multiplices ictus oſten datur concauitas, res indicat ſingulis ictibus de ſaxo detrahi, & detractiones has, ob exiguitatem, ſenſum latere, quæ tum manifeſtantur, quũ plures fuerint congeſtæ,& multum eruerint: ſic exiguitates iſtæ nos fallunt,niſi in ſummam fuerint redactæ. Quamobrem non modo, quid ſingularis ictus terat de lapide,dicere poſſumus, ſed non etiam quid centeſimus,vel ducenteſimus, omnium anteriorum ictuum viribus in vnum collectis: nam adhuc tenuis detractio. Eadem ratio incrementorum: nam incrementa arborum,herbarum, animalium,& aliorum multorũ,quæ minutatim ac per ſingula penè momenta augentur, ſubterfugiunt ſenſum, donec ad magnitudinem aliquam peruenerint: tunc enim intelliguntur, non antea. Iam verò quis illud rectè explicauerit, quando homo in morte dicatur poſitus: nam dum viuit,moriturus eſt: dum viuere ceſſauit, mortuus eſt: horum vnum ante mortem eſt, alterũ poſt mortem,quod igitur tempus mortis? Reſpondeat hic aliquis: ego nãq; inopia premor idonei reſponſi: ſi dixero hominẽ viuentem mori, abſurdè fecero, qui vitam morti copulem,quũ vtrũq; ſibi ſit ipſi inuicem pugnans,ad eo vt altero manente alterum conſtitui non poſſit: ſin dixero mortuum mori, actum agere dicar, quod vetus vetat prouerbiũ: relinquitur vt neutrum horũ ſtatuens, dicam confiniũ eſſe quoddã,quod neq; ſit ante mortem, neq; poſt mortẽ,ſed in ipſa poſitũ morte,quod velociſſimo excurrit momẽto. Sed ita reſpõdens multorũ ſuſtinuero irriſiones,qui rem cõmentitiam allatã dicant, nec ſe intelligere, quale ſit hoc cõfinium,nã hominem etiã dum agit animã,adhuc viuere,nec poſſe illud tẽpus eſſe mortis,quod adhuc vitæ ſit. Eadem quæſtio eſt,quando aliquis fiat artifex: nã dum artem diſcit,futurus eſt artifex,dum didicit,iam factus eſt: vbi igitur fit artifex? da mihi illud tẽpus,quo hoc artificis ſibi nomen tum primum aptari potuerit. Similis incumbit dubitatio,quando aliquis ſurgat: nam donec ſedit, non ſurgit, poſtquam ſedere deſinit, iam ſtat & ſurrexit. Si tibi videor in nugis diutius trahere ſermonem, locus eſt veniæ, quoniam grauiſſimi philoſophi de his ſeriò diſceptant contendúntq; viciſſim, aliud alij videtur, a quibus peto, vt patiantur me hæc valde dubia, vel potius inexplicabilia exiſtimare. Geometræ aiunt eius artis ſe eſſe compotes, quæ non ſuadeat, ſed cogat auditorem aſſentiri his, quæ in arte traduntur: præclara laus, magna gloria, ſi id tantùm, quod profitentur, præſtare queunt: magnum eſt enim ſuadere aliquid dicendo, & efficere verbis, vt neceſſariò dicentem ſequatur auditor, quàm lata & quàm regia eſt hæc poteſtas? nam regum ipſorum,verba quantumlibet blanda imperioſa ſunt. Veruntamen ſi ab iſtis petam, vt circulum mihi in quadrum redigant,quid acturi ſunt? muſſabunt: demum dicent fieri id quidem poſſe,nondum tamen eſſe factum. Hoc eſt illud,quod cogis me credere,vt quod nuſquã factum apparet,id fieri poſſe credam? a quo? nam de prioribus deſperandum eſt: illi enim non inuenerunt: at inueniet poſterior aliquis: id vt credam,non modo non cogis,ſed ne ſuades quidem,vero enim propinquius eſt,nos plurima ignorare eorũ,quæ ſuperiorũ temporum viri nouerunt,quã quidquam reperturos,quod illos latuerit. Vtrũ ſtudium diſciplinarum in nobis maius, quã in illis? ingeniũ vberius? facundia

planior? mens acutior? memoria firmior? diligentia intentior? quæ ne conferenda quidē ſunt. Demū num circulus in quadrum redigi poſſit non requiro, ſed vt redigas peto: artis tuæ robur mihi nunc oſtēde: video enim te huius artis regulis atq; menſuris triangulos, ſexangulos, octangulos dimetientem, & illos ſigillatim quadrantē: fac idem in circulo, remoue (ſi me amas) illud fieri poteſt, ſed fac: nā quod fieri poteſt, nec fit, nō iuuat, nec delectat: ſicuti nō iuuarer nec oblectarer oculo, ſi per illum videre poſſem, nec viderem. Et quomodo poſſum magis apertè humani ingenij imbecillitatē, ſeu potius inſcitiā oſtēdere? quā dum in ea arte, quę certitudinis primū gradum cōſcendiſſe perhibetur, aliquid dicitur fieri poſſe, nec fit tamen: nā ſi fieri nō poſſet, nemo id quæreret, nemo laboraret: nūc ſubit pudor multoꝝ animos, nunc indignatio, quòd illud, quod fieri poſſe aſſeueratur, qua ratione fiat, nō inuenitur, niſi fortaſſe cōtendimus, ne fieri quidē poſſe, quia nō fit, quoꝝ vtrumuis ſuſcipe: ſi enim fieri poteſt, nec fit, artifices arguis imperitiæ, ſin autem nō fit, quia fieri non poteſt, deprimitur artis potentia, dum eo caret, quo maximè egebat, nam circulus in quadrum redigendus erat, vt eius certa menſura teneretur. Mea autē nihil refert, qui humanam arguo inſcitiam, vtrum ea humani contingat ingenij anguſtijs, vel artium ipſarū, cum vtraq; natura dilatare, quantū vellet, poſſet. Loquor enim nunc (vt ante ſæpius) de natura artifice, quā alio nomine Deū nuncupamus, cuius liberalitas debuit eſſe immenſa, par ſcilicet eius potentiæ, quæ nec numerum nouit vllum, nec modum. Quid in numeris? num ſicut ego poſſum tibi dicere minimum (is enim eſt binarius) ita tu mihi poteris dicere maximum? certè non poteris, nā quantūcunq; numerum pronuntiaueris, vt ſummum, huic ego vnum ſuperaddere aſſiduè valebo: nullo igitur fine clauditur numeroꝝ ſumma, atq; ideo ignota nobis, quia infiniti nulla eſt cognitio, nec deſcriptio. Quòd ſi ipſi Philoſophi nequeunt liquidò, & hæc & alia multa explicare, quāuis excellentes ingenio, flagrantes ſtudio, abundantes ocio, quodnam aliud hominū id poterit genus? dixi antea nō eſſe rem hanc indoctorum hominum & rudium: attamē poſſumus omnia experiri, poſtquā non ferro aut igni rem tentamus, ſed verbis tantūmodo. Videamus igitur mercatores, nam hi peregrinationibus vacantes quæſtus gratia plurima nouerunt: cōferam me ad aliquē hoꝝ, qui thura, myrrhā, vnguenta, aromata, varioſq; alios vapores, & odores gratos ab extremis vſq; attulit terris: agā de his ipſis odoribus, quęrens vnde illos ſentiamus, vtrū id cerebro tribuat cum grauiſſimo philoſopho Alchmęone, an ſicut Empedocli viſum eſt, pulmonis reſpirationibus. Quid hoc ad eū? non enim doctrinā vēdit pretio, nec talia habet docere: ſatis habet ꝓferre merces, & eas naribus admouere emptorū, idq;, quod ſui muneris eſt, vltro & libēter facit: itaq;, vt ridere nō curet, contēnet tacitus & ſubſannabit rogationē meā. Quærā quantus ſit ſol: excitabitur tūc forſitan, & mirabitur, quòd velim ſolem vlnis & cubitis, tāquā laneū aliquid vel ſericū, metiri. Abeo ab iſtis, ad quos alios? aulicos purpuratos, regū oculos noſtroꝝ, qui forſitan aliquid acutius inſpicent. Rectè admones, attamē terret me primùm purpuræ fulgor, ne propius conſiſtam: deinde quæ veritatis iſtis cura? qui mores? non abſimiles profectò purpuræ, quam geſtant: nam rubens illa non ſuum præfert, ſed alienum mentitur colorem: adeo tamen, & quæro num lunæ ſolidum ſit corpus? vel inane aliquod in ſe habeat & ſinuoſum? rideant illi hoc audito, & mihi magis inane eſſe cerebrum dicent, & hoc vbi lunæ imminuitur lumen,

tur lumen, mihi quocꝫ imminui, dum talia inquiro. Perſtabo tamen,& ſuſpi-
cans eos territos magnitudine quæſtionis,quęram leue aliud & quotidianum,
verbi cauſa. Quid ſit,quòd minus algeamus pedibus,quũ duram & fixã cal-
camus niuem,quã quũ tenerã & fluentẽ? Cur homo crebrius & vehementius
ſternutamẽtum patiatur,quã reliqua animalia? Propter quod ſummũ in oleo,
medium in vino,imum in melle ꝓbatur? Cur aqua dulcis idonea ſit,pluſquã
ſalſa,abluendis ſordibus? Hęc & talia vbi quęſiero,nõ ferent hoc illi tacitè,ſed
maximum mihi faciant cõuitium,quòd tam ſordida & abiecta ipſis proponã,
quos videã cum tanto cultu ornatúcꝫ procedere, dignitatem eoꝝ violari,ſi in
tam viles deſcẽderint ſermones: & forſitan vnus eoꝝ aliquis ſubmonebit me
amicè,vt talia deſinã ſcrutari,inania ſcilicet,aulæ inſeruiã ſimulato officio,lin-
guácꝫ mendaci, id mihi magis ꝓfuturũ. Sic in iſtis quocꝫ, quod ad naturales
cauſas pertinet,nihil video præſidij. Idem dico de poëtis,rhetoribus,muſicis,
pictoribus,mathematicis,multò magis de reliqs opificibus,qui talia pręſtare
nõ poſſunt,nec debent,nã quum a philoſophis,quibus curæ diu multúmcꝫ fue
runt,haberi nequeãt,illa de aliis petere, qui vel contẽnunt,vel nõ quærũt,aut
etiã quærentes irrident,perinde ſic ineptum,ac ſi,quũ exaruiſſent fontes,de ri-
uulis aquas quiſpiã haurire conaretur. Ex quibus efficitur, percipi non poſſe
nullis idoneis inuentis vnde diſcantur. Summatim autẽ iam rẽ colligam,vt vi
deas quã turpia vndicꝫ fiant,pulchrũ eſt omnino & egregiũ res naturę noſcere
cum earũ cauſis: id ita ſe habet: ſed magna hominũ pars talia nõ curat inquire
re. pars etiã inquirentes contẽnunt: pauci quidã ſummi viri, qui inquirunt,di
gladiantur inter ſe acerrimè,alter alteri viciſſim ignorantiæ obiiciens crimen.
Qui diſcere cupit,hoꝝ pugnas ſpectat,nihilcꝫ aſſequitur aliud: incertus vene
rat,incertior relinquitur,& ſatur rixarũ diſcedit. Videt etiã multa eſſe & ma-
gna,quoꝝ nullã afferunt rationẽ. Hinc,ꝙ valde exiſtimatione deceptus ſit,in
telligit,quòd,quũ veniſſet,vt ſapientũ ſcientiã perdiſceret, cogitur eoꝝ ignora
tionẽ non in paruis paucíſcꝫ rebus dignoſcere. Culpã hanc dicerem eſſe homi
num,ſi id facerent ſtudioſè & libenter: nũc naturã accuſare licet,quæ tenebris
multis res circũuoluit,denicꝫ verum falſo cõfudit, & hæc duo inter ſe tantum
diſtantia,nulla aperta perſpicuitate diſtinxit: hoc ab ea neglectum effecit, vt
error humana ingenia abunde ventilaret. Ferunt in quadam barbarorum ter
ra longè hinc poſita hoc contigiſſe: nam quum eorum moribus is e liberis,cui
moriens pater anulum, quem digito vnicum geſtare ſolent, dediſſet, pater-
ni patrimonij eſſet ſucceſſor: oppidanus quidam trium filiorum pater cũctos
æquali proſequens beneuolentia, aduerſus huiuſmodi inſtitutum tale quid
machinatus eſt. Nam duos alios anulos priori ſimillimos fieri curauit, ita vt
nihil differrent: poſtmodum,quum ſibi e vita exeundum videret, vnicuique
filio ſeparatim de tribus anulum vnum dedit. Illi tunc pariter omnes læti
eſſe, ſpeícꝫ bonæ pleni: mox mortuo patre vnuſquiſque profert anulum ſibi
traditum, hæreditatem illo vendicans ſigno: contenditur inter illos, quum
omnes ſe verum habere anulum, reliquos duos falſò fabricatos aſſeuerarent.
Itaque dum vixerunt, ætatem in lite huiuſmodi contriuerunt, & nunc etiam
(vt aiunt) de hæreditate illa inter poſteros certatur. Eſt ne factum natu-
ræ huic narrationi, ſiue mauis fabulæ, non ſimillimum? hæc enim,quaſi
nolens homines veritatis fieri compotes, veriſimilia multa fabricauit, vt

verum confundatur, nec aliquo perſpicuo ſigno emineret, vno quoq; ſapientum verum penes ſe eſſe, falſum penes alios contendente: ſic rerũ cognitio litigioſa reddita eſt, & poſteritati eadem lis tradetur. Etenim quum in plurimis & maximis cauſis varient ſapientum ſententiæ (vt eũdem ſæpius premam locum) neceſſe eſt eorũ aliquos falſa docuiſſe. Nam contraria dogmata nequeunt conſiſtere ſimul, & vtraq; veritate inniti: attamen vnuſquiſq; dogma proprium ſuadere inſtituit, & quòd ſuaſerit multitudo ſectatorũ oſtendit. Animaduertunt porro omnes propter dogmatũ pugnam alterutros fuiſſe deceptos, tametſi nemo illorum deceptionem ſuam agnoſcat: ſed quicunq; hi ſunt, qui in deceptionem inciderunt, deceptos fuiſſe veriſimilitudine perſpicuũ eſt, nec credi poteſt paruam illam fuiſſe veriſimilitudinem, quæ fallere potuerit. Nam ſi longo interuallo diſtaret ab ipſo vero, quod quærebatur, breui tẽpore & facile detecta fuiſſet: nec habuiſſent dogmatis inuentores, qui ſequerẽtur. Quamobrem ob fallacem hanc veritatis ſpeciem efficitur, vt vbi & in quorũ partibus cõſiſtat germana ipſa veritas, ignoretur. Dicam autẽ nunc vnũ, quod eſt maximũ, & quod me plurimum cõmouit, & ſæpius: rectè an ſecus tu iudicabis. Nam Deo, qui rerũ eſt omniũ origo, ſtabilitas, finis, nihil maius aut melius, nihil par, aut ſimile dici, ac ne cogitari quidẽ poteſt: ſolus immenſus, æternus, omnipotens, immortalis: huic vni ſupplicare, hũc dũtaxat colere tota animi pietate debemus: & tamẽ ſcimus innumerabilibus ante ſeculis populos & nationes penè omnes turpiſſimis Dæmonibus diuinũ cultum impendiſſe. Fallebant enim ſimilitudine poteſtatis: nã lues, clades, morbos irati immittebant priuatim, & publicè, eademq; placati auertebãt, præſtabant rogati victorias, & imperia vrbiũ propagabãt, ventura præcinebant, portenta & prodigia varia loco & tẽpore oſtendebant. Hæc admirantes homines Deos illos eſſe crediderunt, qui tãta facere poſſent, et vellent; longè enim ſupra humanã vim illa erant omnia. Sic ſumma hæc poteſtas diuinæ aſſimilis, populos in miſerãdum errorem induxit, effecitq;, vt nõ vnico & ſingulari cultu vnũ verum Deum, ſed plures falſos per partes adorarent. Quãta tunc igitur regnauit impietas? & quãta ſubſequuta eſt animarum pernicies veræ religionis ignoratione? Neq; nunc etiã ceſſatur: nã etſi, poſt Domini ad humana deſcenſum, dæmonum cultus magna ex parte repreſſus, non tamen omnino extinctus, quia etiã nunc penes multos populos viget, ſi modò nobis vera referũt iſti orbis luſtratores: hoc enim aſſequuntur illi imitatione diuinæ potentiæ. Sic ſurſum deorſum trahuntur omnia, dum veriſimile ſemper quoddã impẽdet, quod ipſum verũ obruit & cõfundit. At parum videbatur, ſi ratione inuenta & collecta natura nobis reddidiſſet incerta, niſi quòd ſenſus etiã tradidit lubricos & minus fideles: nã multa illi falsò renũtiant, vt in remo patet aquis demerſo, qui flexus apparet, quum rectus ſit: & in porticibus, qui anguſti ſi ſint, longiores videntur, & vltimæ eorũ columnæ viciniores: & in hoc ſole, qui magnitudine immenſa tantulus conſpicitur: hunc etiã, quem velociſſimũ ſcimus eſſe omniũ, nemo ſentit moueri, proceſſiſſe illum apparet, procedere minimè: poma per vitrum cõſpecta multò maiora oſtenduntur eadẽ mole manente: vox in ſpeluncis vno loco reddita, alio auditur: & digitis certo modo collocatis vnũ tangens, plura credas te tãgere: triangula procul cernẽtibus rotunda apparent: ſoluẽtibus quoq; de terra nautis portus nauigantiũ oculis recedere videtur, quũ ipſa verè nauis, qua

uis, qua vehuntur, recedat: ſed & columbarum colla, quum conuertuntur, plures oſtendunt colores, quum tamen vnus tantùm exiſtat illic color. Quædam tanta ſunt inter ſe ſimilitudine copulata, vt diſcerni nequeant: nam pomũ a pomo, ouum ab ouo, folium a folio quì poſſis internoſcere? Extitit etiam in hominum duorum formis quandoque tanta ſimilitudo, vt alter pro altero acciperetur ab obuio quo quo, quod etiam materiam præbuit fraudibus. Reuoco te ad hiſtorias, ne putes forſitan me fictum aliquod, aut comicum proferre. Inuenti ſunt etenim qui ob formæ ſimilitudinem ſupponerent ſe pro his, qui maioris poteſtatis imperio clam fuerant interfecti: ſic Mergidem Cyri, ſic Alexãdrum Herodis, ſic Agrippam Auguſti alieni ſimulauerunt, & adeo eorũ perſonam & vultum impleuerunt, vt illi ipſi eſſe crederentur. At tandem detecta fraus. quis negat? non modo detecta fuit, ſed ſupplicijs etiam coërcita: verũ tamen ille error in oculis multitudinis diu inualuit, quòd defunctos ſuperſtites ipſi æmula facie mentirentur. Vtque ſuperius dixi mentem ſæpius decipi ob ſimilitudinem rationum veritatem æmulantium, ſic perſpicuum eſt oculos ſæpius fuiſſe captos ob ſpeciem, quæ in duorum corporibus vicinitate fallebat. Summatim autem vt dicam, ſenſus fallaces, de quibus primas rerum notitias hauſimus: ideo non tales tradi oportuit, ſed certos, & veros. Nunc autem, quũ mendaces ſint, mirũ ſi ab illis progreſſa ratio nõ didicit hoc exemplo ipſa quoque fallere & mentiri. Quòd ſi in cognitione tantummodo naturalium rerũ ignoratio hæreret, leuius id eſſet forſitan peccatum, quia philoſophorum ſcholas duntaxat occupaſſet. Sed eadem ignoratio occurrit in agendo, detinet forum, curiam, vniuſcuiuſque domum. Poſſem id multis oſtendere exemplis, ſed agam tantummodo illuſtribus: & in primis illud non prætermitto, eò vſque nos deueniſſe ignorationis, quòd pro certo affirmare non poſſumus, quicquid agimus, num in vigilia, an in ſomno agamus: vtrobique enim eadem cõtingũt: nam quæ in ſomniis obuerſantur animo, nõ minus certa tunc putamus, quàm quæ vigilantes cernimus. Video te arriſiſſe: attamen ſi quis vrgeat pertinacius me hæc tecum fabulari ſomniantem, audiente hoc nobilium iuuenũ cætu, non poſſim refellere: quia ſi dixerim videri mihi nũc eſſe in vigilia, irriſerit me, quia ſomnians idem perpeti poſſum, vt in vigilia illa eadem agere me putem. Reſpondebo tunc forſitan huic ceruicoſo, Quomodo audes dicere me ſomniare, qui oculos habeo apertos, quos ipſe etiã videre potes, & tãgere? quomodo ignorem me nunc verè loqui, qui linguæ meæ motũ ſentio? Hoc vbi clamauero, ille his auditis riſerit etiã vehemẽtius, aſſerens hæc nõ ita eſſe, ſed videri, nec me rebus, ſed rerũ vti imaginibus: demũ hęc me ſibi in ſomnis pronuntiare contendet. Ego neſciens quò confugiam, tamen, vt illum vlciſcar, dicã pariter ipſum in lectulo nunc iacere ſupinè ſtertentem, & illa mihi in ſomniis pariter narrare: ſic infœlici exitu ſermo claudetur nulla vigiliæ ratione reddita. Et ne argumẽtũ hoc e triuio ductum putes, illud in mediũ grauiſſimi philoſophi attulerũt, ijque potiſſimũ, qui poſterioribus tẽporibus academię ſpatia tenuerũt, quod tñ antea Plato in Thæteto indicarat. Sed ſi id parũ cõmouet, qa vnuſquiſque noſtrũ ſatis ſupérque vigilare ſe credit, veniamus ad ea, quę quò firmius, eò odioſius ignorationis nrẽ tenebras in vitę huius negotiis oſtẽdũt. Vrbs nr̃a nõ lõgè hinc abeſt: ecquid ſcimus e tãto amicorum numero & familiariũ, quid vnus aliquis ipſorum illic nũc agat? ſedeat, an ambulet? loquatur, an taceat? cui demũ

muneri intentus ſit? Eſto: ruſticamur modò, vrbanorum acta neſcimus, niſi quis poſtmodum renũtiarit. Quid? quum vrbani nos quoq; ſumus, & domi nos tenemus, ſcimúsne, quid in foro rerũ geratur? aut in curia? aut in templis? Iure ineptus videar, qui hæc proferam, quãdoquidem ne detur quidem ſcire, quid in proximo penes vicinum fiat. Dicat aliquis interpoſito pariete, vel oppanſo velo, quid altrinſecus rei geratur: nemo audeat dicere, mendacij ſtatim coargui veritus: ſed horum ignoratione fieri poteſt, vt non lædamur. Quid? quum iudex ſuſpitionibus & argumentis adductus inquirit de crimine, nõne torquet ſæpius innocentem reum? ſic ille miſer pro incerto ſcelere manifeſtas iam ſubit pœnas, non quia deliquiſſe detegitur, ſed quia an deliquerit ignoratur: quòd ſi dolorem corporis ferre non valens fateatur, etiam occiditur, idq; præſtat nobis ignoratio iudicis, qui torquebat, ne innocentẽ necaret, & tamen inſcius necauit. Noſti ipſe omnia nunc penè capitis iudicia de quæſtionibus reorum gubernari, quod fragile eſt ſanè probationis genus & infirmũ: quem enim facis reum? timidúm ne, an fortem? dicam planius, vtrum tormenta vis eum timere, an contẽnere? ſi contemnit, mentictur: ſi timet, mentietur quoq;. Itaq; propter patientiam multi immeritò euaſerunt, & ob impatientiam alij iniuſto ſupplicio affecti ſunt: & tamen quũ tam fœdus exitus ſæpe ſpectetur, quæſtionibus credimus, tanquam neceſſitas illic inſit veritatis exprimendæ, & non ſit hominis torti illa vox, ſed vatis cuiuſdam diuino ſpiritu afflati. Si plures aliquem percuſſerint, & multis illatis vulneribus vnum tantùm lætale appareat, & ignoretur quis illud intulerit, omnes vt homicidæ ad ſupplicium rapiuntur. Si ſciretur cuius ictu percuſſus periſſet, ſolus ille pœnas cædis daret, ſocij nõ de cæde, ſed de vulnere tenerentur: nunc quia ignoratur vnus homicida, omnes homicidæ fiunt. Videtúr ne igitur tibi harum & ſimilium rerũ ſingulari naturæ prouidentia ignoratio nobis relicta? Quid? quũ perhibentur manifeſta de crimine teſtimonia, & iudex, qui rei geſtæ non interfuit, fidẽ teſtimoniorum ſequutus condemnat, nonne fieri poteſt, imo nonne factum eſt, vt ſententia ſua innocentem iuguler? credit enim teſtibus, ignorans tamen an vera ſint, quæ dixerint: ideo permulti oppreſſi ſunt teſtium periurio, & in poſterum opprimentur. Aliud ex alio frequenter occurrit, veluti nunc teſtiũ falſitas retulit memoriam varietatis eorũ. Video hoc ſæpius contingere, vt iurati teſtes in iudiciis vtraq; ex parte dicant contraria: palma illi tunc defertur, cui dignitas teſtium, vel multitudo ſuffragatur, quaſi veritas aut honores hominũ aut numerum ſequatur, ac non poſſint viles & pauci veriora dixiſſe. Si enim rem geſtam mutare nemo poteſt, & teſtis dicere habet de eo, quod vidit ipſe, vel audiuit, & tam bene videre poſſint & audire pauci, quã plures, tam viles, quàm honorati, quum par ſit vis in omnium ſenſibus, quomodo diſparem tribuimus fidem? & hos mentiri, illos verum dicere tutò poſſumus iudicare? de re enim perhibent teſtimonium oculi & aures hominũ, quos cuncti poſſident promiſcuè: hi ad percipiendum faciunt id, quod geritur, non dignitas vitæ aut numerus. Quãtus igitur tũc error offunditur Iudicibus? quantus æſtus? qui, etſi litem dent ſecundũ eum, qui dignitate & frequentia teſtium adiutus eſt, tamen certò affirmare nequeunt ſe ad veritatẽ iudicaſſe, ſed id tantùm dicent ſequutos, quod ad veritatem videbatur propenſius, quia veriſimile ſit veriora dicere eos, quorũ vita eminet honoribus, & plures numero ſunt, quã qui iſtis

carent.

carent. At veriſimile iſtud indicat te neſcire verum, non enim, ſi verum teneres, veriſimile ſequutus eſſes. Ergo tam denſis tenebris natura hominum caput circunſepſit, vt ne ſententias quidem veſtras, quas in iudicijs tanta auctoritate, & tam lenta diſquiſitione ꝓfertis, poſſitis defendere veritate fuiſſe ſubnixas: ſatis eſt, ſi ad ſimilitudinem veri acceſſerint, quum ipſum verum lateat. Quod etiam veterum Iudicum mos oſtendit, qui nō geſtum eſſe aliquid pronuntiabant, ſed geſtum videri, ita vt non ſcientiam, ſed opinionem ſententiis ſuis præferrent: illud enim in talibus eſt odioſum, quod veriſimilitudines ſequimur propter veri ignorantiam: veriſimilitudines autem ſæpe fallunt, & ab ignorantibus accipiuntur perinde, ac ſi rem oſtenderent, ſed non a ſcientibus. Quapropter dixit ille in Phormione,

Ni ſcirem cauſam, putarem hunc vera loqui.

Veteres Rhetoricę artis ſcriptores aiunt oratoribus non eſſe curam veri habendam, ſed veriſimilis tantūmodo, ita vt veriſimile dicēdum, etiam ſi verum non ſit, & verum non dicendum, niſi veriſimile ſit. Multa igitur ſequūtur abſurda, veluti ſi quiſpiam homo audax & confidens, tres vel quatuor ignauos homines ſimul euntes verberet, fit vt iſtis vera dicentibus non credatur, præſertim quum ignauiam ſuam non audeant illi apertè profiteri: aduerſarius autem elata voce clamet, Quomodo potui tot homines ſolus verberare, quum Hercules ne aduerſus quidem duos ſufficere dicatur? Sed quem alium habet calumnia campum, niſi hunc veriſimilium ſignorum? quibus collectis contra veritatem pugnat. Hinc falſis criminibus plures circūuenti ſunt. Phœdra tentauit Hippolytum, repudiata ab illo in perſonam nouercæ regreſſa accuſauit patri tanquam tentata, & perſuaſit: ex quo filium ille innocentiſſimum perdidit. Vlyſſes Palamedem inſimulauit proditionis apud græcos oppugnantes Troiam: creditum crimen, oſtenſo auro, quod ille prius in rei tentorio defoderat: ſic Palamedes interfectus eſt. Fabuloſa narrare videor, ſed antecedentia ſecula & præſentia talibus exemplis abundant, quibus exponendis ne pluribus quidem diebus plures oratores ſufficerēt, Generaliter autem vt dicam, neſcimus, quis iuſtus ſit, vel iniuſtus: ſed errantes in talibus, & ſæpius iniuſtū putantes, qui iuſtus eſt, & iuſtum, qui iniuſtus, amamus homines, quos odiſſe, & odimus, quos amare oportebat: & ſi non cogitatione noſtra, attamen re ipſa in hominibus improbamus quod maximè placet, & approbamus quod maximè diſplicet, ſequentes nō quod eſt in illis, ſed quod eſſe nobis vanè perſuaſimus, fallacibus argumentis & ſuſpitionibus adducti. Vides quò nos inſcitia perducat. Quòd ſi natura omnium cogitationes in aperto eſſe voluiſſet, et cor hominis (vt quidam optauit) in fronte collocaſſet, hæc tam abſurda vitaremus: nullus eſſet fraudibus & inſidiis relictus angulus, cui ſe improbi committerent, nullus receſſus. Nunc autem vnum quid gerimus in intimis cordis penetralibus, quò adire non licet, aliud lingua nuncupamus, frontecꝫ promittimus. Cecidit fides, ſimplicitas, verecundia, recta viuendi norma: horum loco ſimulatio diſſimulatiócꝫ ſucceſſit, adeo vt inter cariſſima queqꝫ nomina verſetur: nam nec ſatis fidi filij parentibus, nec filijs parentes, vxórqꝫ blandula marito perniciem ſtruit, & frater circunuenire dolo fratrem aggreditur. Cor igitur latens & intus occluſum indicat temerariam, nec ſatis diligentem fuiſſe humani corporis fabricam; ſic enim ignoramus aliena conſilia, quæ maximè

ſalutis tuendæ cauſa noſcere expediebat. Illud etiam abſurdè habere videtur, quòd virtutes a vitijs tam tenui diſcrimine plærunq; ſeparantur, vt alterũ pro altero fallat. Quàm contigua ſunt metus & cautio? & quàm penè indiſcreta? ergo cunctabundũ virum alij meticuloſum, alij cautum vocabunt, quorum vnum virtutis, alterum vitii eſt nomẽ. Erit aliquis cultu & victu modicus, ſordidum hi, alii frugi hominem nuncupabunt: ſunt enim finitima, & de aſpectu quaſi cognata, ſordes & frugalitas, ideo hæc iudiciorũ varietas ſuboritur. Superſtitionem a religione diſtinguere difficile eſt, propterea quẽ tu pro ſuperſtitioſo inclamabis, alius vt religioſum defendet. Eodem modo quem tu pertinacem dices, ego conſtantem: quem temerariũ, ego fortem aſſeuerabo. Culpabis quendam, vt crudelem, coram multis: hic ſurgens e cœtu aliquis malè a te culpari crudelitatem hominis aſtruet, quũ ſit ea iuſto nomine ſeueritas. Cõtra diſſolutè aliquid iudicatum criminaberis a ſenatu vel principe: hic non dicã cum externo, ſed cum fratre forſitan tuo, qui in eiſdem tecum habitat ædibus, cum quo tibi omnia ſunt cõmunia, erit contentio, quum audies clementiam illam ſummis ab eo laudibus celebrari. Multa ſunt eiuſmodi, ſed nolo eſſe longior, quia iam intelligis, quòd natura virtutum & vitiorum fines confudit ſimilitudine & vicinitate, vt facile ſit ex alteris ad altera tranſeunti propter breue & anguſtum interuallum, falſum rei geſtæ nomen imponere. Quid ergo (inquiet aliquis) a virtute vitium nõ diſtat? diſtat, & plurimum quidem, ſed vtinam ſemper cognoſcatur: quædam tamen tam manifeſtam habent diſſimilitudinem, vt latere non poſſint, ſed ea non officiunt propoſito ſermoni, propterea non deſino optare, vt ſemper cognoſcatur: nam quandoq; cognoſcitur. Nullus enim tam ſui impos, vt eum, qui imprudens eſt, prudentem putet, ita eſt: nam perſpicuè prudentiæ repugnat imprudentia, hæc facile dignoſcere: ſed adeſt malitia, quæ prudentia vult eſſe, nec eſt: ne malitioſum igitur hominem vt prudentem habeas, id extimeſcendum. Eſt impius aliquis, deorũ contemptor, expilator phanorum, non metuo, ne quiſpiam religioſum hunc vocet, niſi vt irrideat: non enim impietas affectat videri religio, ſed ſuperſtitio: quamobrem ſuperſtitioſum virum multi pro religioſo habuere: ſimilis eſt enim ſuperſtitio religioni, non natura, ſed fallaci ſpecie. Demum hoc intelligi volo, quòd, quum virtuti duo vitia opponantur, vnum, quod apertè contrariũ eſt, alterum, quod, quoniã in confinio verſatur, ſimulat virtutem: illud, quod apertè contrarium eſt, nemo non videt: alterum ſæpe fallit proximitate. Hoc eſt illud quod contentiones excitat etiam inter eruditos, & iudicia confundit. Hinc de Catone inter Cæſarem & Ciceronem diſſenſio: laudat iſte, ille vituperat: quod fieri poſſe exclamandum eſt, primum ſtupore, deinde indignatione. Adeóne confuſa eſſe omnia, vt vitium quoq; virtutis inducens imaginem ſurrepat pro virtute? non variat res geſta, variant duorũ ſententiæ: eidem facto vterq; diuerſum nomen ex proximo imponit. Comparatio etiam in iſtis gignit obſcuritatem: fortis enim ſi ad timidum comparetur, audax videbitur: ſi ad audacem, timidus: liberalis quoq; ſi ad auarum cõparetur, prodigus: ſi ad prodigum, auarus videbitur: eodem quoq; modo de aliis. Hinc fit etiã vt extremi certent de media regione, & eam ſibi vendicent: eſt enim (vt per eadem exempla gradiar) liberalis inter prodigum & auarum, fortis inter timidũ & audacem medius: ſed liberalem prodigus ſe putat, vbi ſe auaro: auarus, vbi

prodigo

prodigo comparauit. Similiter & qui timidus eſt fortem ſe opinatur, vbi ſe contulit audaci: & audax fortis ſibi videtur, vbi ſe ad timidum expēdit. Et de virtutibus quidem & vitijs ſatis dictum ſit. Moleſtè modò ferebam aliorum conſilia, voluntates, geſta ignorari. Quid? quòd quæ facimus ipſi, quomodo, aut vnde fiant, & qua ratione, ſæpius neſcimus? veluti hoc de ſomno, quē quotidie induimus: quis ſcit vnde in nobis exoriatur? quid eũ faciat? vel detineat? circunſpiciendus eſt vir doctus, a quo id diſcamus. O præclaram ſcientiã, quũ oporteat me rogare alium, quomodo dormio, quaſi de illius ac non de meo ſomno quæram, & tamen quale auferam reſponſum ab hoc docto? Narrabit mihi vapores neſcio quos ad cerebrum elatos, & refrigerationes quaſdã cordis, & alia perplexa atque ambigua, quę non modo ego rudis, ſed vix ille narrãs intelliget, adeo vt me, vel irrideri, vel de ſomno ſomnia narrari credã. Quotus quiſque eſt hominũ, qui ſitum, figuram, diſpoſitionem, colorem, vim internorum viſcerum, ſine quibus vita non ducitur, norit? quaſi in alieno illa ſint corpore, & non proprio. Sæpe dolet illorum aliquid, & tamen quomodo affectum ſit id, quod dolet, & quid dolorem in eo faciat, ne medico quidem opem pollicenti exponere valemus. Interroga mulieres, quæ in vtero fabricant fœtum, quod illic primum effingant membrum, quod ſecundum, quod tertium: nullam reperies, quæ tibi id dicere audeat, res relegatur ad philoſophos, qui nunquam vterum geſtarunt: & memini hoc quandoque agitatum in multorũ cætu me audiente, diuerſis diuerſa cenſentibus. Primus aſſerebat lumbos in corpore ante omnia fabricari, tanquam in naui carinam. Secundus caput in quo principatus ineſt totius animantis. Tertius cor, vt in quo venarum arteriarúmque principium. Quartus vmbilicum, quòd ſit centrũ corporis. Non defuit quintus, qui craſſiorem pedis digitũ diceret. Quis horum veriora cenſuerit incertum eſt: fieri etiam poteſt vt nullus, adeo vt ſexto poſſit eſſe locus veræ ſentẽtiæ promendę. Res ignoratur a fabris, id eſt a mulieribus, intra quarum officinam fingitur animal, déque earum ſanguine: ergo cæterorũ vanum iudicium expectare vaniſſimum eſt. Sed quid dico mulieres ignorare, quomodo intus formetur puer? quum ne affirmare quidẽ valeant, an puerum ferant, propter multarum ſubuentaneos vteros, informéſque alios & prodigioſos fœtus, quos tædet referre. Itaque illarum increbuit ſermo, ſe tunc ſecuras de filio, vbi inter vlnas iam conſtrictus tenetur, non antea. Et his ſtantibus credet quiſpiã homines ſcire poſſe aliena & externa, quum interna & propria penitus ignorentur? Sed quid cæteras noſtras ignorationes colligo? quũ ipſa vita, qua nihil carius, & propter quam cara ſub reliqua, nihil incertius. Nemo nouit, quouſque permanſura ſit, quando, vbi, quomodo finiatur: quis non dico annum, nõ menſem, ſed quis craſtinum tutò ſibi poſſit polliceri? imo veſperam? quandoquidem multi expirauerunt ſubitò nullis euidentibus cauſis: hic dum progredi cogitat in publicum, ille dum tabellas obſignat, alius dum in cæna placentam appetit, & alius dum aliud quid facit, vel forſitan non facit, quia dormit, adeo vt de leni quiete in ferreum (vt poëtæ loquuntur) tranſiuerit ſomnum. Quin nec finitæ quidem vitæ certas vllas eſſe notas aſſeruit vir magni nominis Democritus, quem ne mentitum putem, exempla faciunt multorũ, quos traditum eſt adhuc viuos rogo illatos, & alios quidem relatos, alios minimè, præualente flamma: ob eámque rem celebris factus Aſclepiades medicus, qui

ætate Pompei magni floruit, quòd, quum ignoti hominis funeri occurriſſet, intellexit viuere eum qui efferebatur, referriq́ iuſſũ ſeruauit. Videtúr ne igitur rectè diſpoſuiſſe natura, quæ, tanto inter vitam & mortem iniecto interuallo, non tamen certa eius rei nobis argumenta reliquit? Sed de ignorationibus noſtris, tanquã nimis ſint manifeſtæ, ceſſo dicere, hoc ipſum non ignorans plura his adijci poſſe. Quoniam verò de hora mortis incerta incidit ſermo, expatiari circa hoc latius ſtatui, accuſando, vt cœpi. Nã ſi moriẽdũ erat hominibus, videtur illud ſaltem inſtitui debuiſſe, vt quò quiſq; ætate eſſet prouectior, is ordine primus occideret: hũc ſequeretur alius, qui huic eſſet proximus annorum ſerie, vel potius qui eadem ætatis ſpatia impleſſet, atq; ita deinceps res duceretur: non autem, vt nunc fit, non modò intẽr externos, ſed in pluribus fratribus, vna in familia, qui prior vitam hanc fuerit ingreſſus, exeat vltimus. Ex quo etiam contingit humanę ſortis inæqualitas, vt iſte parum, ille diutius viuat. Videmus ſæpius ſumma omnium indignatione iuuenem quẽdam admirabili ſpecie egregijs viribus ornatum efferri ad tumulum: ſenem autem alium Deucalione antiquiorem, qui parum audiat, nihil penè videat, incuruũ, tremulum, edentulum, cui nihil iam ſit in vita dulce, longam ætatem ſuperuiuere. Hoc vbi accidit, arbitrantur homines id fieri pręter naturę curſum, quẽ ipſa natura tueri debebat. Patres ſæpe filios ſepeliunt: id tam cõtrouerſo fato fieri exiſtimant, quàm ſi flumina retro fluerent. At in ætatum tam diſpari curſu natura iuuentam viribus, ſenectutem prudentia armauit: cur non additum eſt alteri, quod altera habet? iuuentuti non vires modò, ſed prudentiam dediſſet: ſenectutem quoq; non prudentia ſolum, ſed viribus pariter ornaſſet? id enim eſt præſtantius. Si enim tam anguſta eſt copijs natura, vt partienda ſint illi munera, & tãquam diſpenſanda cautè, adhibito modio & menſura, rectè alterum alteri diſtribuit, quum vtranq; vtriq; impartiri non poſſet: ſin maximæ ſunt eius & infinitæ diuitię, quas etiã ſi eroget omnes, nihil illi detrahatur, cur alterum altero carere voluit? An quia in eos, quos cõdiderat, tenacem & reſtrictam eſſe oportuit? Conqueror quòd in ætatibus natura robur a ſapientia diſiunxit, nec vtraq; ſimul copulauit: grauior illa querela, quòd inter homines quoq; hæc duo ſumma bona, potentiam & ſapientiam, voluit agere ſeparatim: & alios quidem potentes, alios ſapientes effecit, origo & fons malorum ferè omnium. Nam ſapientia deſtituta potentiæ viribus reliquo hominũ generi redditur inutilis, quum perficere opere nequeat cogitata: potentia verò orbata ſapientiæ lumine peſtifera eſt. Si quando autẽ magna potentia & ſumma ſapientia in idem venerunt (raròid quidem contigit) magna depulit mala, & multorũ extitit cauſa bonorum, eáq; gens longè fortunatius vixit, ideſt ſibi ipſi amicius, & erga exteros glorioſius, Deóq; acceptius. Quod autem frequenter nunc accidit, vt potentes careant ſapientia, & ſapientes potentia, tam abſurdum videri debet, quàm ſi in magna hominum multitudine, diſtributis inter eorum quoſdam fabis, videas eos, qui dentes habent, carere fabis, & qui fabas habent, carere dentibus: vtrum id ordine contigiſſe dices? nõ arbitror: quòd ſi non hoc, ne ſuperius illud quidem. Nam potẽtes qui carent ſapientia, habent dentes quidem, ſed fabis carent: ſapientes verò, qui carent potentia, ſunt illi in fabis, ſed carent molaribus. Dixi antea cor in homine latens indicare non ſatis ſolertem humani corporis fuiſſe ſtructuram: at iſti ijdem naturę

accuſatores

accuſatores amplius contendunt, aſſerentes hominẽ ſecundum vtranq; ſui partem malè compactum, tanq; illum natura oderit, ſicut priuignum iniuſta nouerca. Nam animum varijs agitari procellis, quum nullum ferè elabatur tempus, quin aut ægritudine tabeſcat, aut metu deprimatur, aut inflammetur iracundia, aut exæſtuet libidine. O quanta illa bonis etiam viris impendet ſolicitudo? qui ſibi aſſiduè bellum aduerſus vitia propoſitum vident, in quæ hominis propendet affectus, ne ab ijs quãdoq; ſuperentur: quotidie ad pugnam laboris periculiq; pleniſſimam procedendum eſt. Non ceſſat agitare animũ internus quidam corporis motus rapiens ad obſcænas voluptates, & pulchrorũ corporum complexum: hic domeſticus hoſtis ſemel expugnari non poteſt, ſed deiectus, velut alter Antheus, fortius reuireſcit, quia ex terrenis cõpacti membris fieri non poteſt, quin terram tangamus. Videndum eſt inſuper vigilanti mentis acie, ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo verſatus, ne ſe tenebrę alicuius erroris offundant: quia pernicioſum eſt & graue, quod bonũ eſt, malum: & quod malum, bonum credere. Quomodo prouidendum eſt etiã, ne ab agendis metus reuocet, & in fugienda cupiditas immittat? hic feruidi, illic ignaui, quum contra, hic ignauos, illic feruidos eſſe oporteret. Quid acceptæ iniuriæ dolor ad vlciſcendum prouocans, qua vi, quo mentis robore fræenandus? quoties oppugnat, nec expugnatur? At quod & quantũ prælium excitatur inter epulas & vina? non dico cum externis, ſed nobiſcum: nam quod ſaluti eſt ſatis, voluptati eſt parum: parcitas cibi atq; potus ſtat pro ſalute, largitas pro voluptate: & in hoc prælio, quo inter ſe ſalus voluptaſq; contẽdunt? ſurdus venter ad præcepta ſalutis, pro voluptate calculum ponit, cui fauet, & gaudet ſe viciſſe ea victoria, quæ vincenti malũ eſt allatura: ſed voluptatis illecebræ non facile reſiſti poteſt. Spes etiam lucri alicubi oſtentati, quãuis turpe & indecens ſit, cuius tamen animum non fodicat? nã ſtatim illa ſpecies obuerſatur, poſſe nos de eo vel maiores parare ad vitam copias, vel moleſtum creditorem dimittere, vel inopiæ iam iámq; aduentãti occurrere. Hic quædã colluctatio exoriatur neceſſe eſt in ſapientis animo, qui, vt nõ vincatur tot vitijs vndiq; inſultantibus, ſolicitus eſt tamen, quia vinci poteſt: videt enim ſubdolas vitiorum deceptiones multis magniſq; viris affuiſſe: occurrunt nõ leuia exempla eorũ, qui quum priora rectè præſtitiſſent, extrema tamen non rectè præſtiterunt. Sed quã ſuſpecta nobis debeant eſſe omnia, hinc facile apparet, quòd cauendum eſt etiam in rebus præclariſſimè geſtis, & ex ſententia fluentibus, ne ſurrepat animi elatio, gloriæq; cupiditas: quod fieri vix poteſt, tum ob eũ, quẽ natura vnicuiq; ingenuit, amorem ſui, tum verò quia, quum ipſe teneat ſuperiorem locum ob virtutem, difficile eſt in excelſo conſtitutum non aliqua afflari ambitionis aura, cæteros inferiori loco cernentem. Hic premendus eſt intumeſcens animus viriliter, nec tamen vſq; eò deijciendus, vt omnis impetus & alacritas ad virtutis curſum frangatur, ſed moderatio quædam adhibenda inter nimium & parum, quam non modo in hac re, ſed in aliis plurimis tenere vtile: ſed vt teneatur, raræ cuiuſdam eſt virtutis. Maxima certè & præclariſſima omnium potentia, qua admirabiliter quis potens eſt pro ſe ipſo contra ſe ipſum: ſed paucis contigit, ac ne hi quidem, quibus contigit, quieti, laceſſentibus aſſiduè vitiorum monſtris, quibus Herculeo more domandis inſiſtendũ eſt. Vides iam, qui animorũ fluctus? quantæ cõmotiones? nullum his fretum,

nullum

nullum euripum confero: huc vocat ambitio, illò detorquet auaritia, aliò trahit voluptas, hoc metuitur, illud expetitur, aliud relinquitur. Adeſt altera ex parte ſapientia magnis inſtructa præceptis: caue, inquit, ne in eo, quod malè delectat, oculum vel cogitationem figas, ne improbum vel indecens verbũ libenter audias, ne tale quid ipſe loquaris, ne facias, quod non licet, etiã ſi libet: demum hæc tene, illa abiice, hæc mirare, illa neglige, alia diſſimulanter tranſi, fuge, inſequere, lauda, vitupera, extenua, adauge. Hæ non agitationes animorum maximę? hæ non vaſtiſſimæ procellæ? quæ inquies eſt, ſi hæc quies? quæ ſolicitudo, ſi hæc ſecuritas? vt enim lubrico vel inſidioſo euntibus itinere neceſſe eſt ſemper metuere & anxium eſſe, ſic in vitæ huius excurſu, tot offenſionibus, tot periculis propoſitis. Iſtud præterea moleſtiſſimum, quòd variis illudimur rerum imaginibus, quæ vltro adſunt inuocatæ. Volumus cogitare quædam, & alia quædam nolumus: fit, vt vtrunq; contra, quàm fuerat propoſitũ, experiamur: nã hęc veniunt in mentem, illa non ſe oſtendunt. Conamur quãdoq; redire ad id, quod cogitabatur, dimiſſo eo, quòd in pręſentia cogitationi ſubiicitur, ne id quidem ſuccedit, ſed hoc inſtat, illud non redit, aliud pro alio occurrit: non eſt deniq; iuris noſtri cogitatio, quin ad irruentes vndiq; ſpecies cõmoueatur: arripimur cogitando, velut in æſtu maris, hinc atq; inde, & tempeſtate tollimur in aliud atq; aliud. Simili quoq; lapſu in memoria laboramus: nam conantes eruere de eius penu quædam, illa etiã longius abeunt retro, & ſuccurrũt alia, quæ petebat nemo: & forſitan illinc ad paucos dies ea, quę prius quærebantur, non petita ſponte prodibunt, dum aliorũ fieret inquiſitio ad recordationem, ita vt de illis dici quoq; poſſit, non inuenta fuiſſe, ſed reperta. Quæ igitur hæc eſt fabrica animi? ſi huius cogitationi & memoriæ occurrũt ea ſæpius, quæ tractare negligit vel horret, & refugiunt ea, de quibus ſolicitus eſt: de cuius etiam viribus quis ſibi tutò aliquid polliceri poſſit? Plures exiſtimauerunt ſe poſſe reſiſtere ventris libidini, epulæ appoſitæ non reſtiterunt: plures aduerſus auaritiã videbantur ſibi magis fore indomabiles, quã Aiax fuerit ferro, æs concrepuit, capientes iniuſtum lucrũ ipſi magis capti ſunt: plures putarunt aduerſus dolores ſe bene paratos, nec vlla tormentorũ vi adduci poſſe, vt retegerent arcanum, vix eculeus in conſpectu fiat, & plura tamen illi, quàm quæ norant, effuderunt: rurſus alii perdurarunt inuicto animo contra illa omnia, quum metuerẽt ſibi, & viribus ſuis diffiderent. Tantus implicatur error humanis mentibus, vt plerunq; homo putet ſe poſſe, quod nõ poteſt: aut non poſſe, quod poteſt: & tamen virium noſtrarũ non ſatis peritos tot & tam duris certaminibus natura obiecit. Et de animis quidem humanis, qui vehementius, & tam variè concutiuntur, hæc dicta ſint. Quantum verò ad corpus attinet, & colore, & odore, & ſplendore, ſuperamur a ſurdis, & ſenſu carentibus rebus: nam mollior in colore roſa, & in odore viola, in ſplendore flãma. Quid ſi ad beluas comparemur? illæ certè ſunt non parum inſtructiores: noſtrum enim genus robore leones, velocitate tigres, leuitate aues, oculorũ acie aquilæ, ſagacitate narium canes, auditus acumine lepores, ſpatio vitæ corui antecedunt. Quid verò ipſum corpus nudum atq; inerme deſtitutum fuiſſe? quũ cæteras feras natura texerit atq; armarit. Habẽt illæ ad ſui ſalutem armorũ vice cornua, vngues, dentes, aculeos, ſpinas, roſtra, veſtiuntur pilis, pluma, corijs, vellere, ſquama, cruſtis, cortice. Homo autem ſine veſte & armis inducitur in

citur in vſum vitæ huius: tantúmq; abeſt,vt ea habeat,quæ ferę,vt illarũ pellibus,& velleribus veſtiatur,atq; ita indumẽtis ferarum vtitur,pro ſuis. Nihil autẽ horũ defert ſecum naſcendo: num dicemus id cõtigiſſe,quia homo poſtremus omniũ animaliũ editus eſt, ideo nõ habuiſſe naturã, vnde illũ tegeret & armaret,cęteris donis in feras erogatis? Fabuloſa hęc ſũt de Prometheo olim tradita,quæ ad naturã referre nõ cõuenit:quæ enim tãta vis fuit, vt exhaurire potuerit eius opes,vt deinceps nequerit eadẽ homini prębere,quæ cæteris animalibus? vel ſi id in cauſa fuit,cur nõ princeps omniũ in lucẽ venit animal hoc, cęteris imperaturũ? Nũc autẽ in tãto eius regno videmus infirmiſſimũ eſſe omnium & imbecilliſſimũ:nihil profectò tam miſerandũ,quã videre hominẽ natali ſuo die primum in lucẽ exeuntem,neutiquã purum,ſed multo tabo & ſanguine fluentẽ,vt cæſus potius & iugulatus,quã genitus videri poſſit:nudũ præterea in nuda humo iacentẽ,nullius rei cõpotem,niſi fletus:hoc enim ſolũ per ſe agit,auſpicio haud quaquã fœlici,vt qui vrbẽ hãc humano generi cõmunẽ lachrymans ingrediatur: nam riſus ante quadrageſimũ diem nulli contigiſſe fertur: præſagiunt enim quodã modo,quantis tum animi, tum corporis malis vita hominis circũſepta ſit. Et quoniam beluarum ſtatum humano cœpimus comparare,non omittendum,quòd beluæ,naturæ ipſius impulſu,non niſi in diuerſi generis animalia ſæuiunt,ſuis parcunt: etenim,vt ait ille in ſatyra,

Eſt iam ſerpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? Quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: ſæuis inter ſe conuenit vrſis.

At homini ex homine maiores inuehuntur calamitates nõ modo, q̃ ex beluis, ſed q̃ etiam de reliquis rebus omnibus. Eſt enim illi libido nocendi in ſimile animal,nec eiuſdem figuræ communione a nocendo,ſicut beluæ,terretur: ita vt videatur natura hac quoq; in parte minus homini contuliſſe,quæ affectum alteri homini nocendi nõ ſuſtulerit, quod in reliquis animantibus fecit. Negaturũ te nõ arbitror circunſpicientẽ hæc & alia plura,quæ vitę vſus affert,quin homo miſerrimũ ſit animal,magnis expoſitũ ęrũnis ſecundũ vtranq; ſui partẽ. Quot enim mihi dabis,qui cõſtãter valuerint animo & corpore? facilius hos numeraueris,ſi qui ſunt,q̃ Thebarꝫ portas,aut Nili hoſtia. Id autẽ contingit, quia tranquillitas animi,& corporis ſanitas in quadam tẽperie a natura poſita & collocata fuerũt,hæc humorꝫ,illa affectuũ:tẽperies autẽ limitibus certis circunſcribitur quos vno tantũ implere poſſumus & cuſtodire modo,tranſgredi pluribus. Sicut a lineæ rectitudine aberrare multipliciter poſſumus,& obliquas multas effingere diuerſis figuris,quũ ipſa recta vniuſmodi ſit,& difficulter,adhibita etiã peritia,impleatur. Sic ẽt magnum eſt boni ſagittarij more attingere ſignum,in quod iaculamur: nam nõ attingere cuiuslibet eſt,quia,vt attingas,vnus tantùm locus ꝑpoſitus,ne attingas, infiniti. Similiter quum vna æquabili humorꝫ tẽperatione & quadã quaſi rectitudine corpus bene valeat, efficitur vt malè valeat multipliciter: quum ab illo vno ſigno tẽperationis faciIlimè excidatur. Etenim in omni rerum genere,quod optimum eſt,id vnum eſt: vitioſa verò plurima ſunt:quod etiã hac in re,de qua agitur,ipſis indicatur vocabulis, Nam ſanitas vnum nacta eſt hoc vocabulũ,quod modò ꝓnuntiaui:

at morborꝝ innumerabilia nomina, nec pro nominibus quidem eſt numerus: nam nonnulli adhuc manſerunt ſine nomine: plures etiã cateruatim vno nomine nuncupantur. Idem in animũ transferre licet, qui tranquillus eſſe, & (vt ita dicam) ſanus vna ratione poteſt perturbari multis, adeo vt perturbationũ ipſarum, etſi plura ſint, nõdum tamen omnium inuenta putem nomina. Intelligis (vt opinor) iam, cur homines frequenter incidant in animoꝝ perturbationes, & corpoꝝ morbos. Magna enim eſt extremoꝝ latitudo, ipſum autẽ medium anguſtũ; quod difficile eſt primũ noſſe, deinde tenere atq; cuſtodire. Hippocrates medicę artis princeps, ita ad verbũ profatur, Labor, cibus, potus, ſomnus, venus, hæc omnia mediocria. Hęc ille ꝑcepit his, qui ſanitatẽ corporis tueri cupiunt, ſed facilius eſt in iſtis in aliquod extremoꝝ incidere, quã tenere id, quod nec nimiũ ſit, nec parum: id enim eſt, quod dicimus mediocre: pręſertim quum nõ vnus corpoꝝ omniũ ſit ſtatus, ſed quod vni ſatis erit, alteri nimium fuerit, vel parũ: nec adeo prudẽs eſt quilibet in notitia ſui corporis, vt exactè teneat, quæ ſint illi proſpera, quæue aduerſa: ipſi medici, qui hoꝝ ſcientiã profitentur, nõ minus ægrotant, quã cæteri, nec magis perueniunt ad ſenectutẽ. Eſt ſanitas veluti media quædã inter plures potẽtia, quæ etiã mediocritate actionũ gubernatur, ita vt nihil vehemens adeſſe debeat in alterã partem: vbi id cõtingit, tunc morbi exoriuntur, qui tyrãnidem in reliquũ corpus exercent, propter eoꝝ vim immoderatam, quã ſibi de internis auxilijs vel externis ſumpſerunt. Quæſitũ aliquãdo memini, cur ſi duo alterutro ſe cõtueantur aſpectu, quoꝝ vnus ſanos, alter lippientes habeat oculos, lippus beneualentis oculos lippitudine ſua corruperit, ſanus autẽ lippi oculis ſanitatẽ ſuã nõ importat. Hoc ex his, quę dicta ſunt, diſſoluitur: nã recta valetudo tẽperato eſt habitu, continétq; ſe intra modũ quendã: vitium autẽ corporis exuberat, & veluti immodico quodã torrente humorũ ſuperfluit. Ideo lippitudo tanquã res vehementior vitiat ſanos oculos alterius: ipſa autẽ ab illis nihil iuuatur. Reddita eſt quęſiti cauſa, nõ ideo tamẽ fit, quin rem ipſam deteſter: nõ enim natura omnipotens ipſa & immortalis rebus & cauſis trahitur a ſe factis, ſed cũcta illa trahit, vt vult: omnia ad nutũ præſtò ſunt. Hoc non modo valet hac in re, ſed in reliquis quoq;, quæ dicta ſunt, ne putes effugere te poſſe crimina reddendis huiuſmodi cauſis, quæ nõ cauſa fuerũt, vt res fierent, ſed res factas ſubſequutę ſunt. Illud dicendũ eſt tibi, ſi voles quidquã proficere, cur viſum naturæ fuerit res melius ſe habere & pulchrius, ſi habeãt ſe, vt nunc habẽt, quã cõtrario, aut alio diuerſo modo. Veluti ſi accuſem naturã, quòd caput, in quo noſtra ſunt omnia, fragile fabricarit, & cuilibet offenſioni obnoxiũ: firmitatẽ autẽ dederit maiorẽ pectori & lacertis, quæ inuiolata eſſe noſtra minus intererat. Si dixeris id contingere, quia caput oſſibus paruis cõpingi debuit ad ſenſus retinendos: hac re effectũ fuiſſe, vt ad quẽlibet lapidis ictum diffringatur: putabo te nihil reſpondiſſe, quia ſi hoc ſemel naturæ inſediſſet caput fabricare infragile & firmũ, hoc ipſum præſtitiſſet, adeo vt nihil læderet: nihil eſt enim, quod vniuerſam naturã cohibere poſſit, ne propoſitũ teneat. Quamobrem oſtendendũ eſt tibi elegantius fuiſſe & vtilius, quòd frangatur caput, & facilius humeris & lacertis, quã ſi inuiolabile præſtitiſſet, idq; prouida naturæ ratione ordinatũ fuiſſe: id ſi oſtẽderis, vinces: interim firma maneat accuſatio, donec diluas crimen. Hoc eſt illud, in quo Anaxagoram improbat Plato, quòd quũ ita exorſus eſſet, Simul omnia erãt: Mens ea diſtinxit & ornauit. progrediens poſtea ſermone, reddendis cuiuſq;

rei cauſis mente nihil vtitur, ſed ad elementa, eorúmq; mixtiones, cõmutationes, proprietatéſq; confugit. Abſurdum id quidem relicta meliori cauſa, cuius gratia quidq; fiat, perſequi in quo, & quomodo fiat: licet enim quod opere quærimus, poſterius ſit ipſo opere, vltimóq; capiatur, primò tamẽ occurrit artifici, illúmq; cõmouet ad faciendũ. Sicut portus is, qui petitur, quãuis longè poſitus, occurrit primò cogitationi, ad nauigandũ impellens, nõ ipſa nauigatio, quæ ſub oculis eſt. Ergo quũ id, propter quod quid fabricatur, ſit prius tempore & potentia, id exquiri magis debet, quã quæ & qualis ſit ipſius fabricæ textura & cõpoſitionis ordo. Anaxagoras (vt dictũ eſt) hanc rerum diſtinctionem & expolitionẽ, quã videmus, non fortunæ, non neceſſitati, vt plæriq; alij, aſcripſit, ſed menti, quã & præpotentem & ſynceriſſimã nuncupabat: ob hácq; præclariſſimã ſentẽtiã, quã ille prior videtur intuliſſe, vulgo Mens cœptus appellari. Hanc eius ſententiã video nõnullis etiã veteribus placuiſſe, & nos libentiſſimè ſequimur, vtpote ſacræ conſentientẽ hiſtoriæ, quã de origine mundi habemus: itaq; contentione hac in parte non eſt opus. Si igitur cum Anaxagora mundanæ fabricæ mentem diuinã præponimus, vt par eſt, nõ debemus deinde in reddendis cauſis eam deſtituere, quod ille fecit, ſed cogitãdũ, quòd, quum ſit optima, optimi gratia vnũ quodq; inſtituerit, & iſtud in primis exquiri oportere: deinceps ſupponere materiã menti inſeruientẽ. Quod tamen Plato Anaxagoræ reprehenſor omnino non ſeruauit, ſed mentẽ neceſſitatémq; materiȩ ſimul miſcuit: quod enim pulcherrimum vidit eſſe & ordinatiſſimum, id menti aſcripſit, quã alij naturã intelligentem vocant: quodcunq; autẽ eſt deforme & vitii particeps, materiæ primȩ dedit, quæ intractabilis erat & adamentini (vt ſic dicam) ingenii, &, vt ipſe inquit, aliud ſuaderi nõ potuit. Hoc dicere facilius valuit, quia inter principia materiã repoſuit, quam etiam ȩternitate parem fecit Deo. Nos vnicũ principium tenemus, diuinam mentẽ, cui nullam neceſſitatẽ impingimus, licet neceſſariò futurum ſit, quod fore illa præuidit, nec materia impediri eius cogitationes putamus, quã ille condidit, & pro arbitrio effinxit. Qua in re differt ab homine artifice, qui nõ præparat ſibi materiã, ſed vtitur prȩparata, ideo eius vitiis reſiſtere nequit: vtrunq; autẽ indignum diuina mente, ſiue tractam dicimus arbitrio materiæ nolentem, ſeu vitioſam materiam ſponte delegiſſe: quum præſtet omnibus, dicendum eſt, quòd nihil condiderit, niſi ſpectans in quaq; re, quid eſſet optimum. Oſtende igitur melius fuiſſe hominibus, vt inciderent in varias animorum perturbationes, quàm ſi eoſdem placatos tranſquillóſq; habuiſſent. Ego qui nondum video, an id ſit melius, doleo tale quid contigiſſe. Similiter, vt ad id veniam, de quo modò agebatur, dolendum eſt: imo, poſtquã accuſare cœpimus pulſo pudore naturam, hoc quoq; accedat accuſationi, quòd morbos violentos genuerit, ita vt contagione lædant: bonam antem habitudinem ita fecerit tenuem & imbecillam, vt non modo ſalubritatem non tranſmittat in vicinum corpus, ſed vix ab imminentibus morbis, hoſtium vice inſultantibus, ſe ipſam tueatur. Quippe ſanitatem requirimns omnes tum ad vitæ functiones, quas planè morbi impediunt atq; auferunt, tum vt moleſtia careamus: angimur enim doloribus non leuiter. Hæc duo ſanitas vnico verbo complexa eſt, vacuitatem ſcilicet dolorum, & naturalem facultatem agendi, quæ vitæ vſus deſiderat. Nemo eſt, qui eam corporis conſtitutionem, in qua nec doloribus cruciamur, nec in vitæ actionibus impedimur, ſanitatem non vocet, nemo

qui non probet, laudet, expetat, votis omnibus requirat: quæ ſanè affectio
ad externos quoq; protenditur: hinc in epiſtolis ſalutem ab initio amicis dici-
mus, & extremo verbo valere illos iubemus, vel dare operam, vt valeant. In-
ſuper dum aduentantes peregre complexu excipimus, primis verbis, vſq; ne
valuerint, vel vt valeant rogamus: in digreſſu quoq; eodem vtimur verbo, va
lere inuicem iubentes. Hæc ſane indicant vtrunq;, & magnum id eſſe bonũ, &
fragile, quod aſſiduè pendet ab ore, & de quo tam ſoliciti ad alienos etiam ſu-
mus. Oportebat autẽ ſanitatẽ ſaxeam eſſe & ferream (vt ita loquar) propter
eius ſummam nobilitatem: nunc, quum temperato ipſa ſit habitu, intercipitur
ſæpe atq; auferitur morborũ immoderata vi atq; potẽtia. Hęc & his ſimilia per
noſcentes philoſophi veteres dixerunt generaliter, bonum eſſe finitæ naturæ,
malum autem infinitæ: adeo hoc latè patens & fuſum, illud anguſtum credi-
derunt: ſic efficitur vt hominũ vita in ſumma verſetur bonorum egeſtate, cir-
cum vndiq; ſe fundẽte malorũ copia. Nec vero hęc ita refellere conuenit, vt di
camus aduerſus animi & corporis morbos inuenta eſſe remedia, hæc a medi-
cis, illa a philoſophis. Primum quidem expediebat nulla potius eſſe mala, quã
vlla malorum oſtendi remedia: deinde quæ ſunt iſta remedia philoſophorũ?
poſſunt ne iſti ſermonibus ſuis euellere infixos penitus a natura affectus? per-
ficient vnquam, ne hominis doleat animus? cupiat? metuat? lætetur? Sed effici-
ant quodlibet: quanta illa erit infœlicitas, ſi tranquillè viuere ſine philoſopho
non datur? quum ille non ſemper adſit, &, vt adſit, ſæpius non vacat audire di
ſtento publicis vel priuatis negocijs: præſertim quum id hominum genus ver
boſum eſſe ſoleat, vt ocio inertięq; deditum: præter hoc quomodo rudis & in
docta multitudo argumenta illa ad tenue ſic elimata poterit ſubito perdiſce-
re, quæ docti vix poſſunt? An ita defendes naturam, vt mala omnibus pro-
poſuerit, remedia tantùm paucis eruditis pararit? Idem mihi ſermo aduerſus
corporis medicinam: imo longè acrior, quia ne illa quidem profitetur ſe omnes
morbos ſanare: & artem hanc nihil aliud eſſe, quàm coniecturam, nemo non
nouit: quandoquidem vno in ægroto diſſentiunt plures medici de morbi ori-
gine, vi, ſede: his autẽ obſcuris & incertis, dum remedia admouent, ne ipſi qui-
dem certò ſcire poſſunt, hominém ne ſeruent, vel perdant. Sed vel illud maxi-
mè imbecillitatem artis arguit, quòd plures a medicis deſtituti conualeſcunt,
occidunt alij, de quibus illi erant ſecuri, & incolumitatem latè pollicebantur:
plæriq; etiam reſtituti, qui contraria omnia medicorũ iuſſis præſtiterunt. Lon
ga eſſet oratio ſi pergam dicere, quàm parum hæc medicamenta ægros ſuble-
uent, imo quàm frequenter in cõtrarias partes recidant, quã tardè proficiant,
quantum cruciatum ſecum ferant, quomodo purgationibus ſuis inueterent,
& vitales ſpiritus exhauriant: demum, vt maius a medico ſit ſæpius, quàm a
morbo periculum. Sed, vt breuiter finiam, mirabor ſi quidquam in his reme-
dijs defenſionis tibi poſitũ putaueris, quæ tam periculoſa ſunt, tam lenta, tam
acerba, tam noxia. Quicunq; autem dixit legitimas partes illas eſſe medici,
vt tutò curet, vt celeriter, vt iucundè, is optaſſe potius videtur, quàm aut ipſe
id præſtitiſſe, aut cæteros docuiſſe, quomodo id fieri poſſit. Vellem equidem
hanc artem omnia poſſe, ac non ad ægrotos nutantia quoq; & ægrotantia præ
ſidia afferre: ipſe enim huius beneficij particeps quoq; forem: ſed, vt video, id
fruſtra eſt in votis. Audi quid de iſtis in Timæo Plato ſentiat. Ait enim mor-
borum rationem cum vniuerſo animalium ſtatu congruere: cunctis autem ani

malibus generatim,& vnicuiq; ſeparatim, viuēdi ſpatium fato circunſcriptum eſſe, vltra quod progredi non datur: eandem in morbis eſſe conſtitutionem, quos ſi quis in ipſo fatali curſu contendat medicorū purgationibus euellere, irritari eos & creſcere,& e malis fieri peiores. Quamobrem diligentia victus corrigendi ſunt (inquit) morbi & gubernandi pro cuiuſq; ocio & facultate, non autem difficile infeſtúmq; malum pharmacis inſtigandum. Hæc ſummus ille vir cenſet, cuius auctoritati ſi quidquam tribuitur, affirmandū vtrunq;, & naturæ imperio adeſſe morbos, & ad illorū expulſionem nihil in medicorū inuentis fore præſidij, quibus non eſſe vſas multas olim gentes,& ne nunc quidem etiam vti conſtat, ne vtendi neceſſitatē imputes. Ipſi medici, dum aduerſus hæc plurimum ſe proficere poſſe putant, aiunt ſe non eſſe naturæ dominos, ſed miniſtros: melius dicerent ſe fortunæ miniſtros: nā quū id, quod pro remedio datur, affirmare nequeant profuturum, quòd in vtranq; partem recidere poteſt, huius euentus fortuitus habendus eſt. Aiunt partes ſuas præſtitiſſe, ſi omnia fecerunt, vt ſanarent: at id ægroto nō eſt ſatis, imo ne medico quidem: nam niſi ſanet, quomodo medicus haberi poſſit, nō video: nam perpenditur in eo res, non profeſſio. Nullus vnquam a medico bonam ſanandi volūtatem in ſolutum libenter accepit. Adde quòd ipſis medicis, qui rationis partes tuentur, magna ſemper fuit, atq; hodie etiam eſt aduerſus Empiricos luctatio, qui ſolum vſum valere volunt, nec inquirendum putant, quid morbos faciat, ſed quid expellat,& ſæpius videmus ea effici ab iſtis, quæ illi rationales neutiquā efficere potuerunt. Sed ne ſint iſta: tollatur medicina ampliſſimis laudibus, quod periti viri & in dicēdo florētes facere ſolent: attamē medicinæ laudatio eſt morborū obtrectatio: nam quantò hæc prodeſſe, tantò illi nocere exiſtimabuntur. Nec beneficio tamen medicinæ fit, vt nulla morborū ſit iniuria, ſed vt quæ facta fuit, terminetur: nullum enim ius habet in præterita, ſed in futurum proſpicit. Quamobrèm non exhaurit hęc defenſio vniuerſam accuſationem: ſi quidē per eam non deſinant venire morbi, licet vbi venerint, quandoq; perimantur. Sana igitur natura dediſſet corpora in perpetuum: nam illorum conditio ſic eſſet pulchrior & ornatior. Nunc nō parua eſt deformitas & perturbatio: nam ſi pulchrum & ordinatum eſt corpus, vbi rectè valet, conſequens eſt, vt contraria patiatur, vbi contrario modo ſe habet. Illud quoq;, quòd modò ſani, modò ægrotantes agimus, præ ſe fert inæqualitatem valetudinis, quæ ſanè inæqualitas pulchritudini & ordini neutiquam coniungitur. Me miſerum, quòd in ſanis etiam corporibus ægrotamus, quod vix modò animaduerti, quia trahebar nominis ſono, quod fallit: non enim verè ſani vnquam ſumus, quanuis dicamur, ſiquidem corpora aſſiduè labūtur, & fluunt, & cadunt, niſi illis cibi atq; potus auxilio, & tanquam medicina quadā ſubueniatur. Cibo enim quicquid ſiccioris ſubſtantiæ effluxit reſtituimus: potu verò quodcunq; humidum euaſit reponimus. Hoc igitur, quòd alimentis egemus ad refectionē virium, indicat languida eſſe corpora, cōtumeliæ famis atq; ſitis obnoxia: quorū verborum violentiæ quia multi quandoq; mederi nequiuerunt, vel noluerūt, extincti ſunt. Quid de ſenectute dicam? quæ (vt comicus ait) ſola per ſe morbus eſt: a primo nanq; conceptionis ortu ad extremum vſq; diem corpus, quod e muliebri ſanguine & virili creatur ſemine, in quibus plurimū humiditatis ineſt, ſed longè plurimū etiā caloris, aſſiduè ad ſiccitatē tendit. Principio molle

eſt & tenerum: vbi autem duratum magis atq; magis validius effectum eſt, & ad ſummum incrementũ peruenit, oſſibus nimirum ob ſiccitatem minimè ſequacibus, reliquo tẽpore cunctis corporis partibus plus iuſto exareſcentibus, non ſolum vnum quodq; membrũ ſuo minus probe fungitur munere, ſed corpus quoq; ipſum gracilius macilentiúſq; redditur, deformeq; & rugoſum efficitur, artus quoq; ipſi inualidi fiunt, & in motu laborãt. Nec ſecus cõtingit nobis reliquiſq; animantibus, quã ſtirpibus, quæ ſenium quoq; incurrunt, vbi ſupra modum exaruerunt: demum intereunt, humore eo, quo radix vitæ tenetur, conſumpto: id quod animalia quoq; ipſa patiuntur. Et hæc quidem incõmoda nullum genitũ corpus euitare poteſt. Nec ſatis naturæ fuit breue vitæ curriculum dediſſe, niſi in poſtremis eius partibus vitium quoq; mẽbrorũ & imbecillitatem addidiſſet. Ceterùm cuncta animãtia infœlicitate ab homine ſuperari vel illud indicat, quòd illa morbos tantùm patiuntur corpore, & leuiores quidem etiã & pauciores, quàm ſint noſtri. Homo autẽ & corpore & animo morbos contrahit, qui victoria hac elatus poteſt deinceps ſecũ de vtriuſq; partis infœlicitate certare. Venit enim in contentionem vtrum pernicioſiores animi morbi, an corporis: qua in cõtentione animi morbi (quod nollem) facile vicerunt, tanquã duriores & inſanabiliores, vt qui ſenſum ſui facillimè eripiant ægrotanti animo, quo nihil poteſt eſſe deterius, quia tunc contingit remedia non modo nõ inquiri, verùm etiam oblata contemni. Quis iam poſſit dicere in hac morborũ collatione quoto infœlicitatis gradu homo beluas vincat: antea in duplo videbatur: ſed quũ animi morbi longè præponderent corporis morbis, alius numerus quærendus eſt, quem facile patior latere, ne nimis intentè omnia noſtra ſiniſtra inquirere videar. Nihil in humanis videtur homine ſapiente eſſe melius: attamen ne iſte quidẽ (ſi talis vnquã fuit) fœlix dici poteſt: primũ quia alijs potius ſapiens videbitur, quàm ſibi, quoniã, vt ſuadeat ſibi vera eſſe, quæ nouit, videt tamen infinitam eſſe ſcientiæ viam; nõ enim in vniuerſum cuncta nouit, ſed multa per partes: & nemo poteſt tanta arripere, creſcente paulatim veluti gradibus cognitione, quin eius ſcientiæ in dies aliquid adiici poſſit. Itaq; erubeſcet ille ſæpius de hoc nomine, ſi ſapientem audierit ſe vocari, quia ſi ſapientia aliqua ex parte cũ inſcitia iungi poteſt, ſapientia non eſt, & temere ſapientia nuncupatur. Deinde, vt iſte ſapiens liber ſit ab animi morbis, non tamen ſecurus eſt a corporis morbis, quos vt contemnat aduentantes, ob virtutẽ, num etiam furorem contẽnere poteſt, cui obiici a fortuna poteſt? vt enim in ſapientem non cadere inſipientiã, ſic in eundem cadere poſſe furorem perſpicuũ eſt: furore autem manente, ſapientia detrahitur, multa enim tunc agit peruerſè, fatuè, ridiculè, omni honeſto propoſito contraria, quæ cernentes homines lachrymas vix tenent, ac forſitan nec tenent, & in his tunc aliquis Plautinum illud ex Menæhmis exclamare cogetur.

Heu hercle morbum acrem & durum. Dij veſtram fidem.
Vel hic, qui nunc inſanit, quàm valuit paulò prius.

Si iſte tanto bono ſeptus non eſt tutus ab infœlicitate, quem alium facimus tutum? Demum quis tanta vnquã ſapientia præditus fuit, vt in agendo aliquando non labaſcat? non enim temere dictum eſt, quòd nemo mortaliũ omnibus horis ſapit. Ipſi philoſophi, qui de ſe diſciplinĩſq; ſuis multa arroganter profitentur, tamen illum ſuũ ſapientem, quem ſermonibus deſcribunt, nullius perſonæ aptare

næ aptare audent. ſapiens ab illis inducitur, quantũ fieri potuit, perfectiſſima forma, non quam in aliquo viderint aut cognouerint, ſed quam cogitatione perceperunt. Quod idem fit pariter a medicis: nam hi quoq; effingunt nobis idolum hominis ſani in vltima ſui ſpecie, ideſt qui optima ſit corporis habitudine, ita vt nihil deſit. Neminem autem talem fuiſſe fatentur, nec fore, ſed aliũ magis, alium minus ab illa temperatione excidere, & quò quiſq; longius ab ea diſceſſerit, eò deterius habere corpus, qui minimũ declinarit, eum rectè valere, nec dum tamen perfectam illi valetudinem contigiſſe. Ergo, ſi quæ in humanis ſunt perfecta, hæc ad inanes reuoluuntur ſpecies, quas cogitatione nobis depingere poſſumus, rebus & opere tenere non poſſumus, nõ reperies eas in vllius hominis animo & corpore ad ſolidum expreſſas fuiſſe, nec in poſterũ exprimentur. Multi defleuerunt quondam humanã vitam videntes eam omnibus iniurijs & contumelijs expoſitam hominum, temporum, locorũ, portum iſtarum miſeriarũ vocantes ſepulchrum: aiúntq; infœlicitatem hominis a matre ad matrem progredi, hoc eſt ab eo die, quo matris aluo elabitur, vſq; in eũ, quo iam lumine caſſos gremio nos ſuo condit tellus communis omnium mater. Sunt autem nõnulli veteres, qui vates crediti, ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore pœnarum luendarum cauſa natos eſſe dixerunt, ſimilíq; nos affectos eſſe ſupplicio, quo Hetruſcos prædones quondam vſos fuiſſe ferunt, & Virgilius noſter in Mezentium eorum regem tranſtulit, qui corpora viua mortuis, aduerſa aduerſis iungebat:

> Componens manibúſq; manus, atq; oribus ora,
> (Tormenti genus) & ſanie tabóq; fluentes
> Complexu in miſero longa ſic morte necabat.

Similiter noſtros animos cum corporibus, tanquam viuos cũ mortuis, copulatos infœliciſſimas pœnas dare, &, vt ille dixit, longa morte necari. Hęc etſi falſa ſint, non tamen abſq; ratione quadam excogitata illorũ recordatione, quæ homines ipſi vndiq; patimur & tolerare cogimur. Celebratior autẽ & vulgatior illa ſententia, quã ſapiens quidã pro magno munere Midæ regi obtuliſſe traditur, Homini optimũ eſſe non naſci: proximũ quàm citiſſimè aboleri. Nullius vita immunitatem a malis aſſequitur & eò malorum plenior, quò longior: ſicut in via longa multa aſpera excipiunt de cœlo & in terra. Ergo quum vita vel nulla, vel breuis appetenda ſit, vt ſi ſcienti daretur & recuſare valenti, videretur nemo accepturus fuiſſe, poſtquam tot ſepta calamitatibus proceſſit. Quomodo non hoc maximũ naturæ crimen? ſiquidẽ id condidit, quod reliquiſſe ſatius fuit: obijcitur enim non tam ſuperſtructio deformis & incõpta, quàm quòd ipſius operis fundamenta ruinoſa & malè materiata, & tanquam in arena ſine calce collocauit, adeo quòd vel inchoaſſe turpe fuerit, vt iſti aſſerunt, quorũ ſententias iam diu longioribus verbis exprimo, quia video eas facere ad perturbandũ pulchritudinem & ordinem mundi, quæ duo tantopere cõmendabas. Aiunt enim, O natura, quid pulchrũ homini, quid ordinatum dediſti? nonne fœda potius & perturbata omnia? Aſpice ſtationem noſtram, in qua humores inflant, ardores exſiccant, luctus affligunt, ioci diſſoluunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, paupertas deijcit, diuitiæ tumefaciant, ſcientia laborioſa, ignoratio dãnoſa, vitia blanda, virtus auſtera, vita fragilis amatur, mors certa timetur, quæ his tot & tantis malis poſtremò ſuccedit, va-

niſq; gaudijs ita finem imponit, vt quum eſſe deſierint, nec fuiſſe putentur. Congruentius igitur fuiſſet hoc animal deſertũ relinqui tua fœcunditate, quã iſto modo in lucem prodire. Hæc non iiſdem verbis, eiſdem tamen ſententiis iſti memorantes magnam ſibi vndiq; audientiam parant. Adderem præterea damnare pariter illos diſſonantiam vocum gentibus natura inditam, qua effectum eſt, vt homo alienæ regionis occurrens homini non poſſit ſe illi patefacere ſermone, ſed vterq; tanquam pecus mutum altrinſecus exiſtat. Sed quoniam animaduerto, quòd ipſe huic linguarum varietati valde faueres, & ea n ſuſciperes, tanquam præclarum ornamentũ, quia eadem res pluribus vocabulis poſſet efferri, & quia vnicuiq; linguæ ineſſent figuræ quædam nouæ & admirabiles ad oſtendendum aliquid & ſignificandũ, quæ dulciſſimæ eſſent intelligentibus: his autem qui non intelligerent, ſuccurri addito alio quopiam ſermonum interprete, quod etiam eſt pulcherrimũ ſpectantibus, quod vnuſquiſq; ſua lingua, ille autem melius vtraq; vtatur, & quod primus ſermonẽ tradit medio, medius tertio, rurſus conuerſo ordine vltimus medio, medius primo, atq; ita viciſſim res ducitur, ideo iſtud relinquo, teq; omni defenſionis munere libero: nolo te in iſtis, quam facillimè poſſes, effundere verborũ copiam, in reliquis habés ne vnde iſtis reſpondeas? MAR. Habeo equidẽ, atq; adeo abunde, ſi ipſe volueris, &, vt velis, peto. DIO. Quid ni velim? MAR. Formabis igitur orationem ſuperiori contrariam, eáq; me donaueris: ſic puto habuero te volente, vnde reſpondeam. DIO. Siccine ludis? etenim, quòd iſta nunc cõmouerim, in cauſa illud fuit, quia me illa antea cõmouerant, ſolicitum etiam diu habuerunt, ex quo adiutus ſum, vt omnia potuerim latius explicare. Multi ſuper iſtis muſſitant, aliqui non tacent, ſed quotidie pro illis me impetunt. Noſti enim hos Callimachos, quin ipſe adeſt Callimachus: vrgent aſſiduè, inſtant, aduerſus quos nihil proficio dicendo, quia imbecillis ſum, vel potius ſolus, tanquam a ſcientia deſertus. MAR. At, ſi talis eſſes defenſor, qualis nuper fuiſti oppugnator, ſatis eſſet. DIO. Siquidem poſſem: non enim cuilibet illud conuenit,

Vna manus vobis vulnus opémq; feret.

Facilior eſt enim deſtructio, quàm conſtructio, & leuior eſt labor frangere, quàm fracta reſtituere: diſſipare, quàm diſſipata connectere: hoc aiunt opus eſſe bonorũ, illud iniquorum, ideo iſtorum minor dicitur eſſe potentia, maior bonorum. MAR. At ſi tu aduerſus accuſationem tuam nihil potes, neſcio iam quo me vertam: nam nec ego habeo vnde ſatisfaciam æquiſſimę poſtulationi tuæ, perindéq; me habeo, ac ſi deberem pecuniam, nec præ inopia mutuũ poſſem diſſoluere: nam tunc mihi maximè diſplicerem, quia ferre non poſſem interpellantem creditorem, & vnde eũ dimitterem, non eſſet. DIO. Imo te locupletem video, & ſoluendo: ſed caue, ne diſſimulatorẽ putemus te, & malæ fidei debitorem, quod factum abeſt plurimum a tuis moribus. Præterea, quum ſermonis huius auctor & pater fueris, quomodo potes eum deſerere adhuc imperfectum? & manus tuæ extrema adhuc lineamenta expetentem? quomodo hunc cætum ferre poteris magno hinc cũ mærore diſcedentem, niſi pulchritudini ordiníq; mundanarum rerum pro viribus ſuffrageris? quę duo illi maxima cara habẽt, & admirantur? Tuum eſt profectò id munus: tu enim conuentum hunc indixiſti, & te in hunc ſermonem dediſti. Quamobrem ſi

taceas,

taceas,cauſam deſerueris ſuſceptam,cætúmq; ſimul intempeſtiuè diſſolueris. MAR. Ecce diuinam fortunam: nam,poſtquam iſta dixiſti,ſentio mihi fluere in pectus copiam quarundam rerum, quæ mihi forſitan fuerint præſidio contra hæc, quæ a te obiecta ſunt. DIO. Non auro te mallem abundare. MAR, Videor autem optimis auſpicijs rem exordiri poſſe, quia acerrima tua accuſatio finita eſt in defenſione naturæ,dum illam linguarum varietatem commendares: nuper etiam dixiſti leuem eſſe iniquorum hominum potentiam, qui tantum diſſipare poſſunt, & euertere, & corrumpere, licet de illorum potentia antea nimis querebare. Itaq; hoc optimi ominis loco ſuſcipio, quòd tu iam naturam cœpiſti defendere, ita vt a defenſione tua ad meam ſit tranſeundum: ſic enim facilior mihi tua opera factus eſt tranſgreſſus. DIO. Gaudeo id me tibi pręſtitiſſe,ſi ita vis,vel putas. MAR. Aggrediár ne iam rem? DIO. Omnino. MAR. Adhibe mentem. DIO. Adhibeo.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PVLCHRO LIBER QVARTVS.

DECREVERAM Igitur reſpondere, & verba iam penè ipſa expediebam, nihil minus timens, quã ad eam rem vllam mihi fieri moram: ſed expertus ſum veriſſimum eſſe hoc,quòd lis litem generat:item illud,quòd labor laborem adducit. Nam auditorum vnus proſiliens in medium intentiore voce, Audite (inquit) ſi placet, antequam vlterius progrediatur ſermo. Subſiſto, & expectantibus omnibus quid ſibi vellet,quæſiuit vtrum liceret diſputationibus noſtris medium ſe inſerere, & aliquid afferre: quũ id à me & cæteris conceſſum eſſet, & iuſſus dicere, Vide (inquit) ne tibi (me reſpiciens) minus ſit neceſſe contrarium inferre ſermonem his, quæ iam dicta ſunt. Quonam (inquam) modo? & quid te mouet? Chryſippus (inquit) me mouet eruditiſſimus & acutiſſimus inter ſtoicos,qui oppugnauit notiſſimũ illum Gręcis verſum,quo iubemur non ante iudicare,quàm audiuerimus vtrunq; ſermonem,eũ ſcilicet qui priori loco proponit,& alterum,qui deinceps huic ſe opponit. Dixit enim non oportere tale quid fieri: nam aut prior ſermo rem oſtendit, de qua ambigitur,& opus non eſt aliud audire, inuentum eſt enim quod quærebatur: aut non oſtendit,& ne tum quidem opus eſt poſteriore ſermone refellente: quandoquidem is, qui priori loco dixit, ſimilis eſt ei, qui nõ audit vocantem, vel ſi audit,nugatur. Igitur re oſtenſa,vel non oſtenſa iudicari poteſt ab eo,qui aures ſecundo ſermoni præbere noluerit. Hęc quũ dixiſſet ille,ſubiecit alius,Nõ abſimilis ſermo iſte Cryſippeus ei, quo vtebatur Prothagoras ſophiſtarũ acerrimus,& ante illum veteres nonnulli,aſſerentes neminem alteri cõtradicere, illo argumẽto: nam ſi eadem dicerent, non diſſentirent: ſin diuerſa,hic ſpectandum eſt,quòd aut neuter propoſitę quęſtionis naturã rationémq; tangit: & hi ſibi non cõtradicunt, quia neutra ex parte res ipſa, de qua ambigitur, venit in

nit in medium: aut alter quæſitum demonſtrat, alter ab illo aberrat, & aliud profert quiddam: hinc, quia vnus rem dicit, alius non dicit, fieri non poteſt, vt dicens non dicenti contradicat: ſic effici nunquam alterũ alteri contradicere. Hæc quoq; quum iſte dixiſſet, obſtupeſcentibus omnibus nouitate ſermonis, interrogo vtrunq;, num eadem ſentirent, quæ Chryſippus, & Prothagoras, quos appellaſſent: facilius enim deliberarem, quid mihi poſtmodũ agendum foret, ſi intelligerem, quid inſtituerent vel deſtituerent. Reſpondentibus ipſis nihil ſe habere certũ aut diffinitũ: tum ego vniuerſum appellans cætũ, Quid me (inquam) optimi iuuenes facere poſſe cenſetis? nã iſti, qui rem propoſuerunt, non oſtenderunt ſententiam ſuam, ſed ſatis habent tanquam malum contentionis in mediũ ieciſſe. Num igitur deſiſtendum ab incœpto, & reuocanda promiſſio, qua temere me obſtrinxi ſuperiori orationi contra ordinem & pulchritudinem mundi habitæ reſponſurũ, neſciens ſcilicet poſſe ex priori ſermone iudicari, & neminem alteri cõtradicere? vtrum enim horum verum ſit, ceſſare me oportebit: vel num hæc contemnenda potius, quę verbis arguta ſunt, rebus autem ipſis refelluntur? Nam primùm, quis illud neſcit, nullum eſſe eius iudicium, qui audit vnius tantùm partis ſermonem, alterius neglecto? vbi ſcilicet probabiliter de re ambigi poteſt. Nam de quibuſdam ita clarè & perſpicuè doceri poſſumus, vt ſatis ſit ſemel id eſſe factũ: veluti ſi quæratur, num vrbis noſtræ mœnia flumine alluantur: hic in rẽ veniens præſentem, oculiſq; ſubijciens locũ, de re ſtatim pronuntiare poteſt: quia contrariũ ſine calũnia defendi nequit, & non id agitur, vt calumniantiũ linguis aures accomodemus. Similiter ſi in contentionẽ veniat, quot iugerum fundus ſic Cornelianus, poteſt adhibita menſura de agri modo iudicari: nec expectãdus ridiculè rabula aliquis, qui ad clepſydram contra menſurã declamet. In his igitur, in quibus certi efficimur, nec falli veremur, maturare iudicium poſſumus, vnius tantùm partis ſermone cognito: perſpicuitati enim neceſſe eſt aſſenſum cedere. Sed vbi res in obſcuro latet, & fieri poteſt, vt fallamur: veluti dum quæritur, occiderít ne Lucium Sempronius, iure an iniuria: vel quid ſit ius, quot eius partes: inſtitutis ne hominũ conſtet, an natura: vtrũ cœlum moueatur, errent ſidera, & quare: de his & talibus, de quibus diſceptatur quotidie in foro inter ciues, vel in ſcholis inter prudentes, dictum eſt nõ eſſe properandum ad ſententiam dicendam, niſi re vtrinq; diſcuſſa, & ante retróq; perſpecta. Ex priori ſermone intelligi poteſt, quomodo quiſpiam dixerit, num acutè, veriſimiliter, diſtinctè, copioſè: veris autẽ num vſus fuerit ſermonibus, tantũ abeſt perſpici poſſe, vt non parum ſapiens habendus ſit, qui omnibus vtrinq; auditis & inter ſe comparatis veritatem elicere queat. Quãobrem nõ poteſt primi ſermonis actor dicere auditori, Iudica, ſiue rem oſtenderim, ſiue nõ oſtenderim: nã reſponſurus eſt ille, Quomodo huc accedis, vt iudicẽ? quia oſtẽdiſti rem, vel nõ oſtendiſti? At vtrum horũ feceris incertum eſt: oſtenderis, nec ne, ſecundus ſermo, qui expectatur tuis partibus cõtrarius, aperiet. Interim ſi pronuntiare cogar, dicam, more maiorũ, non liquere mihi de cauſa. At vrget nos Chryſippi auctoritas eruditi philoſophi: quid ergo, ipſe Chryſippus, quomodo hoc obſeruat? Scripſit multa aduerſus multos, præſertim ſectatores Academiæ recentioris: qui facere id poterat, ſi ſe ipſum audiſſet? tenetur enim eodem argumẽto: nam ſiue veteres oſtenderũt rem, ſiue non oſtenderunt, de illis iudicari poteſt, ſuper-

teſt,ſuperuacuum eſt reſpondere: cur tot igitur aduerſus illos volumina? cur tanta cura & diligentia ſcripſit? nec ſcripſit modò,ſed etiam edidit? Verùm ſi adſit Chryſippus,reſpondeat veteres ita loquutos,vt viderẽtur rem oſtendiſſe,nihilo tamen magis oſtenderunt:ideo, ne qui probabilibus eorꝫ fallerentur rationibus,nauaſſe operam,vt illorꝫ dicta refelleret:quod quũ diceret,fatebor eum rectè meritóq; dicere,& argumentationẽ diſſolutam: contendam tamen quæ fecit,verbis ſuis repugnare. Et hæc quidẽ ſatis ſint ad Chryſippum. Prothagoræ verò quomodo reſpondeatur? cui idem accidit, quod Chryſippo: nã in eo,quod negat neminem alteri cõtradicere,ipſe nõ alteri,ſed cuncto humano (vt ita loquar) generi cõtradicit,contradictionẽ aſſeueranti:ſic iſte quoq; opere verbis ſuis repugnat,vel,quod eſt abſurdũ,dum aufert,cõcedit. Quid autem tam clarũ,quã eſſe inter homines contradictiones? nec de æneo modò lebete (vt poëta inquit) ſed maximis de rebus? nec contradictiones modo, quæ verborꝫ ſunt,ſed acerrimas etiã pugnas & cõtentiones? Et ne longius abeam,ecce dico ego anulum hunc eſſe aureũ,alter dicit argenteum: ego orbicularem habere figurã,alter quadratam. An non ego illi tunc cõtradico? ille mihi? neceſſe eſt: vtraq; enim ſimul eſſe nequeunt. Imo(inquit)nulla eſt cõtradictio,quia vnus rem dicit,alius non dicit. Imo o Prothagora vnus dicit rem,vt ſe habet,alter dicit rem,vt ſe nõ habet,quod falſitatis eſt:nã in anulo,quod eſt aurum,dicit argentũ,& quod illic rotundũ eſt,dicit quadratũ: ſic verba ipſorꝫ inuicem pugnant. Nõ enim qui rem enuntiat aliter,quàm ſit,nihil enũtiat,ſed aliquid,quod falſum eſt:veluti ſi dixero Dædalum volaſſe,quod neq; factum eſt,nec fieri potuit,falſa eſt ſententia,qua id enuntiatur: & quãuis fidem nõ faciant huius ſententiæ verba,tamen quantũ in ipſis eſt,id perinde enuntiant,ac ſi verè illud factum fuiſſet. Quòd ſi verũ falſo cõtrarium,contraria ſunt verba vera falſis: ſic contradictio relinquitur. Rectè autem dictũ eſt antiquitus, lapides perpendiculo,nõ perpendiculum lapidibus aptari oportere: ſic humana dogmata rebus cõſentire debent,non autem res ipſæ pertrahendæ ad opinionum noſtrarum figmenta : ſtruetur enim ædificium vitioſum & malè firmum. Quod faciunt hi,qui contradictionem tollunt,vel ex prioris ſermonis auditione impromiſcuè aſſerunt veritatem percipi poſſe:his etenim rerum natura & vniuſcuiuſq; ſenſus, quantum ego perſpicio, repugnat. Hæc quum ita mihi videantur, ſi vos tamen ſequi vultis Chryſippum & Prothagoram, non ex eo ſolùm , quòd viri ſapientiæ nomine illuſtres ſunt & fuerunt (nam leue forſitan auctoritatis ſit pondus) ſed quia illorũ ſententiæ ad veritatem magis reſpiciant,ego verò libẽter deſino, nec progredi ſermone cogito. Quid enim contradicam,ſi nulla omnino eſt contradictio? vel ſi iam vos ex priori ſermone de re iudicaſtis? nam in altero ſtulta eſſet opera mea , in altero ſuperuacanea. Dimitti igitur me poſtulo,&,ſi quid pollicitus ſum,nõ debet eſſe ratum, quod geſtum eſt per inſcitiam. Nunc,vt dicam cum Euripide,

Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.

Nollem autem quidquã ſine ratione facere,ne in ſolitudine quidem,quia tunc maximè puderet mei ipſius: nũc etiã ad talem cœtum reſpicere oportet. Hæc mea tum fuit oratio, quam omnes approbauerunt. Attamen petiuerunt, vt reſponderem,ſicuti pollicitus fueram,nihil ſibi fore gratius. Idem me hortari cœpit,& longè quidem acrius & vehemẽtius Dionyſius, qui aduerſus me ſuperiorem

periorem orationem habuerat. Tum ego cõuerſus ad illum de integro exordiens hunc in modum diſſerui. MAR. Vis, vt opinor, nos dicere cauſam, tanquam accuſantibus nõnullis, quòd conſtare diximus mundum pulchritudine admirabili, & ſummo ordine ferri in eo omnia, quum nihil ſit iſtorum: cogiſque me de laudatore patroni ſuſcipere perſonam: neque ideo lędi putas, quia ſcis me cauſarum patronum haberi. Veruntamen haud difficile fuerit homini mediocriter erudito priuatarum litium patrocinium ſuſcipere: vbi verò Reſpublica ad ſui defenſionẽ vocat, nemo eſt, qui nõ intelligat, quòd huiuſmodi cõtrouerſia & acriorem mentis vim, & vberiorem facundiam, & grauiorem in dicẽdo requirit ſonum. At cauſam publicam nõ vnius ciuitatis aut prouintiæ, ſed totius mundi dicere quantum eſt? quod ingenium deſiderat? quámue eloquentiam? Putás ne (non dico me, qui vnus ſum de multis) ſed alium quenque hominum, vel plures etiam eloquentiſſimos ſibi ipſis inuicem ſuccedẽtes, poſſe cuncta oratione exponere? poſſe facientem Deum verbis imitari? cõſilia eius interpretari? quis id putauerit, quum Dei ſapientia atque poteſtas nõ verbis modò, ſed cogitationibus etiam noſtris longè ſuperior ſit? Quem ille noſtrum in mundi fabrica cõſiliorum habuit comitem? quẽ laboris ſocium (ſi labor ille fuit) delegit? Si mihi de tam vaſti huius & immenſi corporis diſpoſitione eſſet dicẽdum tantummodo, veluti, qui elementorum quatuor ſit ſtatus, qualis inter ſe cognatio, quomodo de illorum cõmixtione, tanque de ſinu quodam & gremio materiæ, res educantur: ſi de cœli quoque ambitu, & orbibus dicendum foret, de ſiderum meatu, de animantium omniũ figura, ætate, pabulo, cubili, partu: ſi de lapillis, gẽmis, marmoribus, metallis, ſtirpibus, arboribus, virgultis, floribus, herbis: ſi denique de reliquis omnibus, quæ ipſe mundus ſinu ſuo claudit, tamen & magnum eſſet res tantas, tam varias, tam longè lateque poſitas & diligentia conſequi, & memoria cõplecti, & dicendi facultate in medium afferre. Nunc autẽ non id modò, quod ad pulchritudinem facit mundi, ſed mens, conſilium, ratio fabricantis Dei exquiritur: nos qui ſumus, vt illuc accedamus, & diuina docere audeamus? Quemadmodum enim ſi veteris ſtatuæ in cõſpectu ſtantis rationẽ exponere cogar, poſſem facillimè, ex qua materia deducta ſit, dicere: item habitum ſtatuæ ipſius, & figuram: poſſem forſitan quoque inquirens artificis nomen exponere. Sed ſi quæratur, quo cõſilio artifex fabricarit, vtrum propter pecuniam, quia vẽdere cogitarit: vel liberalitatis intuitu, quia amico donare voluerit: vel religionis ſtudio, quia templo donum pararit: vel operis ipſius amore, quia fingere delectat: dicam id mihi eſſe obſcurũ. Quid? ſi ſtatua altero claudicet pede? quid? ſi diſtortum illic mẽbrum appareat? vel neuus inſit aliquis, vel aliquod aliud maculoſum? & quæratur, num id de induſtria factum ſit? vel vtrum ex imperitia venerit artificis? vel materię vitio? vel importatum ſit illuc inimici manu? vel caſu? æſtus magnus occupet, ſi exponere cogar. Quòd ſi humana illa in tam breui ſimulacro nõ poſſum, quantò minus diuina in tanto figmento? Nam tu quoque requiris, vt explicem, quo propoſito ſingula Deus condiderit? vnde ſint hæc tam multa, quæ in hoc clariſſimo mundo immundè nõnullis ſe habere videntur? Nec ſanè video, quid diſciplina iuuare poſſit: facilius quis rei militaris, vel agriculturæ, vel medicinæ imperitus de his artibus diſſerat, quàm homines de rebus diuinis: illæ enim artes per homines inuectæ: & poteſt, quanuis aliquis nõ didicerit, adhibita animaduerſione vel

uerſione vel caſu in multa vera incurrere. At vbi de mundi origine, & de col-locatione partium eius, & de cōſiliis tanti architecti agitur, quid faciat hic ali-quis quacunq; diſciplina & prudentia præditus in illis exponendis, quæ ſupra humani ingenij captum ſunt? non enim hæc facta per homines, aut eorũ inge nio diſpoſita ſunt: amplior hæc poteſtas & ſapientia perfecit. Illud quidem fir-miſſimè teneo, quòd diuina prouidētia ad minima quæq; peruenit, nihil fit, quod fieri ille nō iubeat, vel permittat: voluntas ergo ſuperni numinis in cauſa eſt, rerum omnium. Cauſam autē voluntatis ſcrutari, quod humanum poſſit inge nium? quæ mentis acies peruidere? Rectè quidē, dum mortalium rerum con ditionem inquirimus, in vlteriora aſſiduè promouemus, de gradu in gradum ſcandentes, & eò vſq; ſcandimus, donec ad ipſam Dei voluntatem peruentum fuerit. Hic figendi pedes: ſi pergimus in vlteriora ire, fulgore tantæ maieſtatis obruimur. Hoc vt facilius intelligas, exemplum vnum ſubijcio de malis homi nibus, in quo tua latè ſe iactauit oratio, id vbi perſpexeris, cogitationi tuæ per mitto cætera. Si quæris igitur, ſúnt ne homines in mundo mali? ſunt, & innu-meri quidē. Quid malos facit? praua voluntas. Vnde praua voluntas? ex ar-bitrij libertate. Libertas hæc arbitrii vnde? ex Deo. Cur dedit præſcius futuri? quia voluit. Cur voluit? neſcio, hoc penes ipſum eſt. Cur affluunt diuitiis, & opibus? quia voluit. Cur dominantur etiā bonis, eóſq; affligunt? nihil mirum, nam hoc quoq; voluit. At melius fuerat noluiſſe. Imo optimum fuit ſic voluiſ ſe, quia optimus eſt, qui voluit. Hæc dico, nō quia cedere velim oppugnātibus tam præclarum opificium, vel quaſi mihi parauerim aſylum, quò confugiam, vbi rationem cuiuſpiam rei repoſcar, ſed vt intelligatur neutiquā pro dignita-te hæc ſufficienter tractari poſſe a nobis, qui in vaſtiſſimũ illius diuinæ ſapien-tiæ pelagus tam paruula cymba penetrare nō poſſumus: ſufficienter tamen ad retundendā aduerſariorũ inſolentiam, & ad oſtendendũ fruſtra ſibi ſapientes videri: ſunt enim illæ hominũ cogitationes, ideo tentare eas facile poſſumus, & explorare, & proinde reiicere, ſi reiiciendæ videbuntur: nec recuſandũ homi ni aduerſus alios homines pro ſtructura tam boni opificii luctari. Nam ſi ſine præiudicio meliorũ cauſarum, quas abditiſſimus ille & profundiſſimus diui-nitatis continet receſſus, pendenda ſunt rationibus, quales in homine eſſe poſ-ſunt, omnia, ſatis egregiè defendi poteſt hæc nō aliter ſtare aut fieri debuiſſe, ꝙ quomodo nunc apparent. Propiora ſunt vero, quæ defendēdo a nobis propo nuntur, quā quæ oppugnando ab alijs dicuntur. Ignoſci tamen mihi velim, ſi in hac mea defenſione indignũ aliquid ꝓtulero maieſtate tāti artificis, & præ-terq; veritatis habet regula, quæ in ipſo eſt, vel ipſe potius. Præbeat ille veniā ſpectans humani ingenii imbecillitatē, ſimul & illud, quòd nō priores diuina eius opera tentare & linguis ventilare aggredimur, ſed ꝓuocati huc venimus: petóq;, vt permittat liceátq; nobis ſaluo eius fauore oppugnatores iſtos mūda næ fabricæ depellere, vel potius deridere: nō enim aliò ſpectat defenſio noſtra. Eſt enim deridenda iſtorũ arrogantia, vel ſtultitia, ſi arbitrantur, quòd homo videat aliquid melius in mundi fabrica fieri oportuiſſe, hoc Deum nō vidiſſe: vel vidiſſe, ſed fieri noluiſſe: vel voluiſſe quidē, ſed minimè potuiſſe, quũ inſi-pientia, inuidia, impotentia longius abſint a Deo, quā a luce tenebræ, ab inte ritu vita, a malo bonũ. Equidem quòd hunc ille rerũ ſtatum inducere volue-rit, nihilq; ſuis beneficiis nudatũ reliquerit, id perfectiſſimæ bonitatis ſpecimē

eſſe ſtatuo. His deinceps omnibus conuenientẽ ornatum & egregiã diſpoſitio nem inueniſſe, ſummæ ſapientię eſt: effeciſſe autẽ quodcunq; voluit ac cogitauit, virtutis inuictæ & inſuperabilis. Quamobrem tantã vim, ſapientiã, bonitatem aſſiduis hymnis & canticis celebrare oporteret. Nunc, qualẽ ipſe hymnum cecineris Deo, manifeſtũ eſt: certè (vt nihil dicã durius) abſonũ, & incõcinnum, grauem piis auribus, quibus parcendũ erat. Agam autẽ ita tecũ, quaſi tu hæc eadem ſentias, quæ illos ſentire dicis, quandoquidem Callimachi illi abſunt tui (neminem enim præſentium tãtæ impietatis cõdemno) & ego ſatis habeo, poſtquã te habeo illarũ partium ſuſceptorẽ: abſentium autẽ oppugnatio inuidioſa forſitan fuerit, & ingrata. Enimuero pluribus inuectus es verbis in mundi ordinem, quẽ mihi iam defendere neceſſe eſt, aut temere videbor illum antea laudaſſe. Nec miraberis opinor quum tam longa tua fuerit oratio, ſi ne mea quidẽ fuerit breuis: ſcis enim plures clepſydras reis infundi, q̃ accuſatoribus ſolere: ſimul & illud occurrat, quòd facilius eſt nodos nectere, q̃ diſſoluere. Duplex autẽ reſpondendi oſtendit ſe mihi ratio: vna breuior, proponendo mihi capita diſputationis tuæ, veluti de internis externiſq; corporis incõmodis, de improborũ hominum fœlicitate, de ignoratione eruditorũ, de miſerijs humanæ vitæ, & aliis: ad hæc qd videretur carptim & ſummatim dicere: altera longior recenſendo in ſingulis tuas ſentẽtias, tuis inſequi te veſtigiis: hoc potius vſurũ me puto, nõ ſolum quia expatiationẽ quandã & exceſſum habitura ſit oratio, ob idq; fuerit iucundior, ſed etiam quia cõtinebit multa vitæ vtilia, quod apud me præponderat placendi gratia, nec erunt tamen ea a propoſito multum diſſidentia. Huic autẽ reſpondendi generi immiſcebo illud etiã ſuperius, vt tum ad ſingula capita, tum ad omnẽ accuſationẽ tuã dicã ſummatim, quomodo refelli valeant, vbi id aptè fieri poſſe cognouero: ſic ex vtroq; fuerit defenſio perfectior. Nec longitudo orationis nos terruerit: nam quum affluamus ocio & tempore, ſtultum eſt quærere, quid ſit lõgum vel breue, quum id quærendum ſit ſolummodo, quid aptius & congruentius ſit ad propoſitam quæſtionem euoluendam: id vbi inuentum fuerit, cenſendum eſt id in mediocritate quadam eſſe poſitum, nec vni extremorũ magis, quàm alteri accedere, hócq; laudare debemus. Nec verò velim vos iam de me maria, & montes expectare: nã nondum cõpertum eſt, ne mihi quidem ipſi, quãtum efficere poſſim, vidi ſæpius oratores pollicitationibus vſos penes populũ magnificis, vt ꝓpter eas celebris ludorũ pompa, & quoduis aliud voluptatis genus deſtitui poſſet, eos mox parua pręſtitiſſe, et ludibrio fuiſſe. Quid plura? Theſaurus (vt dicit̃) carbones fuerũt. His ego ſubmonitus exẽplis polliceor tãtũmodo defenſionẽ aduerſus obiecta: illud nõ addo, mirificã, perpulchram, exornatã, dignã erudito conſeſſu: cupio quidem fore talem, ſed num id cõtingat vos cognoſcetis. Qualiſcunq; autẽ orationis meæ fuerit progreſſus, beneuolo animo, vt cuncta ſuſcipiatis, peto: quia quæcunq; noui, afferam in medium, nec aliis vos fidem adhibere volo, quàm quibus ipſe adhibeo. Cogitanti autem mihi quomodo tua refellam, dubius ſum, vnde rumpam ſilentium, quídue primũ eloquar, quid ſecundum. A fabella forſitan quadam exordiri fuerit commodius: nam ſolent arridere ſeria dulcius, ſi ioco quodam expreſſa & veluti depicta cernantur. Nota ſunt, quæ de Saturni Iouiſq; regno poëtæ nobis tradiderunt: ſed poëtas rem geſtam corrupiſſe audio, vtpote quibus nulla veritatis ſit

cura,

cura, modò ſonantibus metris,ad numerúm q; aptè cadentibus populi aures demulceant:hoc enim vnũ illis propoſitum,negligunt cætera. Ego quũ adoleſcentulus adhuc hærerem lateri Sperandei ciuis noſtri, qui ad ſummã vſq; ſenectutem vixit incolumis acie oculorũ,auditu,& reliquis ſenſibus,& multis ante annis elatus eſt,ideo tu eius meminiſſe non potes. Is quũ omni ſcientiarũ genere refertiſſimus eſſet,videretq; ſenex me, vt in illa ætate, poëtarũ ſtudio teneri, percunctari ſolebat multa de illis,& ego quæ legeram,quæue de præceptoribus audiuiſſem,reddebã. Ille de multis aliis admonebat, tũ verò poëtis & græcis & latinis nihil fidei habendũ dicebat: nã illos ne fabularũ quidẽ ſuarũ recta veſtigia tenuiſſe.Narrabat enim ſe olim,quod cõſtabat,peregrinãdi cupiditate flagrantem multas terras luſtraſſe,multa maria tranſmiſiſſe: in Ægypti autem quãdoq; viculo quodã quũ eſſet (viculi nomen dicebat) illic hoſpitẽ quendam ſuum,ſummę hominem auctoritatis,quũ intelligeret ipſum literis delectari,tradidiſſe diſcedenti librũ pulcherrimè exaratum,quẽ omnes illius oræ ſapientes plurimi facerent,ſicut doni auctor ferebat. Quum autẽ arabũ lingua cõſcriptus eſſet,neceſſe illi fuiſſe interpretem adhibere:tum cognouiſſe librum illum fabulas cõtinere, de quibus poëtæ noſtri verba facerent, ſed eas ferè omnes aliter atq; aliter narrari, de Phaëthontis incendio, de Ducalionis aquis: qn ab ipſo exordio auctorẽ operis Heſiodũ,& Homerũ,& alios poëtas Græcos vehemẽter carpere, quòd nõ aptè cõgruentérq; ipſas fabulas tractaſſent. Eum poſtea librũ narrabat Sperandeus ſibi ereptum cũ aliis pretioſis rebus nõ multis poſt menſibus,quũ in Syriæ latrones incidiſſet. Attamen plura memoriæ mãdarat,quæ ad amicos & familiares ſuos efferre ſolebat. Hoc autem,de quo nunc agimus,ita narrabat. Saturno regnante homines illius æui omniũ rerũ vbertate cõpletos fuiſſe: vernabat humus aſſiduis floribus, quorũ tum lucido colore,cóq; multiplici tota arridebat regio, tũ læta erat etiã odorũ ſpiritu. Flumina,alia lacte,alià vino fluebant,quorũ ripę ſmaragdis,carbunculis, ſardonice, & aliis lapillis elegãtibus diſtinguebãtur: nec deerat etiã arena ex auro minutiſſimè contrito. Sed & plurima alia aderant flumina pari ornatu,quæ ſua ſponte irrigabant agros,ſumma aquarũ dulcium vbertate,vbi id vſui fuiſſet. Ipſum verò mare, tametſi variis interſcribebatur vndis: attamen ſtagni in morem placidũ erat & trãquillũ,nec id tantùm, ſed adeo purũ quoq; & perlucidum,vt inſpectantibus ſe de littore (nã hæc vltima mortalibus tum erat via) imaginem,ſpeculi vice,referret. Arbores ſyluarũ tum odore gratæ, tum fructu:nã nõ modo baccas ferebant ſapore iucundas, verùm etiam ſtillabant vnguenta,& nobiles liquores nunc nobis incognitos,ſed ſuſpicari licet tales fuiſſe,quales nunc balſami & myrrhæ ligna exudant. De plurimarũ aureis ramis mala aurea pendebant: necnõ paſſim per agros auri laminę effulgebãt, & plurimæ earum in lancium & poculorũ vſum excauatæ cernebãtur. Quapropter de tanta auri copia ſeculum illud poſtmodũ aureum nũcupatum fuit. Quid de ignibus dicam? qui vndiq; pariter ſpectabantur, cinnami,caſſiæq; ſarmentis incenſi, præbentes tantũmodo luminis voluptatem,quia nullo tunc ardore nec calore hoc elementum tenebatur. Ipſi autem homines,quibus hæc fuerant comparata,nudi puro ſub cœlo vitam agitabant,humi ſomnum epuláſq; capientes. Præclarum autem illud, quòd in conuiuiis ventorũ vtebantur famulatu: nam cibus & potus, vt cuiuſq; votum erat, ita vento leniter flante

in aureo cratere deferebatur. Magnam illis fructuum copiam & varietatem dabat tellus, magnam arbores, & ea omnia faucibus iucundiſſima, ſolo naturæ fœtu, nullo humano artificio. Non erat illis opus veſte, aut tecto, quibus frigoris vim repellerent, caloris ſedarent moleſtias: ſed afflabat illos blanda aëris temperies, veris æterni inſtar, agebatúrq; perpetuus dies, ſine vlla noctis obſcuritate, quū cœlum non verteretur, ſólq; immobilis medium eius verticem teneret. Conſtat autem adeo nullas tunc fuiſſe tenebras, vt ne corpora quidem vlla, quanuis ſoli aut aliȷ́ lumini aduerſa vmbras iactarent: ídq; non minus, quàm cætera admirabile viſum iri ſcio. Erant formoſiſſima omniū corpora, vt quæ ſaluberrimo aëre victúq; vterentur: morbos non nouerant, ac ne mortem quidem, niſi reuolutis nouem ſeculorum ſpatiis: tunc vnuſquiſq; nullo gemitu aut dolore animam efflabat, vel ea potius ſponte migrabat exanimi corpore relicto. Nec minus fœlix liberorum procreatio: nam quacunq; aſpirabat amor, illic miſcebantur mares fœminis: nulla lex erat, quæ certi quidquam diffiniret: nec fœminæ vterum ferebant, ſed ſtatim poſt concubitū liberos edebant genitoribus ſimillimos, nullas ipſæ ſentientes partus anguſtias. Ipſi liberi, ſimulac in lucem erant editi, officiis vtebantur membrorum, & fœlici corporum incremento poſt breue tempus ad pubertatem perueniebant. Sed non modo homines inter ſe ſine fraude, dolo, & inſidiis agebant, ſed animalia ipſa muta, rationis expertia, blanda erant, & mitia, hominibúſq; tanquā dominis, parebant: quin etiam muſico concentu oblectabant, quū aues acutū, ipſi homines medium, quadrupedes grauiorem redderēt ſonū. Hæc quum ita eſſent, cœpit homines tædere huius ocij, & tantę ſecuritatis, fruſtráq; videbantur ingenio pollere. Hoc animaduerſo Iuppiter Saturni filius, qui iam diu regnum affectaſſet, oſtendit illis ſi regē ſe feciſſent, quòd ab inertia illa deſidiáq; illos abduceret, & in meliori vita vtiq; collocaret. Itaq; eiſdem auxiliantibus Saturnū cōprehendit, & muro eū circumegit, cuſtodiámq; addidit. Ipſe autē ſceptro regni ſumpto conuertit omnia: dolorem letitiæ, laborem miſcuit voluptati: ſicut in cibis fieri ſolet, vbi dulcibus acria cōmiſcentur, quò gratius reſpondeant palato. Principiò Vulcano imperatū eſt, vt cardines fabricaret duos, quibus cœlum volueretur, quod quū factum eſſet, cœli ipſius conuerſio ſolem egit ſub terras, rurſúſq; reddidit, ex quo diei noctíſq; viciſſitudo cōſequuta eſt: nec fieri potuit in tam rapida cœli conuerſione, quin ipſe quoq; ſol ſponte ſua moueretur, vt pote qui formam habeat volubilem & rotundam. Itaq; obliquè ſemitam ingredi cœpit, & errore ſuo huc illuc progrediens, & modò ad nos propius accedens, modò longius recedens, graues nobis per annum tempeſtates inuexit duas, hyemis ſcilicet, & æſtatis. Hinc ægro mortales corpore ſunt facti, coëgítq; illos frigoris & caloris iniuria veſtimenta ſibi & tecta comparare, artéſq; ad hæc ſpectantes educere. Nec id ſatis fuit Ioui, qui voluit etiam nos per laborem cibum quærere: nam mellifluas illas omnes arbores ſuſtulit, alias pretioſis ſtillantes liquoribus raris locis reliquit: flumina lactis compeſcuit: illa verò, quæ vino fluebant, ſubtus terras iter habere voluit: cuius argumentum eſt, quòd aſcendit vinum per vites, quod fieri non poſſet, niſi in ipſis vitium radicibus vini fontes ſcaterent. Sed magnam auri partem, quæ tunc terras tenebat, & in conſpectu omnibus erat, argento, ære, ferro commutauit: nec in propatulo paſſus eſſe, ſed imis terræ viſceri-

ræ viſceribus hæc metalla retruſit, vt illinc peterentur. Et pro illis aureis malis, quæ tunc de quarundam arborum ramis pendebant, veluti per deceptionem quandam, cotonea ſubmiſit, quæ aurea ſi non ſunt, at videntur: hæc enim illorum voluit eſſe ſimulacra: nam & græcè χρυσόμηλα, ideſt aurea mala, nuncupantur, ignémque ſeu ignis ſemen ſilicum venis abdidit, addito calore, quo vreret, & admota ſuperaret: magnúmque ac multiplex morborum agmen corporibus immiſit. Præterea beſtias efferauit, & alijs metũ addidit, vt effugerẽt: aliis iracundiam, vt irruerent, armans metum celeritate, vi iracundiam. Mare autem in monſtri cuiuſdam naturam conuertit, vt modò placido vultu arrideret, modò ſæuum & iratum exiſteret, efferueſcerétque vndique ab imo vſque fundo procellis & turbinibus concitatum. Huic tanto támque immani monſtro ſuperando voluit homines, ſi ingredi vellent (& fore plurimos, qui vellent, ſciebat) inuigilare, ventorũ vi & natura, aſtorúmque peritia perſpecta. Hæc omnia facta ſunt: ſed quomodo, quibúſque rationibus vnum quodque faceret Iuppiter, Arabicus ille liber continebat: longa etenim erat narratio. Sed nec Sperandeus omnia meminiſſe potuit, nec ego, quæcunque ille mihi narrabat: puer enim adhuc (vt antea dixi) audiui. Illud tamen memini dicere, Iouem, quum rerum cõmunionem ſuſtuliſſet, terrámque partiendo vnicuique portionem dediſſet, lapideſque impoſuiſſet, qui finibus certis arua regerent, propoſuiſſe dolia duo figuris diuerſis. Horũ vnum exile & anguſtum ex auro, labro ſuperiore introrſus conuerſo: alterum ingens atque magnum, ſed luteum, labro foris porrecto: vniuſcuiuſque autem dolij labro nomen inſcriptum, aurei labro meũ, lutei tuum. Mirantibus omnibus quid illud rei eſſet, dixiſſe Iouem, hæc duo dolia eiuſdem figuræ apud vnum quenque in poſterũ fore cum deſcriptione rerũ ſingularum: ſi quid habere vellent, viderent num id in dolio deſcriptum eſſet aureo, cui nomen meum: ſi inueniſſent, poſſiderent prohibente nemine: ſin minimè, viderent nunquid in illo altero ingenti luteo deſcriptum eſſet, cui nomen eſſet tuum: illic inuentum ne attingerent, cauerentque, ne in alterũ dolium vel vi vel clam transferrent: quia id Iouem nõ lateret, qui accerrimè eſſet vindicaturus: quod autem in neutro dolio eſſet deſcriptũ, liceret inuadere, & in quod vellent dolium trãsferre. Monuiſſe etiam Iuppiter dicitur, ne aureum dolium contenderet quis implere, putans facile, quia anguſtum apparet: non enim id fieri poſſe, quia quò plures ſortes iniicerentur, eò magis vas creſceret: ſic ſummum eius os nunquam exæquari poſſe: commodius autem agi cum his, qui tali dolio vterentur, quale accepiſſent. Videndum etiam eſſe, ne quis ſtultitia ſua dolium ipſum perforaret, quia, quicquid ingeſtum eſſet, dilaberetur: & ei, qui id feciſſet, miſerè poſtmodum in egeſtate viuendum fore. Quũ autem tellus vndique planiciem oſtẽderet, id minus probans Iuppiter, qui vellet aſcenſu atque deſcenſu corpora variè exerceri, feram immiſit magnitudine infinita, vaſtiſſimo ore, atque ventre, quæ humũ mãderet atque egereret: ſic vbicunque cibum ſumpſerat, vallem efficiebat: vbi aluum deiecerat, tumulus & collis aſſurgebat: planicies autem remanſit, quò illa nõ acceſſit. Innatans deinde hæc belua mari, totas inſulas vorauit, eaſdémque poſt per aluum aliis locis reddidit: nam grauiſſimi auctores tradiderunt Delum atque Rhodum diu vno loco conſpectas deſiſſe videri, mox aliò apparuiſſe: in cauſa autẽ neſciunt hanc beluam fuiſſe: non enim tantopere factũ mirarentur. Incõmodè autem accidit, quòd, quum

inſulas quaſdam depaſta fuiſſet, earúmq; vterũ adhuc ferret, interempta fuit Apollinis ſagittis: ſic inſulæ illæ perierũt, quomodo, muliere grauida ante partum necata, infans vtero retentus pariter aboletur. Hæc & alia plurima initio regni, quum Iuppiter induxiſſet, tunc homines de vtilitatibus partim ſuis, partim cõmunibus cogitare cœperunt, & ingenij acuentes aciem inueniendis artibus incubuerunt, quibus vitam defenderent & ornarent. Et initio quidem ſpeluncas & ſuffoſſas rupes incolebãt frigoris & æſtus vitãdi cauſa. Sed ecce quidam, ſequutus in exemplum hirundinum nidos, habitaculum ſibi e viminibus lutóq; compegit: hoc, vt præclarũ tunc inuentum, imitati ſunt reliqui, atq; ita is primum caſarum vſus fuit. Mox æris fabrica & materia in lucem prodiit, & plura deinceps ad ædificandi facultatem reperta, donec peruentum eſt paulatim ad eam magnificentiã ædium, quam nunc probamus, & ad eum ornatũ vitæ, quem modò admiramur: paulatim autem, quia non vnus omne ſimul, ſed alius aliud alio tempore inuenit. Vbi autem quidq; erat inuentũ, magna id omnes excipiebãt lætitia, & magnopere gauiſos ferunt, vbi ignem a Ioue ſilicum venis reconditum inuenerunt. Si quẽ opere & labore corpus durare vidiſſent, laudabant: magis etiam, ſi cuiuſpiam æquum animum in aduerſo caſu cõſpexiſſent: hunc omnibus præferebant, & imitatione dignum ducebant: gratiáſq; agebant immenſas Ioui, quòd eos a deſide illa & inerti vita ad hanc meliorem tranſtuliſſet. Illi enim qui priori fuerant ſeculo ſub Saturno, ſi cum his poſterioribus compararentur, non iuſti & ſapientes fuiſſe videbantur, ſed iuſtorũ tantummodo & ſapientum effigiem geſtaſſe: demum hominũ ſimulacra potius, quàm homines extitiſſe: nihil enim agebant, quum tellus illis vbertim omnia ſuppeditaret, & nihil duri immineret, aduerſus quod animis corporibúſq; cõtenderent: actione autem ſublata quilibet fatuus videri prudens poteſt. Hæc de Saturni Iouiſq; regno fabula nobis tradit: quãuis eam poëtæ nõnulli (vt antea dixi) deprauarint. Attamẽ Virgilius noſter, nemini illorũ cedens elegãtia, & dignitate metri, & cognitione rerum, non videtur a fabula aberraſſe in illis optimis Georgicorũ libris: ſiue in Arabicum hunc librum inciderit, ſiue alium de id melius, quàm cæteri, cognouerit. Laudat enim magis Iouis ſeculũ, quã Saturni, quòd alij per inſcitiam vituperare viſi ſunt: ait enim,

Pater ipſe, colendi
Haud facilem eſſe viam voluit, primúſq; per artem
Mouit agros, curis acuens mortalia corda:
Nec torpere graui paſſus ſua regna veterno.
Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni:
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipſáq; tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat.
Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,
Prædaríq; lupos iuſſit, pontúmq; moueri,
Melláq; decuſſit foliis, ignémq; remouit,
Et paſſim riuis currentia vina repreſſit,
Vt varias vſus meditando extunderet artes
Paulatim, & ſulcis frumenti quæreret herbam,
Et ſilicum venis abſtruſum excuderet ignem.

Tunc

Tunc alnos primum fluuij ſenſere cauatas.
Nauita tum ſtellis numeros, & nomina fecit,
Pleiadas, hyadas, clarámq; Lycaonis arcton.
Tum laqueis captare feras, & fallere viſco
Inuentum, & magnos canibus circundare ſaltus:
Atq; alius funda latum iam verberat amnem
Alta petens: pelagóq; alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atq; argutæ lamina ſerræ,
Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum.
Tum variæ venere artes. Labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.

Dices hæc eſſe fabuloſa neutiquam credenda, quaſi ego id neſciam, & non ſatis ſit te per fabulam hanc admoneri, cõmodiorem mortalibus vitam inſtitui non potuiſſe ea, qua nunc vtimur, & ſub Ioue fingitur inſtituta, quum tamen nunquã alia fuerit. Semper enim morbi, paupertas, exilia, damna, vincula, cruciatus humanã vitam peragrauerunt: ſemper opere, & labore, proprióq; (vt dicitur) marte victus tolerandus fuit: deſidię nanq; & negligentiæ occurrendum erat, & agendum, ne veternus (iuuat enim Virgiliano vti verbo) humanas mentes occuparet. Sic prudentia exercetur ſalubribus cõparandis, & noxijs euitandis, & firmitas animi atq; conſtantia inter duriſſima quęq; & difficillima eniteſcit. Præſtant etiam immixta hæc mala bonis, vt ipſa bonorũ poſſeſſio ſit iucundior: nam noſtrorũ bonorũ conditio eiuſmodi eſt, vt ſi affluant vbertim nulla cura, nullo noſtro labore atq; dolore, afficiant animũ ſatietate atq; tædio, languidúmq; præbeãt gaudium, molle, atq; eneruc. Omnes enim magis amant ea, quæ cum labore proueniunt: ſic diuitias magis amant, qui eas mercatura vel artificiò quæſiuerunt, quã hi, qui a progenitoribus acceperunt: & ea de cauſa ardentius diligunt matres filios propter laborioſam vteri geſtationem, partúſq; moleſtiam, & eos magis eſſe ſuos, quàm patrum, affirmant. Similiter vbi iuſtus impendit metus amittendi ea, quæ antea cara habuimus, & in diſcrimine verſamur, ſimulac contingit euadere, remotis omnibus, quæ aduerſabantur, tunc animus ictu antea aliquo & morſu timoris doloriſq; perculſus, iucundiſſima repletur voluptate: quemadmodum ſalus his iucundior, qui ex periculis inſidiiſq; latronum euaſerunt, quàm his, qui nullum vnquã in diſcrimen venerunt. Vides, quando aliquis noſtrũ decũbit in lectulo vena morbum renuntiante, omnes, qui ſaluos cupiunt, ægrotant ſimul animo: fit nobis rectè, & nondum firma imprimere poſſumus veſtigia, & ecce tantũ ſuſcipitur gaudium, quantum ante morbum nõ fuerat. Edendi & bibendi voluptas aut nulla, aut exigua eſt admodum, niſi præcedat eſuriẽdi & ſitiendi moleſtia: hinc ebrioſi quædam ſalſiuſcula præſumunt, vt procreetur in illis moleſtus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Eſt autem aliquod bonũ, fateor, quod nullo labore, nullo dolore poſſidetur, nullo metu tenetur: quod tantum præbet gaudium, quantũ optari poſſe nunquã cogitauimus: tam diuturnum, vt nullo euo finiatur: tam florens támq; aſſiduè nouũ, vt nulla vetuſtate exareſcat, nulla ſatietate delectet. Sed non eſt huius ſeculi bonum, nec hoc ſeculo expectandũ: poſitum eſt autem in quadã pulchritudine, quam nondũ attigimus: tangemus poſtea, ſi modò huic ſermoni apicem imponere valuerimus. Nunc

autem non de aliis,quàm de ſeculi huius bonis loquimur, quæ triſtibus atq; aſperis interpellari (vt ſic dixerim) gaudent. Et hæc quidem orationis meæ prima fuerit aduerſus tua excurſio. Nunc in animo eſt ad ſingulas ſermonis partes accedere,eáſq; refellere,ne forſitan putes me,veluti iaculis eminus dimiſſis contentum,non audere manũ cõſerere.Optas igitur abacos multo auro,argentóq;,& pretioſa quaq; ſupellectile oneratos tibi adeſſe: extructas exquiſitiſſimis epulis menſas,& ſuaui vino refertas apponi: incendi vndiq; odores: ipſum interea coronatum,vnguentis madidum,inter puluinos molliter & delicatè iacere,aureo contectum paludamento:accubare vnà formoſiſſimas puellas, quarum corporibus arbitratu tuo fruare: circunſtare delectos miniſtros, nutum diligenter obſeruantes tuũ: audire inſuper velles ſingulis penè horis muſicorũ inter ſe certantium choros,aëra ipſum ſuauiſſimo vocum ſonorúmq; concentu replentiũ: hæc aſſiduè dies noctéſq; procedere, nullo interpellante dolore,aut labore. Vide ſi delicias his ſupiniores inuenire potes. Is ordo ſcilicet tibi placeat mundi,ſi hæc paſſim adeſſent omnibus,vel,ſi id nimium eſt,ſaltem amicis tuis,ac propinquis: demum (quod minimũ eſt) vni tibi:tunc mundum,vt arte magiſtra factum laudares: ſed ſi hæc verè contingerent vigilanti (nam nunc te forſitan quiſpiam diceret ſomniare in eadẽ vigilia,propter quod irrita vota & ſpes nunquam implendas aiunt vigilantium eſſe ſomnia) ſed ſi contingerent, quàm non multũ tibi beatus viderere? habet enim nimia copia excellentis cuiuſq; ſuauitatis finitimũ faſtidium,vt cogatur quis ſatietate abijcere vel negligere,quæ antea magna bona putabat. Raritas & habendi deſiderium gratiam & voluptatem rebus pariunt, & magis iuuant quæſita labore, quàm quæ oblata ſunt: hinc ille inquit in epigrammate,

Galla nega: ſatiatur amor, niſi gaudia torquent:
Sed noli nimium Galla negare diu.

Quid eſt hoc? Satiatur amor,niſi gaudia torquent:num ſolent gaudia torquere? minimè: ſed innuit gaudere non poſſe,niſi antea torqueatur. Eodem ſpectat illud eiuſdem poëtæ.

Inſequeris fugio, fugis inſequor: hæc mihi mens eſt,
Velle tuum nolo Pamphila, nolle volo.

Nec aliud ſenſit Ouidius in amatorijs eius libellis, mulieres admonens,ne facile præbeant ſe amatoribus, niſi antea ſui deſiderio excruciarint.

Pinguis amor, nimiúmq; potens, in tædia nobis
Vertitur,& ſtomacho,dulcis vt eſca,nocet.
Quodlibet eueniat, nocet indulgentia nobis:
Quod ſequitur fugio,quod fugit ipſe ſequor.

Et alio loco inquit idem Poëta.

Quæ venit ex tuto minus eſt accepta voluptas.

Quid igitur amicam tunc facere oportet?

Vt ſis liberior Thaide,finge metus.
Quum melius foribus poſſis, admitte feneſtra:
Inq; tuo vultu verba timentis habe.
Callida proſiliat, dicátq; ancilla, perimus.
Tu iuuenem trepidum quolibet abde loco.

Sed illuſtres quoq; olim fœminas pulchritudine præſtantes legimus non niſi

raro in publicum egreſſas, & parte tunc oris velata, ne ſatiarent aſpectum: adeo conſtat fore gratius, quod vix habetur. Quid ille adoleſcens in comœdia? qui in amore ſummo, ſummáq; inopia ſuaue eſſe dicit parentem habere illepidum, illiberalem, in liberos difficilem,

Qui te non amet, nec ſtudeat tui.

Huic autem ſententiæ rationem ſuggerit.

Aut tu illum fructu fallas, aut per literas
Auertas aliquod nomen, aut per ſeruulum
Percutias pauidum: poſtremò a patre parco
Quod ſumas, quantò diſſipas libentius?

Contra verò, facilē & liberalem patrem incōmodū eſſe filio amanti diſputat.

Quem neq; quo pacto fallam, nec quid inde auferam,
Nec quem dolum ad eum, aut machinam commoliar,
Scio quidquam: ita omnes meos dolos, fallacias,
Præſtigias perſtrinxit commoditas patris.

Quod ſi nequitia ipſa maioris oblectationis ſtudio labores appetit, pericula, metus, quid virtutem putas, cui ipſa difficultas materia eſt? quantò enim magis vrget durior aduerſarius, quantò frequentiora premunt malorū agmina, tantò nobilior victoris capiti texitur corona. Qui enim ſplendor ille boni viri, qui in eculeo poſitus lacerari ſe potius permittit, & mēbratim diſcerpi, quàm officium deſerat, aut fidem? tolle tormenta illa, tam fœda viſu, horribilia auditu, fortitudo pariter tolletur: iam nullus erit ſplendor magni excelſiq; animi dura quæq; & aſpera tolerantis propter honeſtatem. Eodē modo de virtutibus reliquis dictum putato: vbi enim temperantia eluceret, ſi nullæ eſſent, quæ frangerentur, libidines? qui locus relinquitur prudentię, quæ conſiſtit in delectu bonorū & malorū, ipſis omnino ceſſantibus malis? fac nullas eſſe iniurias, iam cāpus nō erit, vbi excurrere virtus & excuti æquitas mentis poſſit. Quid opus artificio, ſi paſſim fluentibus lætis nulla interpellat moleſtiarū aſperitas? Nunc, vt mihi videtur, gubernatorem tempeſtas, medicum morbus, imperatorem bellum oſtendit. Eſt igitur ingratus, & ſui faſtidioſus boni, qui oblatam virtutis ſuæ probationem cū mœrore ſuſcipit, ac nō potius fœlicitatis loco ponit, cum infœlicitate dimicare. Hæc, quæ modo Saturno regnante memoraui contigiſſe, ficta ſint ſanè poëtarum licentia: nihil repugno, noli mendacem vocare, quia verax ſum in eo, quòd illa falſa eſſe confiteor. Nec hominū quiſquā fieri ea vidit, nec omnino facta ſunt: attamen fieri poſſunt tribuente Deo, cui non magnum foret aut arduū fictiones quaſcunq; noſtras opere implere. Si igitur illa mortalibus nunc cōcederentur, quis obſecro diutius ſuſtineat, ac nō paulò poſt reſpuat tędio affectus? quis animo paululum erectus eam cōprobet vitam, in qua non prudentiæ, nō fortitudinis, non iuſtitiæ, non vllius moderationis veſtigiū appareat? Sed, vt rem geſtam eloquar, nec ſemper fabulas ſpectemus: Sybaritæ finitimi olim Crotoniatis, a quibus etiā ſunt euerſi, dicūtur voluptuoſiſſimam omniū egiſſe vitam. Nam maribus & fœminis quiduis facere & pati concedebatur, nec id turpe habebatur: ſplendide ijdem epulabātur & opiparè adeo, vt Sybariticæ menſæ venerint in prouerbiū, vbi magno obſoniorū apparatu diſcumbitur. Deliciæ verò tantæ, vt fabrilem artem, quæ ſtrepitum ſonitúmq; ederet, in vrbem non admitterent, ne ſomnū interpellaret, & ea

ret,& ea de cauſa gallum penes illos alere non licebat. Inſtituerant etiam in conuiuijs equos ad fiſtulam ſaltare. Quid plura? omnibus erat eoꝝ vita conferta voluptatibus, quarum ſummi erant architecti: plura nanq; eò ſpectantia inuenerunt. Fuerunt etiã in aſia Lydi, in græcia Iones, in latio Tyrrheni delitijs & mollitudine olim famoſi. Referam tibi nunc etiã regis Indorum iter, vt ex eo conijcere valeas, qualis eius fuerit interior vita. Is etenim, ſi quãdo e regia prodire cupiebat in populi cõſpectum (quod raro fiebat) præmittebat miniſtros argenteis cũ thuribulis, qui, quacunq; iter facturus eſſet, odoribus vaporarent, ipſe aurea ſequebatur geſtatus lectica, margaritis hinc inde propendentibus interlucentéq; vndiq; amictu, qui ex auro & purpura contextus longè latéq; pandebatur. Lecticã cingebant corporis cuſtodes ramos geſtantes, e quibus garrulæ auiculæ dulcedine cantus cuncta replebant. At ſi quando longius peregrinandũ foret, curru vectabatur, molliſſimè inſtrato elephantis trahentibus, aſſectantibúſq; certatim innumeris pellicum lecticis. Vbi die iam inclinata quieſcendũ erat a via, ſomníq; tẽpus appetebat, hominem epulis vinóq; grauem cubiculo pellices inferebãt noctium diis patrio ritu cũ cantu aduocatis. Quis iſtius regis, quis illoꝝ vitam populorum, non dico ſummè bonus, ſed quis mediocriter malus cõprobauit? quando ne beſtiæ quidẽ ipſę omnia referunt ad voluptatem corporis, ſed plura cũ lætitia ſuſcipiunt dura, atq; moleſta, veluti educationem natorum, tutelámq; ſuæ & illoꝝ ſalutis, gaudeãt ſaltu, curſu, peregrinatione, pugna, victoriáq; de hoſtibus parta, multáq; edãt indicia manſuetudinis, magnanimitatis, continentiæ, atq; prudentiæ. Sardanapalum ſi habes, vel alium huic ſimilem, is optauerit omnia ad votum affluere, nulla intercurrente laborioſa exercitatione: ſed non ij, quibus verſatur fortitudo animi ob oculos, quíq; laude potiſſimũ & gloria ducuntur. Ars etenim & virtus vertitur aſſiduè circa id, quod durum eſt, & aſperũ cultu: & celebris multorum literis illa eſt ſententia, quã ferunt Solonem primũ protuliſſe. Difficilia eſſe quęcunq; pulchra. Quamobrem Timotheo Athenienſium duci nimia fœlicitas tanquã probrum obiiciebatur, atq; adeo picturis exagitabatur. Pingebatur enim illo dormiente fortuna in eius caſſes oppida plena manu immittere: adeo non probatur quod de facili venit, ac non per labores & diſcrimina partum eſt. Eadem ratio efficit, vt Alexander ille magnus multis minor eſſe videatur, quaſi fallat cognomine, quòd nunquã cum acerrimis hoſtibus ſigna contulit: faciles & expeditæ victoriæ hominẽ vndiq; ſequebantur, pugnantem delecta militũ manu aduerſus molles & effœminatos populos: non poteſt cenſeri magnum, niſi quod cum graui duráq; luctatione cõparatur. Aiunt Poëtæ ludentes, vt ſolent, ſed tamen luſu hoc ſuo alicuius veri ſignificationem ſæpius tradentes, Cœlites Deos Ioui antea nõ paruiſſe, neq; cœleſti imperio dignum putaſſe, niſi poſtquã ille in laboribus & periculis verſatus eſt, durúmq; & difficile & formidoloſum Giganteum bellum confeciſſet. Moleſtè modò ferebas, quòd tellus nihil ſponte efferret, niſi prius humana exculta manu, & quòd ędificandi, ſuendi, texẽdi iniuncta nobis foret neceſſitas: nec animaduertis, quòd natura homines cibo, tecto, veſte egentes huc induxerit, nihílq; ad horũ vſum explendum tradiderit paratũ, quò ſcilicet ipſi artes inuenirent neceſſarias, excolerentq; inuentas. Nam famem multa docere vetere etiã prouerbio teſtatũ eſt: nõ enim vis tanta mentis & ingenij donata, vt iaceret, ſed vt excitata erueret ſemper

ret ſemper

ret ſemper aliquid,& ad cõmune vitæ cõmodum proferret. Ex quo etiam factum eſt, vt homines inter ſe mutua copularentur officioꝝ ſocietate, exerceréntq; eam,quæ vocatur humanitas, quia ad homines tantummodo ſpectat. Quando enim vnus quiſq; hominum multis eget, nec ſufficere ſibi ad omnia ſolus poteſt,neceſſe eſt,vt homo hominẽ tueatur, muniat,defendat,& aduerſus dura omnia & importuna præſtet,accipiátq; auxilium. Manus manum lauat, da aliquid,& aliquid cape,vt teſtat⁹ eſt Epicarmus ſiculus poëta,cuius id fuit carmen. Propone tibi homines quatuor, diuerſo vnũquenq; inſtructum artificio,& artificij vocans nomine,dic hũc aratorẽ,iſtum textorem, illum cerdonem,alium architectum:primus præbet frumentũ,ſecundus veſtem,tertius calceos,quartus domum: vnus quiſq; hoꝝ affert tribus,quod habet ipſe,illi carent: rurſus ſumit viciſſim,quod illi habẽt,ipſe caret.Nemo ipſoꝝ hęc omnia præbere ſibi ſolus poſſet:ergo dat,accipítq;.Sic dum mutuis operis vita hominum gubernatur,non tutior modò,ſed (vt mihi videtur) ornatior quoq; facta eſt. Illã enim cathenæ iudico perſimilem, quæ plurimis anulis ſit intexta:anuli enim nos ſumus,quia vnus quiſq; noſtrum ſuſcipit alterum, & ab altero pendet. Hinc etiã factum crediderim,ne omnis tellus ferat omnia: ſed hęc ferrum ſuppeditat,illa aurum, alia marmor, quædam agri pars melius reſpondet, ſi oleis conſita fuerit,vel vitibus,quædam ſi aratro in ſegetis vſum aperiatur.

Diuiſæ arboribus patriæ, ſola India nigrum
Fert ebenum, ſolis eſt thurea virga Sabæis.

Hęc diuerſis edit locis natura,vt neceſſariò inter ſe mortales iungerentur cõmercio,& charitatis vinculo necterentur. Solus Deus tanquã ſupremus in cathena anulus non dependet ab altero,ſed cætera a ſe videt pendentia:exhibet omnia omnibus,& a nemine quidquã ſuſcepit: ideo omni excellentia maior, omni laude melior. Si plures eſſent Dij (quod nefas eſt dictu) putarem multum virtutis illis decedere,niſi eos mutuus quidã beneuolentiæ cõplexus teneret. Nam etiã intra penetralia auguſtiſſimæ illius diuinitatis video magnũ eſſe vinculum trium illarum perſonarum. Sed id omittens,vnicus eſt Deus,nõ habet ille reſpicere ad alterum Deum,qui nõ inuenitur. Humanum verò genus, quod in tantã multitudinem diſiectum fuit, nõ ne meliori conſtabit ordine, ſi alternis fuerit inter ſe beneuolentiæ ſignificationibus quaſi brachijs innexum, & grata quadam obſequioꝝ viciſſitudine conſtrictum? At labores deteſtaris, quò fit,vt huic contrarium ocium laudare te putem: ſed num pariter peccata laudas? Animaduerte quæſo quanta nos ſcelerũ vndiq; circunſtet immanitas: vides illa quotidiana fori delicta ꝓcedere,circunſcriptiones ſcilicet,furta,fraudes,inficiationes,adulteria,peculatus. Nunc verò ingruentibus bellis cædes vrgẽt atq; latrocinia:honeſtiſſima illa naturæ vox, Quod nõ poſueris ne tollas,contẽnitur:pecora abiguntur,fructus aridi diripiuntur,humidi fundũtur, ſuppellex hoſpitalis domus aufertur, pecunia ab hoſpitibus vi & malo extorquetur, nõ modo parcitur hominum nemini,ſed tegulæ & parietes tectorum (quod vix credibile) direptionem militum patiuntur. Demum adeo in publicum miſſa nequitia eſt,& in omniũ pectoribus inualuit, vt nihil delectet, niſi quod ſceleratum. Legibus vtitur nemo,perinde ac nullis vel extinctis:nullius rei pudet,præter id,quòd pudet non eſſe impudentem. Et talia quidẽ in agris vrbibus,plateis,domibus,delubris gerũtur. At meliora ſunt penes principes & reges?

& reges: ſequere nunc me igitur in curias, in arces, in palatia: quot illic iudiciorum & magiſtratuum nundinationes? quantas tributorũ exactiones? quàm iniuſta imperia videbis? perinde quaſi omnia trahere, rapere, lacerare, auferre, ſurſum deorſúmque pro libito ducere id demum regno eſſet vti, & principatu. Quòd ſi laboribus addicti peccare non deſinimus, quid futurum, ſi delitiis diffluere cõtigiſſet, paniſque vnicuique domi in arcula naſceretur ſine aratro (vt aiunt) & ſemine? Vide igitur, ne ocium iuſtius deteſtari poſſis, quod luxuriantes animos reddit, & ſufflatos, & ad ſcelera quæque paratos. Quod præuidit ille, qui melius populo Romano negotium, quàm ocium cõmitti exiſtimabat: ideo æmulam imperij Carthaginem tollendam non cenſuit. Continebat enim formido præpotentis ciuitatis non adeo longinquæ Romanos in meditatione bellicæ diſciplinæ, ſobrietatémque ac vigilantiam illos edocebat: ſi quis eũ terrorem depuliſſet, tunc ea, quæ ſecundas res comitari ſolent, luxuria, auaritia, ſuperbia inuaderent ciuitatẽ, duriora mala, quàm quæ ſæuus hoſtis inferre poſſet. Hæc ille dixit, præuidens quæ non multò poſtmodũ facta ſunt: nã vbi virtute & ferocia populi Romani domiti ſunt maximi reges, ſubactæque nationes feræ, cuncta maria terræque parebant, tunc omnia peſſum iere dominantibus his vitiis, quæ modò nominaui, donec cecidit Reſpublica, & vnà cũ laude inſignium geſtorum amiſſa libertas. Itaque populus is, qui labores, pericula, dubias res atque aſperas facilè tolerauerat, fractus ingenti rerũ ſucceſſu, & quem nõ ferrum, non flãma, non vis vlla hoſtium perdomuit, hunc diuitiæ, rerũ copia, immoderata licentia corrupere. Melius fuerat Carthaginẽ incolumen relinqui, quàm ea deleta, virtutum ſegetem, atque materiam bellicoſis viris auferri. Idem ſenſerunt Lacedęmoniorũ ſeniores, qui, cupiente eorum rege ciuitatem neſcio quam euertere, quæ illos multis affecerat moleſtijs, prohibuerunt, nolentes (vt ferebant) deſtrui & tolli iuuentutis cotem. Quas autem tu hominum delicias conferre potes cum eorũ laboribus, qui aut ius ciuile, aut medicinam, aut picturam, aut aſtrorũ peritiam, aut metiendi numerãdíque ſolertiam, aut naturæ cognitionem, aut dicendi facultatem attulerunt? quãquam operis amor efficit, vt labor vix ſentiatur, ac penè nullus ſit: ſubleuat etiã laborẽ vſus, exercitatio, conſuetudo. Sed nihil ſit horum: an malles his artibus tam præclaris hominũ vitam nudatam videre, modò ignauam ſpectes & torpentem? non enim ignoras munimenta quæcunque & ornamẽta vitæ laborum eſſe munera. Enimuero ſi citharę nerui citharœdum accuſent, quòd ipſos nimis intẽdat, & crebro feriat, nunc digitis, nũc pectine, non ne abſurdè facerent? quia nõ alia ratione concentum redderent, niſi intenti & percuſſi. Tu verò, qui cõquereris a natura proiectos homines laboribus, quibus intenduntur durius & exagitãtur, quomodo ſapiens tibi videri potes? nã noſtra intererat fides ingenij noſtri tractari ſemper atque pulſari, ſi modò virtutis edito opere inſignem aliquem ſonum fūdere cogitamus. Labores tu vituperas? quos ſcimus caſu etiã obiectos multorum valetudinem exercitatione reddidiſſe firmiorem? Sed id quoque audire potes a medicis, quòd labor longam reddit adoleſcentiam: deſidia maturã affert ſenectutem. Sed quid hæc? quum totus mundus aſſiduo motu laboret (vt antea dictum eſt) ſolus homo torpeſcet? atqui in iſtis inanimis animaduertere datur, nobiliſſima quæque maiorem perpeti motum. Nonus cœli orbis præſtantior cæteris celerrimè conuoluitur. Ignis præcipuus elementorum

quàm

quàm maximè omnium mobilis eſt. Aqua quoq; illa melior, quæ præcipiti fertur lapſu, quàm quæ ſub arboris alicuius ramis ignauè ſedet, odore & colore tetro, noxio quoq; potu. Si ad terram reſpicimus, terra aratro excita & commota ſurgit in lætiſſimas ſegetes, ſqualent arua, quæ nunquam commouentur: ſic homini vtile dicemus aſſiduè internis externiſq; motibus iactari, & in opere aliquo ſemper verſari, nuſquã quieſcere, donec vltima excipiat quies. Nunc tempus eſt agendi, quia poſtmodum (vt penes ingenioſum Poëtam)

Longè quieſcendi tempora fata dabunt.

Quid opus (inquis) tot beſtijs nocentibus? Vt terrearis, exercearis, puniaris, deniq; vitæ huius cupiditate ne tenearis, quã videas a fera quapiam nullo ferè negotio perimi poſſe: ſed ei ſtudeas, quæ fidelibus alio in ſeculo parata eſt. Tu autem dum nimis hanc æſtimas pręſentẽ, futuræ oblitus, excitatus es, vt mihi obiiceres ſæuitiã beluarũ, quã cõtemnere potuit Hercules aduerſus fœdiſſima quæq; monſtra, inuicta cõfligens manu. Vir autẽ ſapiens aduerſus omnia externa incõmoda animo iam conflixit, nõ formidãs ventura, & pręſentia contẽnens, quoniã vitæ huius ſuauitatibus ſummũ hominis bonũ nõ circunſcripſit. Deniq; ſi hominem humanitas, cur non feras deceat feritas? An diſplicet tibi igneus leonũ vigor? pernix tigridis curſus? elephantorũ proceritas? fulminantis apri impetus? & cornupetens taurus, adhinniénſq; & ſtare loco neſciens equus, ſimulac arma increpuere? Et in hac re vna pręcipuè maximam ſui mundus oſtendit pulchritudinem, dum tot exhibet animãtium genera, tam varijs motibus, támq; diuerſis figuris. Enimuero ſi atrium videas, in quo depicta ſint animalia, quæcunq; cœlo, terra, mari vagantur, credo plurimũ gaudeas, contemplando vnũ quodq; genus, pulcherrimúmq; id atrium dices, magiſq; probes, quàm ſi pauca animalium genera illic depicta fuiſſent. Quũ verò natura hæc eadẽ ediderit animalia, quorũ exẽpla pictor ſequutus eſſet, dãnamus? quid ita? quia nõ depicta ſunt, ſicut illa in atrio, quæ impetu, motu, ſpiritu, carentia nocere nequeũt? haud diſſimiles ſanè pueris, ſi ita ſentimus, quibus quadriga ex ære vel luto ficta magis, quã vera placeat. Viros autẽ ſi interrogas, hanc ipſam probare ſe dicent beſtiarũ truculentiam, narrantes tibi quantã voluptatẽ, imo vtilitatẽ, aſſequãtur de illarũ venerationibus, dum equis, retibus, canibus, venabulis, camporũ æquora die noctúq; peragrantes obdurant ſe aduerſus frigoris & æſtus inclementiã, & cæterarum rerũ penuriam, dum feras nacti, veloces curſu, fortes robore, callidas aſtu ſuperare contendũt: magnam enim habet virtutis exercitationem venatio ad imaginem propè inuenta bellicæ diſciplinę. Hic terror nocentium beluarũ tum primùm hominum inter ſe deuinxit ſocietatem, ciuilémq; concordiam intulit: nam dum verentur, ne diſperſos inuaderent beluæ & lacerarent, ſtatuerunt vno loco, iunctis domiciliis, ijſdem ſub legibus incolere: ante omnia verò aduerſus hoſtilem beluarũ impetum muro ſe ipſos circunegerunt: inuentum eſt tunc, vt eſt penes ſatyricum,

Communi dare ſigna tuba, defendier ijſdem
Turribus, atq; vna portarum claue teneri.

Sic vitæ ciuilis initium attulit, quæ nũc malè damnatur, ferarum immanitas. Poſtquã verò prouiſum fuit, ne in vniuerſum generi noſtro perniciem afferre valerent, tum adhibita ratio oſtendit vtilitatem de illis capi poſſe, non viuis modò, ſed mortuis; nam venatu illarum aſſiduo non ſolum cœpimus corporis

robur firmare, ſed veſci carnibus, veſtiri pellibus, pilis muniri, cornibus & dentibus armari, ita vt verendum iam ſit, ſi feræ deficiant, ne vita hominis ferina, & ſilueſtris, & inops futura ſit. Sed illud maius forſitan omnibus, quòd de ferarum membris medicina ſumitur, quin ipſæ feræ quadam ex parte medicinam nobis oſtenderunt. Vbi enim Dictami vis cognita, niſi indicantibus ceruis? vbi Chelidoniæ, niſi commoſtrante hirundine? non ne purgationem alui ab Ibide? miſſionem ſanguinis ab Hippopotamo, & vomitiones a Canibus ſumpſimus? Lege eos, qui hiſtoriam ſcripſere mundi, lege qui animalium naturam tractauerũt: inuenies illic quid aper inuenerit ſalutare, quid attulerit leõ, quid panthera, quid elephas, quid demum aliæ feræ nos docuerint. Niſi forſitan tibi hoc facere nõ videntur, quia non ingrediuntur ſcholas ad docendum ſumpta toga, nec ſalutantur ambitioſe prælato titulo magiſtri: ſed docent illę facto quid opus ſit, non inanibus verbis. Ipſarum autẽ ferociam infeſtam eſſe vis: quibus? bellicoſis ne hominibus? at ab his ea potius expetitur. Nobis? qui non Martis, ſed Mineruæ ſtudia colimus? At tantùm abſumus a periculis ferrarum, quantum illæ degunt ab vrbibus & hominum domicilijs procul. Quòd ſi errones eſſe volumus, iuuátque ſaltus inermes, & ſine idoneo comitatu peragrare, nihil mirum ſi tunc accidat, quod in equeſtrium quandoque ludorum fit certamine: nam qui vno loco ſpectandi cupidi continere ſe nequeunt, cum hac illac tranſeant, equorum impetu plerunque conteruntur. At ſerpentes horres, nolles genitos: hos enim nominatim appellaſti, & illorum etiam odium verſatur in ore vulgi: nam vbi inſigne odium ſignificare volunt, id peius ſerpentibus dicunt odiſſe. Atqui paulo ante ſinuoſos eorũ flexus, & ſqualentia terga maculis depicta laudabamus. Enimuero illa mẽbrorum cõpages, illa partium cõcordia, color, figura, ordinatiſſimus quidã viuendi modus illi aptus naturæ, habet aliquid, quod oculos paſcat & delectet. Illud etiã laudabile in hoc animali, quòd ſæpius pellem exuens cũ ſenecta reuireſcit, ita vt niſi percuſſum intereat, vix naturali nece cõficiatur. Sed & lingua, quæ tenuiſſima eſt illis & maximè vibrans, adeo vt triſulca appareat, non eſt ſine decore. Miretur quis etiã in eis cõiugalem quodãmodo affectũ, quia nunquã ferè mares ſine cõpare fœmina ꝓcedũt, & alterius morte ſuperſtes grauius affligatur. Et hæc quidẽ nõ inopina ſunt, quæ palam ſpectantur. At nõ expectaretur de ſerpẽtis capite mulieris caput exornari, quod fit tamen: nã ita a bonis auctoribus traditum eſt, de ſerpentũ quorundã frontibus translucidi candoris euelli gẽmam, Draconitidem vocant, quæ non ideo minus æſtimatur, quia de ſerpente ſit, ſed eò etiam carius, quòd animali adhuc ſpirante intercipere illam neceſſe eſt, quod non contingit ſine periculo & audacia: vbi intercepta eſt, fœminæ traditur, vt de ea procedat cultior. Neglexerit delitias aliquis. At illud ad ſalutem pertinet, quòd non tot, nec tam efficacia remedia humanis morbis de alterius animalis, quàm de ſerpentis membris cõparantur: qua ratione fertur vetuſtas Æſculapio medicinæ Deo id animal conſecraſſe. Dicerẽ plura forſitan alia de hoc animantis genere, niſi quòd animaduerto te nõ interrogaſſe quid opus fuerit ſerpentibus, ſed quid ſerpentum venenis: quaſi, etſi animal ipſum probes, deteſteris tamen venenũ, quod efflant, malum enim videtur & noxium: cui? num ſerpenti, in quo ineſt? minimè: nã ſerpentẽ ipſum prius interimeret, quin adeo hoc illi propriũ, vt ſi quiſpiam poſſet vi quapiam eripere, animal ipſum

extinguatur:

extinguatur: peſtiferum, & noxium eſt alteri adiunctum naturæ, cui non congruat. Itaq; plærięq; hominum conſuetudine bibendi venenũ eò progreſſi, vt deinceps tutò vterentur, nullum iam mortiferum poculum timerent. Scribit Mela in Apricę ora quoddã hominũ genus, qui Troglodytæ vocantur, ferum ſanè atq; agreſte, ali ſerpentibus, adeo venena non timent, vt etiam ſtudioſe edant: illorum enim congruit corpori. Pars etiam quædam Arabum eoſdem fertur eſitaſſe, propterea Ophiophagos tunc nuncupatos græco ſermone, latinè Anguiuoros vocare poſſumus: habent hoc ipſum cum ceruis cõmune, nam ipſi quoq; cauernis dicũtur extrahere ſerpentes, eóſq; mandere. Hi, vt opinor, venena tolli nollent: ſed nec Pſylli eiuſdem Aphricæ accolæ, nec Marſi Italiæ coloni, nec in helleſponto Parij, nec plurimi alij populi, quos traditum eſt ſerpentum ictus cõtactu leuare ſolitos, & manu impoſita venena extrahere corpori. Morem etiã Pſyllis fuiſſe aiunt experiẽdæ cõiugalis pudicitiæ gratia, liberos modò genitos ſæuiſſimis obiicere ſerpentibus, qui ſi effugerent illorũ cõtactum, teſtimonium præbere ſuo natos ſemine. Et in his quidẽ veteres ſequimur auctores, quibus maiorem etiã fidem adhibere cõuenit propter recentia exempla: nã multi ſunt etiã hodie, quibus venena parent, tanquã dominis, qui nacti ſunt diuinitus (vt aiunt) poteſtatẽ ſerpentes mulcendi, ſopiendi, & in digitis circunferendi, quorũ nemo vellet (vt dixi) hoc animantis genus aboleri: propterea quòd hæc miraculi ratio vulgo conſpecta quęſtũ illis cõficit. Venit nunc in mentẽ in libris noſtris ſcriptũ eſſe, vt in circulatores, qui ſerpentes circunferunt & proponunt, ſi cui ob eorũ metum dãnum datum eſt, pro modo admiſſi actio detur: ex quo conijcere datur fuiſſe etiã olim homines, qui eodem vtentes quæſtus genere ſerpentes proferrent, quod ne fieret in damnũ & iniuriam alterius, iuris prudentium reſpõſis cauetur. Non eſt igitur tam ſimplex, quã videtur nocere venenũ, quia ſæpius prodeſt, & quod tu times, alius contẽnet. At pluriũ lædit corpora. eſto: animũ tamen patientia exercet: quin etiam interimit. verum: ſed quẽ interimit, ſi bonus vir fuerit, eũ e ſalo vitæ huius eiectum in portũ collocat quietum: ſin malus, nihil æquè cõuenit, quàm malum malè interire. Et hęc quidẽ vbi optio nõ eſt mori. Quàm multi autẽ interire cupiẽtes, ne in hoſtiũ venirẽt poteſtatẽ, id beneficiũ a venenis petiuerunt, & ſitientibus ſimiles ea hauſerũt: ſicuti de Hãnibale, de Demoſthene legimus, de Cleopatra, quæ hoc ipſo ſerpentũ morſu occidere voluit. Maſſiliæ olim aſſeruabãt publicè venenũ, quod exire de hac luce ſponte cupiẽtibus præbebatur, poſtquàm moriendi cauſam Senatui ꝓbauiſſent. Quid? quòd licet ſerpẽs noceat viuus veneno, mortuus tamẽ auxiliatur: nã e viperinis carnib⁹ cõfici nobiliſſimũ antidotum, quod Theriacã vocant, munimen aduerſus venenũ fortaſſis dandũ, & auxilium aduerſus iam ſumptũ, notiſſimũ eſt omnibus, qui veterum ſcripta volutarunt. Quin etiã traditum eſt antidotum illud non modo aduerſus venena potens fuiſſe, ſed ad omne morborũ ferè genus expellendum: præter illud quoq;, quòd & firmiorem valetudinẽ conſtituebat, & ſenſus omnes magis vegetos reddebat. Itaq; eo aſſiduè vtebantur olim Romani Imperatores, & reliqui vrbis principes, quò vitã ſuã ab inſidijs cuſtodirent, & abſq; noxa diutius protraherent. Quærimur ſerpentes homini nocere: quid homo nihil cõtra habet, quod ſerpẽtibus noceat? atqui ſicut multorũ cõprehenſum eſt literis, ſaliua humani oris, ſi faucibus, ſerpentis inhæſerit, necat: & hæc eſt tã illis venenũ, quàm

illorū ictus nobis, pſertim ſi ſaliua eſurientis fuerit hominis & ſitientis. Tu verò de illorū quereris veneno, de hominis taces, ſcilicet ſerpentibus, id vt quererentur, reliquiſti: nec pudet tamen damnare ſerpentes hoc vno veneni crimine, qđ referre poſſunt. Vides iā (vt opinor) de congruitate naturæ omnia pendere, quia hanc ſequentibus nihil erit noxium. Itaq; redeundū ad priora. Quid eſt illud, quod tantopere laudabatur a nobis? ordo. Quando autē ordo non conuenientiam inter ſe naturarū depoſceret? ſaliua humani capitis, quæ nō videtur habere vim nocendi, nocet tamen ſerpentū illita faucibus, quia hæc non conuenit illorū corpori. Sic e cōtrario vipereum venenū infame malum nō reſponderit infamiæ ſuæ, vbi humanū apprehenderit corpus, cui cōgruat, vel natura, vel aſſuetudine, quæ parem naturæ habet poteſtatē. Si id in veneno eſt, licet in vniuerſum iam dicere, quòd nulla ſint noxia ordine locata, tranſpoſita autem nocent quæcunq; etiā ſalutaria: quod tu minimè aduertens vrgebas adhuc quærendo, cur exurat ignis, reſpōderi poteſt, quia nimis admotus fuit: nā calorem tantū & lucem longinquus præſtare debuit. Satyrus quidā, quū primum ignem vidit, admirans eius ſplendorē, & luciditatē, accurrebat protenſis vlnis in amplexū: retinuit currentē Prometheus, caue (inquit) feceris, nō valet ad hunc vſum: hæc ille monuit, ſciens ignis contactū humanis non cōgruere corporibus. At cōgruit beſtiolis quibuſdā, quas Ariſtoteles hiſtoriā perſequēs animaliū ſcribit penes Cyprios in ęrarijs fornacibus inueniri, illícq; inter illos ignes pēnulis adiutas volitare atq; victitare: ſic etenim res habet, vt ſuis quæq; collocata ſedibus bona ſint & ſalutaria: in loco autē nō poſita, etſi noceant, nō tamen naturæ ſuæ bonitatē amittant. An ideo lux non erit iucunda aſpectu, quia ægris oculis odioſa eſt? & vinum inſuaue, quia non ſano palato ſentitur amarū? oleum externis corporis membris plurimū confert, internis valde contrarium: itaq; frequens olim erat eius vſus in Gymnaſijs, rarus in menſis, vix enim adhibebatur, niſi ad diluendam ciborū quorundam acrimoniam. Num igitur oleum vituperaueris, vel oleæ inuentricem Mineruam? quia non modo proſit, ſed etiā noceat. Stulta vituperatio, quū ſit in nobis vitare ne noceat, vtilitatem autem, quā affert, ſuſcipere. Nota eſt hellebori vis: hic vno modo ſumptus medicamentū eſt morborū plurium, dementiæ præſertim & furoris: alio paſcit vt cibus, alio hoſtilem in modum interficit: tantū refert quomodo ſuſcipiatur. Si igitur helleborum damnabis, quia aliquo modo perniciem afferre poteſt, verendum erit, ne clament auditores te hoc ipſo helleboro indigere.

Nutritur vento, ventóq; extinguitur ignis:

Quomodo id accidit, idem poëta ſtatim explanat:

Lenis alit flammas, grandior aura necat.

Eadem ergo res alit, & necat, alit lenis, vehemens necat: ideo videndum eſt quomodo adhibeas: in hoc enim prudentiæ vis oſtenditur. Obruunt (inquis) vndæ: ſi de piſcibus loqueris, hi quò magis obruuntur effuſius gaudent: naturalis enim hæc illis ſedes, & nutrit elementum illud, quos peperit: ſed exiſtimo te tamen de hominibus loqui, naufragis ſcilicet, quos obuoluentes vndæ ad interitum rapiunt. Qua in re non video cur incuſare debeas aquarū vbertatem, ac non eum potius, qui fragilem truci

Commiſit pelago ratem
Demens, nec timuit præcipitem Aphricum

Decertantem

Decertantem aquilonibus,
Nec triſtes hyadas, nec rabiem noti,

Vt Flaccus præclarè inquit. Timet aliquis naue iam quaſſa & propè fracta, ne intereat naufragus: non timere nunc oportet, ſed quicquid acciderit intrepido animo ſubeundum: timere debuit antequam ingrederetur, nam nihil obfuiſſet iratum mare, ſi de litore ſpectaret: debuit, quum illuc perueniſſet, gradum ſiſtere, tanquam finis illud eſſet viæ cunctis gradientibus.

Nequicquam Deus abſcidit
Prudens oceano diſſociabili
Terras, ſi tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Sic enim conqueritur idem Lyricus Poëta. Vide quanta hæc peruerſitas: natura homini terrã dedit, quam incoleret, ille ſequitur potius aquas: vbi de aquis accepta calamitas, accuſat naturã: & is conqueritur nullo ordine ferri mundũ, qui ordinem deſeruit: mauult emendare naturam, quàm ſeipſum.

Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas, cui ſua terra parum eſt?

Nonne ita Propertius, accuſans pluribus alijs verſibus nauigantium ſtultitiam, incertiſſimo pelago vitam committentium? quibus ſtulti laboris mercedem exiſtimat bene perſolutam, ſi ex naufragio perierunt. Quid eſt, propter quod, quum tam vicina ſit mors, quàm ipſum mare, quod ſuperpoſitis premimus tabulis, audeamus illud decurrere?

Non illic vrbes, non tu mirabere ſyluas.
Vna eſt iniuſti cœrula forma maris.
Nec medius tenues conchas, pictóſue lapillos
Pontus habet, bibuli littoris illa mora eſt.

Quòd ſi præclarum omnino putant æquora peragrantem ad ignotas ferri gentes, & inſpectis illarũ ritibus & copijs remeare ad propria onuſtum peregrinis mercibus, quaſi iſtud ſit terrarũ tam diſtantium vſum propius admouere, & beneficia vniuſcuiuſque regionis communia facere, vt non quibuſdam, ſed omnibus naſcatur, quod vbique naſcitur: ſit hoc, ſi ita putant, prȩclarum: ſed tamen meminiſſe oportebat neminem illis incolumitatem reditus pollicitum: ac ne ſibi quidem ipſis poſſe polliceri, niſi forſitan in eorum ſit poteſtate, efficere ne turbulentæ ingruant tempeſtates, ne ventorum impetu pelagus concitetur. Si id præſtare poſſunt, non erit metuendum, ne naufrago ore bibant maritimum potum: ſin nequeunt, non eſt tutum tam infido & tam intractabili monſtro confidere. Negliguntur iſta propter fortitudinem, quæ poſtulat, vt non tuta audeant: optimè. Sed ſi quid deinceps acciderit durius in illis fluctibus, nunquid cauſæ eſt, quin eadẽ fortitudine animi placidè portetur. An fortitudinis erit tunc dolere? accuſare naturã? Cui natura reſpõderit: egóne te huc impuli? non certè, nõ eſt propria hæc hominum ſedes: aliena eſt: periculoſè a vobis tenetur. Vidés ne me non illa cõmuni vti defenſione, nullum eſſe interitus genus habendũ in malis, quod bene viuentes tranſmittat ad melius, ſed ad ipſum accedens naufragium, oſtendo id nullo naturæ imperio contingere, ſed

hominum audacia, ſeu (ſi id mauis) fortitudine & induſtria nihil intentatum relinquente. Vtrum horum dicatur, nihil ad naturam, quæ nulli hominũ illas ſedes niſi optanti conceſſit, quod ex eo facile intelligi poteſt, quia quidam tantùm ſunt nauigantes, reliqui mare negligunt, vel ignorant, niſi fortaſſe cenſes montanos homines naufragia metuere, & de naui fracta cõqueri eos, qui nuſquam nauis figuram, niſi forſitan in templis pictam viderunt. Sed quid alios? quis noſtrũ, qui adſumus, marinis implicuit ſe negotiis? nemo opinor: quanquam, quòd de naufragio verba facimus tam diu, ſi ignotus præteriens aliquis audiat loquentes, exiſtimaret forſitan nos maritima incolere loca, pelagiꝗ facultatibus ſuſtentari, & non eſſe mediterraneos: re autẽ intellecta diceret minus hæc ad nos pertinere: demum in vniuerſum humano generi non eſſe de his laborandum. At nõ minor (inquis) in terris calamitas. Suſpendit arbos, & tectorũ opprimit ruina, quaſi melius fuerit nullam eſſe arborem, nulla tecta, vt ſubduceretur occaſio pereundi. Eodem modo dicere poteras, ne montes quidem fieri debuiſſe, ne quis de illis præcipitem ſe daret: ne gladius quidem ſit vllus in vrbibus, nec acies omnino ferri, quia his homo ſæpius occiditur, aut vulneratur. Hanc legem ferre ciuibus tuis non auderes, & putas hanc legem mundi eſſe debuiſſe, ne quid in eo exiſteret, quãuis magnũ atꝗ præclarum, quod vel caſu vel vtentis vitio nocere queat? Tauri ſanguis epotus hominẽ (vt aiunt) interficit: quis ideo dixerit animal hoc, vel omnino non naſci, vel ſine ſanguine naſci debuiſſe, animal ad plauſtrorum ſubductionem tam habile, & ad ſcindendum terram tam neceſſariũ? Si nonnulli homunculi vino ſe ingurgitarent, & poſt ebrietatem fœda multa & turpia (vt veriſimile eſt) facerent, num malediceres terræ, quæ vinum protulit? non arbitror, quin potius beneficium benignę parentis laudares etiam poſt tales euentus: cõſilium autem & facta damnabis eorum, qui bonis bene datis malè vterentur. Vís ne in omnibus naturæ muneribus eandem mentem habere, ne ex vtentium improbitate tantæ liberalitatis dona condemnes: quãquam Poëtæ id faciunt: hi enim aſcribunt rebus vitia, quæ ſunt hominum ipſorum: idꝗ ſibi iure ſuo ſumunt, ſeu vt expleant legem metri, cui neceſſariò ſeruiunt, ſiue vt excitetur lectoris ingenium, ſeu quia id venuſtum.

Et inutile ferrum Cingitur.

Inutile inquit ferrum: quiſquàm ne hominum putabit inutile ferrum in bello? nemo vt opinor: ſed inutile tunc fuit ipſi Priamo, non ipſius ferri, ſed ætatis ſuæ vitio, vel temporis, quum tota vrbs iam in hoſtium poteſtatem veniſſet. Itaꝗ rectè ſubditur,

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget. Quid illud ex eodem?
Atꝗ mala vites incidere falce nouellas.

Quomodo falx mala, quæ beneficio vitis inuenta eſt, vt attonderetur & fingeretur putando, vt idem alio expreſſit loco? An non ideo mala dictum fuit, quòd malè ille vteretur ad ipſarum vitium interitum? Verùm, vt reuertar ad violentum hominũ interitum, de quo eſt ſermo, id breuiter totum cõcludi poteſt: quia aut caſu interitus ſequitur, aut ſtultitia occiſi: ſi caſu, iã id ordinis eſt vitam noſtram ad incertos fortunæ ictus eſſe expoſitam, vt hanc eius fragilitatem extimeſcentes nequaquã de illa pendente pendeamus, ſed paremus nos

meliori

meliori vitæ: ſin ſtultitia occiſi id contigit, forſitan quia doloris impatientia ali quis victus laqueo vitam finire optauit, quem mihi hic tu Deum? aut quã naturam accuſabis? habes in quem culpam referas. Imo (inquies) natura parens eripuiſſet homini ſtultitiam, eam indidiſſet vim humanæ menti, qua peſtiferũ quidquã aut noxium conficere nec poſſet, nec iuuaret: nõ cogitas, ſi id orationibus tuis & eloquentia poſſes obtinere, quòd maximo hominem bono orbares, omni ſcilicet prudentiæ laude. Si enim homo neceſſario impulſu, qualem in beluis videmus, feratur ſemper ad optima, quid promereatur? quid magnũ faceret? Virtus hæc eſſet non hominis, ſed naturæ: nec tunc ob illa homo magis cõmendandus eſſet, aut laude aliqua donandus, quã nunc, quòd videat, audiat, loquatur, quòd venuſtatẽ nactus ſit oris, & coloris ſuauitatẽ, ſolus ex animantibus ad cœli aſtrorũque cõſpectum ſuapte oculos cõuertat: ſunt enim gratuita dona naturæ: virtus omnis noſtra a volũtario animorum motu proficiſcitur, quem qui tollit, hominem prope parem beluis reddit, nullum virtuti humanæ relinquit locum. Quãto interuallo diſiunctæ ſunt naturæ cogitationes a tuis? nam tantũ abeſt, vt neceſſario quodam impulſu voluerit natura hominem trahere in arcem virtutũ, vt in quadam animi parte cupiditates ingenuerit effrenes, quæ præcipitem impellerent, atque ad vitia protruderent, quò ſcilicet temeritatis vindex & moderatrix officij ratio ſemper eſſet in ſpeculis, ne quid illæ turbarent, & longius progredi conantes vi ſua frangeret & cohærceret. Dicebas quodã orationis tuæ loco debuiſſe humanas cupiditates rationi ſponte concedere, idque putabas eſſe ordinis, inferiorem naturã ſuperiori obſequi: quaſi nõ ille optimus ſit ordo habere rationem, vnde deuicto hoſte triũphare poſſit. Quid pacatã vis eſſe vitam? bellum gerendũ eſt, ſi laudum appetentes ſumus, ſi virtutem cogitamus: bellum nullum grauius inteſtino, & nullũ magis inteſtinum, quàm pugnare ſecũ: nulla igitur difficilior hac victoria, nulla etiam præſtantior: hoc homini natura propoſuit certamen, hoc durum difficileque prælium, vt melioribus animi ſui partibus nequiores opprimeret, ſuique ipſiuſmet victor exiſteret, eáque de cauſa laude dignus & virtutis merito euaderet conſpiciendus. Et in hoc quidẽ perſpicere quoque potes, quàm prouida fuerit naturę ratio, quæ cauit ne quiſquã cauſari poſſit, ſe nullũ habuiſſe hoſtem cum quo contenderet victoriámque referret: nã vnicuique in intimis viſceribus hoſtem infixit, eundémque grauem, atque ferocem, in quo ſuperãdo virtus animi eniteſceret. Enimuero is prudens & magnus habendus, cui quum liceret voluptatibus corporis inſeruire, & ea, quæ ſenſibus ſuauia ſunt, prima habere, malis præterea artibus rem augere, honores adipiſci, incitatus ad ea animi libidine atque nequitia, ipſe rationis partes potius ſequutus, illis omnibus recta, iuſta, officioſa prætulit: hæc ſectatur: de hoc propoſito diuelli non poteſt, non ſi laborum immenſitas ſubeunda proponatur, non ſi omnes dolores intendantur corpori, negligens quæcunque aſpera, dura, horribilia, modò ſibi, veritatíque conſtet, Deóque pareat, quem infra animũ ſuum gerit: tantúmque abeſt, vt timeat cadentia tecta, aut tale quid aliud,

Vt ſi fractus illabatur orbis,
Impauidum feriant ruinæ.

Poſſum etiam dicere ad id, quod obiici videtur, corpus noſtrum, externis ictubus quibuslibet facile violari: id contigiſſe, quia neceſſe fuit molliſſimis e

carnibus formari intus & extra, ſi modò videndi & audiendi & reliquorꝫ ſenſuum compos eſſe debuit: ſcimus autem quodcunq; molle, vbi duro incidit, diuidi facillimè & diſſipari. Natura igitur fabricatrix humani corporis laudāda eſt, non impetenda, quòd maluerit molliſſimū eſſe corpus ornatum ſenſibus, quàm ſine illis duriſſimū. Ego autē profiteor malle corpus habere me lapide & ferro violabile, quā ferreum & lapideum: id enim vtilius cenſeo, de te nihil præiudico: ſed tamen interrogo, quoniam lyra ſubtilibus cōpingi debet tabellis, vt ſit vocalis, num te hac malis donari, quāuis fragili infirmoq; ſit corpore, quàm aratro, quod propter denſitatem materiæ firmū eſt, & penè inuictū? vtrum horꝫ alteri præponis? Num ſi lyra cōqueratur de fabro (liceat ſic fingere) quòd fragilem cōpegerit, & aratro inuidens malit in illud ſe conuerti, inſipientem putabis, quòd duritiem nobilitati formæ præferat? nō enim inuenire poſſumus duriſſimā materiam, eandémq; nobilem præſtantia formę, ſed quò magis intractabilis & ſui iuris fuerit, eò longius dignitas formæ retrocedit. Quid ad hæc dices? an illud, quòd has cauſas minus complecteris, quæ oſtendunt, ſine quibus aliquid eſſe non poſſit, illas magis requiris, propter quid aliquid ſit? veluti ſi de fabro quæreres, cur vaſculum fabricaſſet, nō illud quæreres, quomodo, aut ex quo fabricaſſet, quorꝫ vnum materiam reſpicit, alterum formam: ſed quem ad vſum: ſic dum cauſam fragilitatis humani quæris corporis, illud explanari tibi vis, nō quid fragile corpus efficiat, ſed propter quid fragile ſit effectum? quid ſpectans natura hanc cōditionem operis ſequuta ſit, vt diſrumpi facile & diffringi poſſe voluerit? quē ad vſum noſtrum? quídue vtilitatis ex eo animaduertens futurū? Ego ſi contentioſus eſſem, poſſem eodē reuolui, & ea, quæ modò allegabam, deducere: naturam, quū viſum fuiſſet hominem nobiliſſima effingere corporis forma, mollitudinē carnium dediſſe, vt talis cōſtaret: ex eo id ſequutū, vt eſſet corpus violabile, quia quod molle eſt, facile effringitur. Hic tu rurſus reclamabis me reſpondere aliud, quā quod quęreres, quærere enim te, quem ad vſum illa fragilitas fabricata fuiſſet. Reſpondeam me iam tibi dixiſſe, vt ſcilicet homo nobilitate formæ polleret: nam aut fragilitas illi corporis ſuſcipienda, aut duriſſimo in corpore nobilitas formæ amittenda. His tu auditis nondum (vt opinor) acquieſcis, ſed repugnare paratus: nam dicis nihil eſſe, quod naturā parentem, quæ alio nomine Deus eſt, impediat, quominus propoſitū aſſequatur: nā cunctas res illam trahere, nō ab illis trahi: ergo cōdere corpus hominis infragile potuiſſe, retenta forma, quā habet. Ego contra: nam omiſſa diſputatione poteſtatis, vertam me ad voluntatem: dicam enim naturam voluiſſe ea tantūmodo, quæ optimus ordo & ratio depoſcerent: iſtud autē eſſe rationis, vt nobilitas corporeæ formæ nō hæreat in dura materia, ſed in molli, & quod molle fragile, ſic inter me & te lis iſta conflatur, quā tamē diſſolui cupio. Omnino fatear neceſſe eſt meliorē illū eſſe docendi modum, vbi exquiritur, quæ princeps fuerit cauſa in intentione agentis, quò ſe fine cętera dirigantur. Ergo quia cōgruentius id puto, & vt etiā lis iſta tecum cœpta diſſoluatur, venio iam quò vocas. Audire vis, cur rectius fuerit, & vtilius corpus habere nos fragile, imbecillum, omnibus caſibus obnoxium, ac planè vitreū, quā cōtrario modo: exiſtimas naturā potuiſſe nobile corpus creare, idémq; inuiolabile, modò voluerit: ſed maluit fragile: cur? an quia inuiderit nobis huiuſmodi bonū? minimè id dicendū. Equidem exiſtimo plu-

rimas

rimas afferri cauſas poſſe, tangentes id quod quæris: ſed haud ſcio, an illa ſit præcipua, de qua antea dicebam, vt animus ſcilicet optima noſtri pars in ipſius corporis infirmitate ſeipſum exerceret, vímq; ſuam patefaceret: nam quũ quędam animo cum corpore ſic ſocietas atq; cõplexus, non mediocris eſt virtus regere & ferre tam grauem, tam iniquum, támq; importunũ ſociũ, doloribúſq; eius & cruciatibus nuſquã de recti honeſtiq; ſemita deflectere: num tibi hæc parua videtur cauſa? forſitan & aduerſus inſolentiam humanã prouiſum tunc fuit: quos enim ſpiritus aſſumeremus, ſi inuictũ corpus, impenetrabile, nullo tormento, nullo ictu expugnabile nacti eſſemus? putáſne vllius Dei, ſuperioris alicuius poteſtatis, alterius melioris vitæ mentionẽ laturos fuiſſe? Quãobrem nihil eſt, quòd amplius cõtendas mecũ de fragilitate humani corporis: nam cauſas attuli, & has, quas requiris, & alteras etiã, quas nõ requiris. Et hactenus quidem tibi reſpondi veſtigijs inſiſtens verbo℞ tuorum: nam non ſententias ſolum, ſed etiã verba ſubnotaui a te poſita in prima acie ſermonis tui. Effecit poſtmodum longitudo, qua vſus fuiſti in dicendo, vt nequiuerim ipſa verba ſeriatim memoriæ mandare: itaq; poſthac capita tantùm rerũ attingã, idq; ſatis (vt opinor) erit, præſertim quũ ex his, quæ iam dicta ſunt, pendeant omnia. Quocirca loco ſuo hæc eadem repetam, niſi quid melius & elegãtius occurrerit. Sequitur enim accuſatio illa non parua, de morbis humana peruadentibus corpora, quo℞ ſanè frequentius eſt agmen, vt dicebas, & melius norunt medici, qui ſingulo℞ cauſas diligenter indagarunt, & remedia adhibere conantur. Sed illos non fruſtra natura permiſit, vt ſcilicet patientiam animi exercerent, & a peccatis ſępius auocarent. Quot enim ſe ipſos in vitio℞ omniũ immanitatem dediſſent, niſi eos vis aliqua morbi atrox perculiſſet? quã multos aduerſa corporis valetudo compulit ad laudabile ocium, & ad ſtudium alicuius nobilis diſciplinę? Quemadmodum enim, quũ Xerxes maximis claſſibus, infinitiſq; equeſtribus & terreſtribus copijs in græciam trãſmitteret, ſciſcitantibus Delphicum oraculum Athenienſibus, quid agentes imminentem euaderent cladem, Reſpondit Pythia, quòd Deus illis pro lapideo ligneũ murum dabat, quo audito vrbe derelicta naues conſcenderunt, & aduerſus Perſas ſtrenuè pugnauerunt. Sic multis Deus pro vrbana ciuiliq; vita ligneum cubile aſſignauit immiſſo morbo, vt illic tollerantiæ ſuæ documentũ darent, vitiorúmq; vim euaderẽt, vel aliquod aliud ad diſciplinas pertinens cõpararent. Qua in re non eſt diuinũ reprehendendum iudicium, ſi non quod iucundum, ſed quod magis illis aptum erat, propoſuit. Quãquam magna ex parte nobiſmetipſis morbos attrahimus ventris ingluuie intemperantiáq; libidinum: veriſſimúmq; illud, ſi corpus animũ, cuius tutelæ fuit traditum, in ius vocaret, rationémq; repoſceret, vix euaderet, quin tutelæ damnaretur. Nos verò, vbi in lectulo decubuimus, non ad culpam reſpicimus noſtram, quæ morbũ genuit, ſed fortunam accuſamus, huic maledicimus, hanc cæcam cæciores ipſi appellamus. At oportebat ante, ſiquidem ſecũda nos corporis valetudo oblectaret, illi inſeruire præteritis voluptatibus, ſumentes neceſſarium cibum & potum, vitata ſatietate, tradentes impigrè corpus ſalubribus exercitationibus, parcẽteſq; inſuper vitali ſemini, niſi vbi generationis vſus tulerit: exhaurit enim frequens concubitus vim eam, qua confici cibus & molliri poteſt. Sin verò voluptates pluris facimus, quàm corporis incolumitatem, ne moleſtè quidẽ ferendum de

dum de morbo, qui propter illas obtigit: nam ſi pœnam reſpondere oportet delicto, iuſtis affligitur doloribus, qui iniuſtas voluptates ſequutus eſt. Inuitus dico, dicendũ eſt tamen, nunquã frequẽtior morborum inualuit copia hac ætate, idq; munus affert vitæ luxus: nã vitæ luxum cruditas, cruditatẽ morbi ſequuntur. Eſt autẽ imprimis meditanda firma validaq; concoctio, quę radix a plæriſq; dicitur eſſe vitæ, & quanti ſit, ex eo colligitur, quòd alterum illud, quod videtur eſſe maximũ præceptum, de ſalubri cibo ſumẽdo, nihil proficit hoc neglecto. Ingruentibus morbis a cibo & potu abſtinemus, vt illos expellamus: ſerò: decebat enim antea: nã ſi continentia victus & temperatio amiſſam reuocare poteſt valetudinem, quantò facilius præſentem cuſtodiret? Illę quidem voluptates, quæ ad oculos, aures, nares ſpectant, innoxiæ ſunt, etiã ſi quis illis intemperantius vtatur: ſi quis enim nimis intentus ſit erga colores, ſonos, odores, non læditur: ſed ſi in his duabus ventris inguiniſq; voluptatibus nimis ſibi indulgeat, pluſq; ſumat, quàm vt famẽ ſitimq; pellat, & liberos procreet, incurrit diſcrimen ſalutis. Cur igitur harum voluptatũ vehementiorẽ eſſe motum natura voluit, ſi reſtrictè his erat vtendum? cur quod ſaluti eſt ſatis, id delectationi eſt parum? ita enim rogare potes, vel forſitan rogaſti. His ergo ita reſponſum habeto, quòd natura in animis noſtris cõtinentiam voluit elucere, & quò harũ voluptatũ durior, moleſtia, ſeu illecebroſior motus, eò ſpecioſius eſt viciſſe, captáſq; circunferre, vtentẽ ipſis intra iuſtos fines: nec ſi natura voluptatem dedit, ideo immoderatam voluptatem dedit, ſicut riſum homini aſſignauit, non tamen cachinnum. Et naturæ quidem prouidentia talis erga nos fuit: nos verò qui ſumus? vicit rationem libido, pudorem impudentia, honeſtatem voluptas: & horũ debitas pendimus pœnas infra medicorũ manus aſſiduè iacentes. Vetuſtiſſimis temporibus, quibus frugalitas & ſobrietas vigebant, & omne ferè tẽpus laboribus tranſmittebatur, medicina ea, quæ medicamentis pugnat his inimiciſſimis corpori (ſunt enim mali ſucci, & ſtomachum lædunt, & vires exhauriunt) nulla erat initio, & poſtmodũ inuẽta diu iacuit: intemperies deinde hominum fecit, vt hæc medendi pars præ cæteris ſubtilius & diligentius multorum ſtudijs cõfluentibus excoleretur, veſtigaléſq; populos ſibi & gentes haberet. Auctor ex Poſidonio Athenęus eſt Italos veteres ita frugalitati deditos, vt aquam ferè biberent, & quodlibet pro cibo haberent, nec pluribus veſcentes ſomno ſe traderent: ſæpiúſq; liberos interrogaret pater, apium in cœna mallent, an nuces, quaſi alterutro contentos veſci oporteret. Ergo in tam ſobrio támq; parco victu ęgrè morbos cõtrahebant, idq; ex eo colligitur, quòd quodam tempore Italia podagræ morbum vt peregrinum habebat, & antiquitus iſtic nõ videtur extitiſſe, quia latino caret nomine. Nunc longe latéq; dominatur, præſertim penes lautos, & vrbanos, & diuites penè omnes: quęrit enim, qui ſe egregiè paſcant, & hos viciſſim ipſa depaſcit. Quid mirer de corporum morbis in tanta viuendi immodeſtia? nõ eſt id mirandum: illud etiam, atq; etiam admirarer, ſi vinolenti & luxurioſi conſequerentur ea, quæ ſunt propriè temperantium hominum & ſiccorum. Ac ne abſurde quidem dicere mihi videar, ſi dixero impietatẽ animi, & ſcelera graues ſæpius & irreuocabiles ingenuiſſe corporibus morbos, ne putemus tantùm corpus lædi corpore. Teſtis omnis ferè antiquitas, quę morbos ad Deorũ immortalium iram frequẽtiſſimè retulit, & ab eiſdem opem ſupplex petere ſolebat. Id vt firmius

credam

credam, admoneor recentibus exemplis: nam nõdum ſexageſimus eſt annus, quòd ætas hæc nouum lepræ genus ſenſit in concubitu fœminarum omnibus retro ſeculis ignoratũ. Hoc primùm Neapoli viſum, mox breui omnes terras, omnia maria occupauit. Vnde immiſſum dicam tam pudendum, & tam peſtiferum morbum, niſi cœlitum ira, ad corripiendum libidinum noſtrarum impudentiam? De morte verò quid dicam? equidem dixiſſe antea videbar, dum oſtenderem hanc eſſe mundi pulchritudinem, quòd nihil vno tenore permaneret, cedentibus ſibi inuicem rebus atq; ſuccedentibus. Hanc eandem pulchritudinẽ homines naſcendo moriendóq; præbent vniuerſo: ſubſtituitur enim noua proles a viuentibus, vt in demortuorum ſubeant locum: nõ enim poſſumus vitam, quæ rectitudinem habet lineæ, circunflectere, & fini initium copulare, quod eſſet quaſi quidam æternitatis circulus. Impoſſibile eſt igitur eoſdem numero manere, ſpecie autem ſeruari eoſdem contigit, dum pro diſcedentibus alios ſupponimus. Fit in hominibus, imo in omnibus animantibus illud pulchrum, quod de aureo ramo finxit Poëta,

Vno auulſo non deficit alter.

Itaq; fruſtra dicis homines aut non naſci, aut non mori debuiſſe: vtrunq; enim efficiendum fuit, vt ſua ſpecies mundo pulchritudóq; in hac quoq; parte conſtaret. Nec pro nihilo habendum, quòd viximus, ſi quidẽ ne de regno quidem depoſiti non gratias ingentes habere debent fortunę, quòd aliquando regnauerint: niſi fortaſſis impiè & iniuſtè regnauerint: his enim melius fuiſſet regnum non dari. Quo exemplo admonemur ita nunc viuere, ne quũ ad calcem peruentum ſit, vixiſſe pudeat: id præſtantes nõ incuſabimus mortem, vt feram & truculentam beſtiam. Quid enim fit, vt culpari iure queat? tormenta, cruciatus, & alia, quæ præueniunt mortẽ, acerba ſunt, & inimica ſenſibus, & homo ad mortem vſq; laborioſus & exercitus dici poteſt, virtutis ſuæ præbẽs documentum: vbi verò terminos ingreſſus eſt mortis, euaſit, ſaluus eſt. Quomodo igitur moleſtia eſt in morte, quæ omnem finit moleſtiã? imo verò quæ initium affert melioris vitæ: de bono viro, ſanctóq; loquimur, qui occluſis his terrenis oculis aliud ſupereſſe putat, quàm tenebras: ſed intelligit ſibi veniẽdum ad bonorũ omnium fontem Deum, vt cuius auctoritatem nutúmq; benignum ſequutus omnem exercuerit virtutem, eodẽ largitore virtutum præmia ferat. Sin ſtultum & inſipientem cogitamus virum, ſi modò vir, nihil huic fœlix contingere poteſt nec viuo, nec mortuo: idq; ita inſtitutũ fuiſſe gaudeo: decet enim quod rite inſtitutum fuit, approbatione ſententiæ ſuæ complecti, & ſequi, & plurimis laudibus efferre. Sed mortem non in malis, ſed bonis potius habendam, quo magis vtar teſte, quàm te ipſo? Tu, tu inquã, multus fuiſti in deflendis vitę huius calamitatibus, omnia mala noſtra vnum in aceruum collocare propoſitum fuit: tua id voluit, tua huc ſpectauit oratio: plurima eam in rem collegiſti, plura etiã prætermiſiſti, & veniam non improbè deberi tibi arbitraris, quòd non omnia fueris perſequutus, quia propter malorũ copiam vndiq; influentem nemo id poſſit: neq; tamen aliquis nunc noſtrum quæ prætermiſſa ſunt deſiderat, contenti ſumus his, quæ retuliſti, & nimis etiã dictum arbitramur. Refer mihi nunc pauliſper animum ad illa, quę dicebas, et ea pro mortis cauſa dicta tunc a te, vel a me nunc repetita puta: nã plurimũ confert ad mortis laudationem humanorum incommodorum, moleſtiarúmq; perlonga enu-

meratio. Cui autem dubium eſſe poteſt,ſi vita infœlix,quin fœlix habenda ſit mors,quæ ab illa infœlicitate liberat: omnino vitam hanc laborioſam eſſe & ęrumnoſam concedendũ eſt,ſed in ea tamen forti lætóq; animo permanendũ, tanquã in militiam huc fuerimus detruſi virtutis exercendæ gratia. Si quis tamen vitã hanc miſeram putet,ſi quis aſpernetur,maledicat, oderit, idémq; de morte conqueratur,petendũ ab eo videtur , ne ſibi ipſi repugnãtia dicat & faciat,ſed quantò miſerior illi vita videtur,tantò vitę finem,ideſt mortẽ,iudicet fœliciorem. At illud plæroſq; cõmouet,quòd per mortẽ lucis huius orbamur aſpectu,deſerimus vxorem,filios, bene conuenientes propinquos,amittimus rem familliarem, lautam ſcilicet & vberem : demũ omnibus vitæ huius ſuauitatibus ſpoliamur. Hæc querela aduerſus mortẽ eſt hominũ ſibi atq; cupiditatibus ſuis indulgentium,auelli hinc nollent,tanquã a bonis,quæ quomodo,& qualia,& quanta ſint bona,ipſi viderint : mihi nãq; non videntur ſolida eſſe & perfecta bona,nec vlli purum prębere gaudium poſſe. Attamẽ, vt illa illiciant ſui ſpecie animũ quorundam ſenſibus deditum,quãta voluptate perfundi eius animum exiſtimare debemus,qui ſeipſum cõtemplandis cognoſcẽdiſq; rebus inuoluit,& optimã ſui partem aſſiduè exercet? An ſenſus dulcedinem cõmouere poterit intento animo? ratio,ingenium,cogitatio,mens non poterit? Scimus non in eccleſia modò Chriſti,ſed in gentium etiã populis plurimos quõdã diuitias contẽpſiſſe,voluptates corporis abieciſſe, alios ſe oculorũ orbaſſe aſpectu,vt ſeipſos totos in cõtemplatione ponerent,animóſq; ſuos optimis imbuerent diſciplinis, putantes ad meliora longè & iucundiora transfugiſſe bona: quod ni ita eſſet,non omniũ populorũ ſuffragiis ſapientum nomen conſequuti fuiſſent. Quorſum hæc? vt intelligatur,quòd hoc tãtum ſcientiæ & cognitionis bonum tantũ abeſt vt exhauriat mors,vt maximè adaugeat : nã dum animus corpore hoc tenetur, veluti tenebroſo incluſus carcere, parum proſpicit: primas notitias ducit a ſenſibus, ſingula deinceps,quæ decerpſit,in vnum cõponens ratiocinatur,& ratiocinando circunducitur,& modò hoc,modò illud veriſimile videtur : quippe qui naturã rerum intimè proſpicere nequeat , ſed ęuentus tantùm quoſdam notarit. Nec tu id ignoras,qui hanc eius incertitudinem,varietatem,diffidentiã,criminis etiã loco poſuiſti. Hæc igitur animo contingunt in corpore. At vbi his effractis clauſtris liber euaſerit in diuinam illam lucem,tunc res ipſas intelligentiæ ſuæ radiis directo pertinget , & ab vltimis vſq; elementis vnũ quodq; dignoſcet:non coniectura illic valebit , non ſyllogiſmus,nõ illud verbũ, Opinor,aderit:ſed illud præclariſſimũ, Scio. Sed non impedit modò animum corpus a vero perſpiciendo, ſed plurimis eundẽ curis vexat,& ſolicitationibus,dum ſubeundi labores,& dolores tolerandi, qui neceſſariò in vitã incurrunt. Hoc eſt vinculum (de corpore loquor) quod libertatem noſtrã circundat: vbi id reiecerimus,omni erimus perturbatione liberi,omnibus vacui terroribus. Itaq; ſi tales ſumus,quales eſſe oportet,non moleſtè feremus iſtinc diſcedere:quin iuuabit ex his anguſtiis ad largiorem æquitatis libertatiſq; cãpum peruolare. Eſt igitur magno diuino munere conceſſa hominibus mors:ſiquidem aduentu ſuo ianuam tantis bonis patefaciet : ideo mundi cõditionem nõ turpauerit,ſed potius ornauerit. Nec cõmoueri decet, etſi feram (vt ais) & atrocem referat plerunq; figurã,vel quia abducturam minetur ab hoc ſeculo,quod negligere,vel quia tormenta præmittat,quę fortiter

tolerare

tolerare debemus. Et ne dubito quidem, quin de doctorum & prudentium virorum animis, omnem mortis terrorem excuſſerit ratio, cęteris verò ex ipſa deſperatione fugę adeſſe poteſt mẽtis ſecuritas, ne fruſtra timor ſit. Multi quidem adeo contempſerunt, vt vltro etiam eam accerſerent, alij venienti exire obuiam non dubitarint. Videbant facilem exitum eſſe mortis, & quòd nunquam eundem bis aut ter repetit, morbis longè diſſimilis, qui abeuntibus ſimiles permanent, vel ſi abeunt, vbi viſum eſt, reuertuntur. Equidem admirari ſæpius cogor nonnullorum impudentiam, qui clament omnium mortalium mentes mortis metu terreri. At, ne longius quæram, video milites paruo ære conductos in dies obiicere ſe morti, perire quoq; eos aceruatim. Leonidas ille Spartanus, qui tercentum adduxerat Lacones in Thermopylis aduerſus Xerxem, quum turpe ducens loco cedere, moriẽdum ſibi & illis videret, non pluribus hortatus eſt verbis, vt mortem contemnerent, adeſſe tantũ denuntiauit, Prandete (inquit) commilitones, apud inferos cœnaturi: ſic illi inuitati alacres & ad prandium, & ad cœnam profecti ſunt. Et de morte quidem hactenus. Reſtat modò, vt illam orationis tuæ partem aggrediar, in qua agebas de bonis maliſq; hominibus, neutiquã ineptè nec indiſertè. Dicebas nanq; quòd boni ſæpius morbis, paupertate, exilio, infamia, & multis alijs premerentur difficultatibus: contra verò nocentes, & flagitioſi homines in ſumma rerum omnium affluentia agerent. Enimuero honores, imperia, magiſtratus illis potiſſimùm deferuntur, dominãtur populis, ſtipati clientibus, amicis, affinibúſq; plurimis: videas eos abũdare auro, argento, marmore, ſtatuis, picturis, ebore, gemmis: habitare in ornatiſſimis & domibus, & villis, & hortis, & latiſſimorũ feraciſſimorúmq; prædiorũ eſſe dominos, quibus infinitum quẽlibet ſumptũ tolerare queant: corporis inſup egregia habitudo, decedunt illis omnes de via, aſſurgunt, venerãtur, & ſi longius peregrinandũ ſit, multa variáq; ſupellex in via eos ſequitur: accedunt immodicæ laudationes nõ rhetorũ modo & poëtarum, ſed adulantis etiã vulgi: audiunt ſe vocari in ſupplicijs mitiſſimos, in rapinis liberaliſſimos, in libidinibus tẽperatiſſimos, has ſcilicet ſubeuntes pœnas pro ſuſceptis flagitiis, vt beatiſſimè omniũ viuant: vel ſi quid durius aduerſiq; nõnullis contingit, id non ſtatim vbi deliquerint, ſed niſi ſerò cõtingere, in ipſo forſitan ſenectutis extremo, poſtquã ſcilicet optimos quoſq; ciues, alios fortunis omnibus, alios vita ſpoliarint, quò fit vt caſu quodã & fortunæ inconſtantia interpretentur mala illa aduentaſſe ſibi, nõ flagitiorũ debitas pœnas quenquã de ſe expetiſſe, quum ſub ipſo delictorũ tempore nihil incõmodi tulerint, quin aucti fuerint copijs & facultatibus. Hæc aduerſantur rationi, quòd bonis malè, malis bene cõtingat. Ergo non ratione, humanarũ rerum ſtatus, & hæc mundi pars adminiſtratur: ſi nõ ratione, ne ordine quidẽ, quũ ordo ratione cõſtet: quòd ſi nõ ordine, ſequitur, vt non etiã mente, quũ propriũ ſit mentis ordinare. Relinquitur igitur hæc caſibus fieri, & fortuitis motibus vẽtilari: quocirca ſummã turpitudinem ſequi neceſſe eſt, quia nihil turpius inconſtantia, errore, temeritate. Video expectationẽ veſtrum omniũ in me conuerſam, ſcire cupientium, quid dicam nunc ad hæc, quid agam, quà euadam, quò ex tantis anguſtiis prorũpam. Sed alios omitto: hæc te o Dionyſi maximè mouerunt, nec mirum, quia veteres etiã plurimos mouerunt, qui ſapientes ſibi videbãtur, ſed tales non fuiſſe certum eſt, ſi putarunt res hominum neglectas & inordinatas

iacere, propter quos reliquus mundi ornatus proceſſit. Principiò intelligendũ eſt inſtitutũ fuiſſe diuino cœleſtiq́ꝫ decreto, vt externa quæ vocamus bona, velut opes, diuitias, gratiam, gloriã: item quæ corporis ſunt bona, qualia ſunt valetudo, vires, pulchritudo, ſenſus integri, in pedibus celeritas, vis in manibus, in voce claritas, & reliqua huiuſmodi: item quæ ſunt in animo naturę bona, ſicut agilitas, ingenij acumen, docilitas, & vis firma reminiſcendi: hæc probis improbiſq́ꝫ eſſent cõmunia, & horum cõtraria mala ad vtroſq́ꝫ pariter pertinerent. Sic effectum eſt, vt nonnulli boni his bonis ditati fuerint, quidã improbi oppreſſi malis: contra nonnulli improbi hæc habuerint bona, quidã autẽ boni cõtrariis malis fuerint detenti. Hoc ita inſtitutum fuit, quò ſcilicet intelligeretur hæc exigua eſſe bona, vt quæ in medio ſint poſita, & promiſcuè turbam admittant, adeo vt improbis etiã conceſſa ſint: item exigua eſſe mala, vt quæ paſſim fluentia probis etiã contingant. Conueniebat etiã hęc bona, maláq́ꝫ adeſſe probis, vt in bonis adminiſtrandis, maliſq́ꝫ tolerãdis virtus eorꝫ eluceſceret: ſimiliter cõgruebat hæc bona, maláq́ꝫ adeſſe improbis, vt malè vtendo, maléq́ꝫ ferendo oſtẽderetur improbitas. Sic hæc fortunæ & corporis bona, ſimiliterq́ꝫ mala præbent eorꝫ ſingula materiã, alteris virtutẽ, alteris nequitiã exercendi. Hanc inſtitutionẽ rerum humanarꝫ quis iure improbare queat? equidẽ audeo iam dicere bonis bene ſemꝑ cõtingere, malis malè. Fac bono viro adeſſe imperium, diuitias, potẽtiam, gloriã nominis, gratiã penes ciues atq́ꝫ finitimos oẽs: hæc non amplectetur tanq́ꝫ ſua bona, ſed vt aliena, vt per hæc. ſ. proſit multis, obſit nemini: q̃q̃ etiã ſua putauerit illa ratione, quòd occaſionẽ præbent exercendæ virtutis. Nõ igitur referet ea ad voluptatẽ corporis, & ad quæſtum: nõ animi explebit libidinem per illa, nec quicquid mulcere oculos poteſt, auferet alteri, aut omnino habere volet: non, vt augeat rem familiarẽ, multos euertet patrimoniis: non expilauerit pecunioſos ciues, vt habeat, quod donet ſatellitibus cupiditatũ ſuarum: nihil horꝫ. Sed primùm mẽtem ſuam intra æquitatis rationiſq́ꝫ præſcriptũ frænabit: conſtituet iura populis, tum æquiſſima, tum ad finiendas celeriter controuerſias potentiſſima, ſuperſtitionem auferens, vanitatémq́ꝫ diuini cultus, veram religionem augebit: improbitatem minis, ſuppliciis, vi coërcebit: volet tutam vbiq́ꝫ eſſe innocẽtiam: ſed deſidiam & luxuriam pariter, quæ duo vitia corpora & animos nũc & olim afflixerunt, tollet e ciuitate, ſubſtitutis labore & frugalitate: quãuis autem vitæ neciſq́ꝫ multarũ gentium cõſtitutus ſit arbiter, nullius tamen temere fundet ſanguinẽ, ſed modicè, vel parcè, potius vtetur hac poteſtate, in ſceleſtos tantũmodo, & maximorꝫ ſcelerum auctores, inſanabili ingenio præditos: cũ reliquis ita aget, quaſi ſingulos numero cuſtodiendos acceperit, paratus quãdocunq́ꝫ numerare, & poſcẽti Deo rationem referre. Ad hęc vt quiſq́ꝫ maximè opis egens erit, ita illi conſilio, opera, re auxiliabitur, operiet nudos, eſurientibus panẽ diuidet, captos a prædonibus redimet, æs alienũ ſuſcipiet pro his, qui lapſi ſunt infœliciter facultatibus, nec ſoluẽdo ſunt, & in filiarũ collocatione multos adiuuabit, latius in partienda, quã cogenda pecunia occupatus: idémq́ꝫ, quũ ab obſequio indulgentiáq́ꝫ corporis diſceſſerit, ſocietatémq́ꝫ carnis eiecerit, mentẽ tollet ad cœleſtia, cogitabit quanta illic ſunt præmia, quæ ſanctè percipiunt animæ de his ſeculi tenebris ad lucem illam translatæ: agnoſcet, quanta Dei bonitas, tum in omnes mortales, tum in ſeipſum, gratiáſq́ꝫ aget, quòd illũ tot naturæ & fortu-

næ donis

næ donis inſtruxerit, quòd dederit, vt iuſtè & officioſè hæc terrena valeat adminiſtrare: nihil enim boni operis elatus aſcribit ſibi, ſed omne acceptum fert Deo, quo flante impellentéq; ad illa peragenda proceſſit: nec aliunde vnquam reſpicit, ſed hoc fine claudit cogitationes ſuas omnes, vt Dei iuſſis pareat atq; obſequatur. Habes vitam boni viri in magnis verſantis imperiis, proſperæ fortunæ flatu vtentis: hunc nō rectè modò, ſed fœliciter etiam agere homines putabunt, repugnante nemine, ea tamen fœlicitate, quæ mortalibus cōtingere poteſt. De hoc pugna nulla mihi eſt tecū: dubitatio incidit, vbi agitur cum bono viro non leniter, ſed aſpere: doles enim fortunam non pro moribus cuiq; contingere, ſed exempto diſcrimine bonos quoq; grauiter iactari, & durius etiam, quàm malos. Da mihi igitur bonū alium quendam virum, qui egeſtate prematur, valetudinario ſit corpore morbis vndiq; ſcatentibus: huic Tyrannus quiſpiam eruerit oculos, alter manus præciderit, tertius ad necem vſq; verberarit; poſtremò in eculeo poſitus laminis candentibus vratur, in fruſta paulatim ſecetur, & ex interuallo, quò magis tormenta ſentiat, repetatur. Hunc tu miſerrimū putas: incuſas ordinem mundi, quo conceditur in talem virum tanta influere poſſe ſupplicia: crudelis fortuna, quæ illum ſic diuexat. An non miſericors potius, quæ ad tantam virtutis exercitationem perduxit? Nondū enim forſitan animaduertis, quantus inter illa ſupplicia virtutis ſplendor emicet. Nam quū ille patienter ferat omnia, nec a rectitudine mentis officióq; ob ſuppliciorum grauitatem diſcedat, Deum, quo auctore illa proueniunt, comitetur, quid homine hoc (ſi animaduertis) vidiſti maius? vel his virtutibus potius, quæ illum circunſtant? illic enim adeſt fortitudo animi, magnanimitas, conſtantia, grauitas, adeſt contemptus rerum terreſtrium, & cœleſtiū expectatio: hunc hominem, qui tātas procreet tunc virtutes, miſerum vocare audes, & malè ſecum agi putas? At, vt miſer ſit quadam ex parte, ex alia tamen non miſer, quia animo nō ſuccumbit, quin fœlix potius ob virtutem, qua decoratur, & inſignis vir euadit, & conſpiciendus, magniſq; præmijs dignus efficitur. Non ille ipſe, qui torquetur, tecum ſentiat, præclarè ſecum & optimè actum exiſtimet, quòd ſic patiatur: quia patientiā animi præ omnibus amplectitur, & videt per illam beatū aſcenſum dari ad cœleſte regnū. Nihil illi contingit inexpectato: nā vires quoq; ſuas experiri cupiebat, quæ nunquam certam ſui fiduciā promittere poſſunt, niſi quū dura multa circunſteterint, propiúſq; acceſſerint: his vera virtus probatur, vt non ſit melior auri in igne examinatio. Ergo iſte ſic tentatus atq; probatus, ſuppliciorum omnium atq; acerbitatum victor, dolet corpore, ſed lætatur animo. Pœnę grauius affligunt, quādo cunq; imprimūtur nolentibus: vbi verò ex animi ſentētia cōtingunt, corporis illa eſſe ſupplicia, nō animi, exiſtimādū eſt. Quamobrem quū deterior pars hominis ſit ea, quæ doleat, & melior illa, quæ gaudeat, non ne hominē, tormenta alacriter ſubeuntem ob animi lætitiā, fœlicem potius, quā a corporis dolore miſerū vocari conueniet? Noſti (opinor) initio Chriſtianæ fidei & prædicationis Euangelicæ quāta cædes, quámque varijs fœdiſq; tormētis in noſtri generis homines edita fuerit omnibus in prouintijs Cæſarum iuſſu: atq; haud ſcio, an religio iſta plura conſumpſerit corpora, quàm omnia Regum & populorū bella. Nemo ferè tunc reperiebatur, qui non precibus omnibus a Deo peteret, vt pro eius religione occūbere, & Euangelio teſtificari profuſo ſanguine

liceret: nemo, qui vbi id contigiſſet, non ſummi beneficij loco collatū duceret: nemo, qui nō alacriter ſubiret, & duriora quęq; tormēta maiore gaudio exciperet. Quid enim non pertulerunt? non vincula cathenarū? non morſus ferarū? non ardores flāmarum? non arationes vngularum? non aculeos cōtumeliarū? feſſis iam tortoribus non erant feſſi illi perferre, quum deeſſent omnia, ſupererat tamen animus inuictus ob religionem & fidam pietatis cuſtodiā. Quid igitur putamus illos viros tam prudentes, illa pectora tam deo plena miſeriā ſibi optaſſe? quis id velit, quod natura hominis omnino non habet? ergo fœlicitatem putabant illa ſibi fore ſupplicia, per quæ patientiam animi proferrent: hac oblectari Deum intelligebant, de quo cuncta alio in ſeculo expectabant. Multa quoq; in iſtis ſtrenuè & generoſè philoſophi feciſſe memorantur, quorum vnus Anaxarchus fuit. Is (nota eſt hiſtoria) quum Nicocreonti Cypri tyranno inſidias feciſſet, & deprehenſus eſſet, impoſitúſq; in mortarium pilis ferreis tunderetur, quò ſocios coniurationis indicaret, exclamabat proſpectans tyrāni vultum, tunde, tunde Anaxarchi vaſculum, Anaxarchum non tundis. Potuit ne magis exprimere nihil illorꝫ ad animū peruenire, quem Anaxarchum vocabat, quum corpus, vt rem Anaxarchi, poneret? Si hoc tu mirareris, præſens diceret Anaxarchus (nam tormenta nō prohibent breuiter diſputare, & hoc etiā tyrannus in noſtri gratiam nunc concedit) O homo vides ipſe, quòd aduerſus tormenta non nudis pugnatur animis, ſed corpore impeditis: corpus eſt illud, quod diſtrahitur, vexatur, laceratur, nullū per illud ad animum vulnus tranſit: quod ex eo apparet, quia non flector, vt quidquam eorum faciam, quæ iubet tyrannus: non indicabo, quod præcipuè petit, coniurationis conſcios. Dices tunc forſitan, O philoſophe hæc mihi valde & valde miſeranda videtur. At ille, Vllá ne magna miſeria (inquiet) in fortitudine hac & tanta mentis conſtantia? dura quidem & grauia, fateor: ſed vllá ne fortitudo eſſet ſi leuia & dulcia portarentur? Lætaris igitur (inquis) quòd contunderis. Non quia contundor (inquit) ſed quia contuſus fragro ſuauius, ſicut piper ſolet. Sic opinor iſte diſſereret, quem laudare cogeris, quia ex doloris contemptu non modo turpe quidquam non ſuſcipit, ſed e cōtrario ſummū lucratur decus fortitudinis nomine, quam oſtendit. Quid Socrates? quid Teramenes? nonne & carcerem & venenū iniuſtè a ſuis ciuibus ſibi propinatū æquiſſimo animo tulerunt? quorꝫ alter moriens Platonis ore laudatus eſt, alter Xenophōtis. Quòd ſi vterq; fato ſuo occubuiſſet, vita quidē eorꝫ clara & celebris, mors autē obſcurior, & illaudata fuiſſet: voluit autem natura ſeu qui hæc machinatus eſt Deus, homines in ipſo extremo quoq; ſpiritu rectè meritóq; laudari poſſe, & huc vſq; fortitudinis noſtræ terminos extēdit. Nā morte iam obita nō eſt amplius ꝓmerēdi locus. Nō coronabatur olim in Olympiis robuſtus quiſq;, ac ne imbecillus quidē vllus. Quis igitur? robuſtus certans, & vincens: ſic robur intus recluſum nō cenſetur eſſe aliquid, vel quia non eſt vſui, vel quia non apparet. Similiter ſi iſti viri fuiſſent animo fortes, vt erant, non tamen hæc eos commendaſſet fortitudo, aut aliquid illis attuliſſet, niſi in certamen deſcendiſſet, & grauia quædam & aſpera nacta foret, aduerſus quæ conſiſteret & dimicaret, & demum ſuperior euaderet: virtus enim omnis actione comprobatur, vel in agendo potius conſiſtit. Ergo aut ſupplicia non obijcias oportet bono viro irrogata, per quæ fortitudo animi

oſtenditur

oſtenditur & tolerantia rerum aduerſarum, fatearéq; ordine in rebus humanis
bono etiam viro adiuncta fuiſſe: vel ſi corrigere mundi ordinē tentans illa tol-
lis, mundum quoq; ipſum præclaris illis excelſiſq; virtutibus orbabis. At pla
cet adeſſe virtutes, ergo placebit quoq; adeſſe ſupplicia, virtutū ſegetem atq;
materiam. Rectè igitur & ordine inſtitutio mundi, vt nunc habet, procedit.
Fallit autem huiuſmodi in rebus molliſſimus quidam affectus, quem videor
maternum poſſe vocare: nā matres liberos ſuos fouent oculis, ſinu, amplexu,
continere in vmbra volunt, non flere illos, non contriſtari, non labori vllo, aut
negocio ſe concredere patiuntur. Quid patres? horū contraria: nam aut mi-
litiam capeſſere iubent, aut in mercatū extrudunt, aut rei ruſticæ delegant: de-
mum laborare, inſudare, grauioréq; aliquo opere perfungi volunt. Quorum
iudicium firmius? qui magis filijs fauent? Patres, inquies. Quin igitur ſuſcipi
mus aduerſus quoſq; bonos animum patris cenſorium, dimiſſa illa indulgētia
materna, hos ad labores, pericula, dolores, cruciatus, egeſtatem, exilia vocan-
do, vt in dura difficiliq; in materia exprimant illic mentis ſuæ firmitatē, oſten
dántq; inuictam patientiā miranti ſeculo? Hoc ſentientes bene de ipſis prome-
riti fuerimus, & nos illi amplectentur: ſin audierint quempiam culpantē mun
di ordinem, quia mala quæq; in ipſos irruant, accipiant hanc eius ſententiam
durius, quàm mala iſta, quæ deplorat, & corripuerint grauioribus verbis: di-
cant ſe viros eſſe, nec vlli pro ſeipſis mollitudinis & ignauiæ patrocinium man
daſſe. Summatim autē, vt hunc locum concludam, ſic habeto: nihil bono viro
contingere poſſe, quod ille non pro lucro deputet: exilium quid ſit, nō nouit,
quoniam hoſpitio mundi vtitur, ſolam patriā habet cœlum: ſi res eripitur, pu
tat ſe procuratione patrimonij liberatum poſſe expeditè magis virtutem & di
ſciplinas ſectari: quemadmodū ferunt Zenonem dixiſſe, nuntio accepto fra-
ctę nauis, quæ pecuniam eius vehebat, Bene agis fortuna, quæ nos ad philoſo-
phiam compellis: ſin cruciatus imminet corpori, pelliſq; tangitur, lætatur etiā
tanquam propoſito diuinitus nobiliſſimæ coronæ præmio, quod nō molliter
nec ambitioſe, ſed per durum certamen auferendū ſit: iuuat enim tum virtu-
tem promere, tum virtutis ipſius præmium a Deo oſtentatum magnum atq;
cœleſte de tanti Imperatoris manu ſuſcipere. Debemus nos tunc pariter talia
ſpectantes, magnificè cōmoueri, & benignè interpretari, pro bonis fortibúſq;
viris quæcunq; ſtare aſperrima, quādo propter animi virtutem tam longè ani
mam ſuam illi contemnunt. Magno animo magnis de rebus iudicandū eſt, ne
illarum putetur vitium, quod noſtrum eſt. Quòd ſi orationem hanc contem
nis, exiſtimans me altius loqui, quàm vt hominis conditio ferre queat, doleo
equidē, ſi tibi videar gloriam verbis captare, & ex ſcientia, non ex ſententia lo-
quutum. At quantò melius de te exiſtimo, quē arbitror quæcūq; aſpera ferre,
ſi animum obfirmaueris, poſſe? nam ſi quod aduerſus te fortuna telum ineuita
bile intorſerit, quid ages? credo præſente animo excipies, & vulnus cōſtanter
tolerabis. Sed pergis adhuc, &, vt concedas bonos bene agere etiā in tormētis,
attamen, quòd mali etiam bene agunt omnibus ſuffulti delitijs, non putas eſſe
ordinis, quia hos illa potius tormenta experiri deceret. Id cuiuſmodi ſit, videa
mus. Faciendum eſt enim, vt quemadmodū boni viri vitam expreſſimus ſecū
dæ ridentiſq; fortunæ muneribus vtentis, ita nunc contrariam iniqui ſcelera-
tiq; hominis exprimamus, qui ſi imperio, magiſtratibus, diuitiis, gloria, nomi-

ne floruerit, eò cogitationes omnes ſuas vertet, vt augeat opes, & voluptates cuiuſcunque generis conſequatur: ergo criminibus illatis ciues ſuos hos patria expellet, illos necabit, aliorum patrimonia ſibi vendicabit, ambulabit ſtipatus ſicarijs, parricidis, veneficis, gladiatoribus, lenonibus, adulteris, plura illis dilargietur, quoſcunque occurſu ſuo terrebit, omniũ opprimet ora metu, ne aduerſus eius potẽtiam hiſcere queant, inferet innuptis ſtupra, adulteria matronarum in delitijs habebit, populum noua indies conferre tributa coget, funa compilabit, honeſta inhoneſtáque cũcta venalia habebit: denique violenti amnis inſtar ruet, rapiet, trahet, mutilabit, lacerabit omnia: menſura iuris illi vis fuerit & libido. Hæc Tyrannorũ eſt vita, & eorũ, qui illos imitantur: hos tu agere fœliciter putas, quia quicquid libet, licet, nõ cogitans quòd prima & maxima peccantibus eſt pœna peccaſſe, & in ipſo ſcelere ſceleris ſuppliciũ eſt. Nam quũ, non dico in homine, ſed in omni cœlo, atque terra nihil ſit ratione præſtantius, hócque tam præclaro & excellenti munere natura hominem donarit, quam poteſt ſibi ipſi homo ſecurim infligere grauiorẽ, quã vbi ſeipſum ratione exuit, et id, propter quod homo eſt, abijcit & relinquit? Si quiſpiam humani corporis forma relicta, beluæ alicuius induceret ſibi figuram, infœlicem illũ omnes rectè iudicarent: quomodo enim non eſſet infelix? qui quũ antea celſus ſtatu & erectus cœlum ſpectaret, & oculos æthereæ regioni ſideribúſque inferret, nunc pronus humũ ſpectaret, tanquam ad paſtum proiectus: & quũ manus haberet digitis, digitorúmque internodijs diſtinctas, ad quodlibet aptas opus, nunc illarum loco pedes poſſideret alteros ad curſum tantùm: & quũ antea ſermone animi ſui motus efferre poſſet, & reliquorum hominum ſocietati ſe adiungere, nunc mutum pecus aſtet, vel inarticulatũ fundens ſonum nullius rei indicem: iure igitur in tanta mutatione infœlicis & miſeri nomen ſubeat. At eum, qui depoſito humano animo ferinũ induit, qui leone violentior rapitur ad cædes, & lupi inſtar prædatur omnia, & tanquã ſus volutatur in omni libidinum cœno, hũc fœlicem putas? qui fieri poteſt, quũ ſuperiorem corporis mutationem horreres, hanc animi vt probes? niſi quia forſitan illa oculis, hæc mẽte videtur: quaſi non ſit hoc maximum argumentũ maioris infœlicitatis, quòd mente tantùm ſpectat? Vile etenim malũ eſt, quod oculis ſubijci poteſt. Enimuero quũ ad vnum quenque noſtrum propriè pertineat fidem colere, æquitatem tueri, venerari Deum, amare patriam, augere cõmunia cõmoda, operam, conſilium, pecuniam indigentibus diuidere, protegere a cõtumelia afflictos, & metu perterritos ſubleuare: eum, qui nihil horum, ſed cõtraria agat omnia, nonne animaduertis e tanta ſui dignitate excidere, & turpiſſimã animo inducere figuram? quomodo igitur fœlix, quũ ea parte, quæ in homine eſt princeps, corruptiſſimus diſtortiſſimúſque ſit? Vagnonum noueras nullo rationis vſu præditum: furioſus & erat, & habebatur, quũ fatua quæque loqueretur & faceret: credo ſæpius miſeratus es eius infœlicitatem. At eum, qui nõ ſtulta & fatua, ſicut ille, ſed atrocia paſſim & immania edit facinora, qui bacchatur cædibus, rapinis, ſacrilegijs, & adulteriis, qui rectum a curuo non diſtinguit, ciuem ab hoſte non dignoſcit, qui fas omne diuinũ humanúmque peruertit, hic furere tibi nõ videbitur? & in tam peſtifero furore non maximè omniũ infœliciſſimũ iudicabis? Hoc igitur ipſo, quòd peccant, ſcelerati miſeri ſunt? Quãquã ne aliæ quidem pœnæ deſunt: vt enim iudicia effugiant, & ſententias iudicum, & ſcripta

legibus ſupplicia, attamen domeſticus adeſt illis tortor, conſcientia ſcilicet ſcelerum, quę aſſiduè illoꝝ mentes flagellat: recordantur ſæpius quàm multa inhumanè impieꝗ cõmiſerint: hinc verentur hominum opinionem, multoꝗ magis Dei iudicium: quin natura ipſa horrere cõmiſſa cogũtur, & ob illa ſolicito atqꝫ anxio animo eſſe. Cuius rei maximum argumentũ eſt, quòd nemo tam audax inuenitur, qui rem ſcelere partam nõ multis partibus malit ad ſe iure, quã illo modo peruenire: nemo qui latendi ſpe propoſita feciſſe neget, quod obijcitur facinus, vel ſi occultare nequit, nõ excuſatione defendat, & iuris aliquem colorem opponat, vel doloris ſui cauſam prætexat: adeo ſcelus ipſum ſuo nomine illis etiam ingratum eſt, qui ediderunt. Huc adde, quòd qui fax & origo fuerunt aliis flagitioꝝ, pleruncꝫ deteſtantur eos, qui perſuaſi ſunt, quaſi ipſi nõ ſuaſerint: horrẽt etiã ſocios, & miniſtros, qui principes fuere ſceleris, quaſi ipſi id non iuſſerint, voluerint, mandauerint: malos deniqꝫ odio inſequuntur, qui malos etiã fecerunt. Hinc Cęſar dicebat ſe amare proditionem, odiſſe proditores: & hoc idẽ Antigonus aliis efferebat verbis, dum diceret ſe amare eos, qui produnt, odiſſe qui prodideruut. Rectius vterqꝫ dixiſſet, ſe vtilitatem amare, quam ſe conſequi ex proditione opinantur: proditionem autem, & omnes, qui eo in genere delinquunt, odiſſe. Quantò autem iuſtius, perfecto iam ſcelere, ſe ipſos odiſſe debẽt proditores, quod omnibus pariter improbis cõmune eſt. Enimuero illa impudentia & audacia, qua vſi fuerant in perficiendo ſcelere, elata ab animi perturbatione tanquam vento quopiam, hac cadente, illos deſerit: hinc conſcii ſibi ipſis turpiter & nefariè geſtorum terroribus circunueniuntur, adeo vt non vigilantes modò, ſed ne dormientes quidem ſæpius quieſcant, ſed dura tunc eos agitent vexéntqꝫ inſomnia. Hæc de medio vitæ vſu ſumpta, poëtæ etiam cecinerunt. Recolamus illud ſatyrici,

Exemplo quodcunqꝫ malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori: prima eſt hæc vltio, quòd ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur. Et paulo poſt
Cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes? quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens, & multò ſæuior illis,
Quas & Ceditius grauis inuenit, & Rhadamanthus,
Nocte dieꝗ ſuum geſtare in pectore teſtem.

Imo graue geſtare in pectore non vnum, ſed mille teſtes, quoniã (vt eſt in prouerbio) Cõſcientia, mille teſtes: has plæriqꝫ interpretãtur vltrices eſſe furias, quas idem fingunt poëtæ inſequi nocentes ardentibus tædis, dum aſſiduis curis & ſtimulis agitatur vexatúrqꝫ, &, vt ille modò dixit, ſurdo verbere flagellatur mens ſibi conſcia peccatoꝝ. Quò enim fugiat? nam quocunqꝫ ierit, ſecum fert malam conſcientiam, malè illum vrentem, nec euadi hinc poteſt. Quòd ſi ita ſe habere valde eſt miſerũ, nonne omni ratione fugienda improbitas, & cõtendendum ad probitatẽ? nunquã enim poteſt improbus erga ſeipſum amãter habere, ſed ſibi ipſi magis atqꝫ magis indies diſplicet propterea, quòd nulla aut pauca in ſe inuenit amore, reliqua infinita odio digna. Quos prętereà metus ſuſtinent ab inimicis, ne quæ fecerint patiantur? nõ enim pauci futuri ſunt,

quia non ſolum inimici, quos illi læſerunt, ſed alii omnes, qui exemplum me-
tuunt, & ſe eodem modo lædi poſſe arbitrantur. Non enim, quia metuitur a
cæteris, ipſe expers ſit metus: quinimo, vt Laberiano verſu teſtatum,

Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.

Quid vim fortunæ, eiuſq; mutabilitatẽ & inconſtantiam? non ne extimeſce-
re illis neceſſe eſt, ne vno impetu eripiat multo tẽpore congeſta ſpolia? nã quò
blandius arriſerit, eò magis ſuſpecta eſſe debet, & quum impulerit, ne leuiter
quidem caſuros putant: locus enim ille ſublimis, quẽ relicta planicie cõſcende-
runt, præruptus vndiq; grauiorẽ illis ruinam caſúmq; minatur: omnia in iſto
fœlicitatis genere dubia ſunt, craſtinum etiã formidatur: ubi autem quod for
midatur contingit (contingit enim id ſæpius) nonne clamant omnes, id egiſſe
fortunam altius extollendo iniquum hominem, quò grauiore exciperetur caſu,
duriúſq; collideretur? Quid animũ prædicem inanem atq; vacuum? quando
quidem nunquã expleri poteſt: affluant licet diuitiæ, curſu vadant ad eos hono
res alii ſuper alios, tamen maiora adhuc expetuntur: nihil plenũ illis videtur,
ſed curta omnia inſatiabilis cupiditatis vitio. quid plura? non amant, quæ ha-
bent, ſed quæ non habent: quamobrem in ſumma copia ſummè inopes ſunt.
Vidi ſæpe nonnullos agris agros adiicere ſtudentes: hac in cogitatione qſquis
eſt, miſer ne tibi, an fœlix videtur? mihi quidẽ miſer: quia quod cogitat nũquã
efficere poterit, ne vicinũ ſcilicet habeat. Sed peruenerit ad littora, omnes, qui
vbiq; intra oceanũ agros exercent, ſint eius coloni, vel ſerui, ſiſtét ne ibi? nõ dũ:
nam inſulas optabit: his poſſeſſis cœlũ petet, dominũ ſolis, lunæ, & reliquorũ
ſiderum cõſtitui ſe volet. At ne tũc quidem ſatur: nõ enim fruſtra dictum eſt

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Innumerabiles optantur mundi. At nõ ſunt alii præter hunc. quid refert? co-
gitatione fingi poſſent: & plures habet ſchola quædã philoſophorꝝ. Sic intelli
gi datur nullas diuitias ſufficere in ſtultorũ animis ad quietem: nam ſemper ſu
pereſt aliquid, quod inhient, & ad quod ſuſpirent. Quid fœdius ſeruitute? nã
bonus vir, etſi corpus eius vinculis cõſtringatur, animo tamen eſt liber: nihil
facit iniuſtum, arrogans, ſuperbum, crudele, nihil quod non ante ſibi faciendũ
optimo iudicio præſcripſit, nulla res æquè penes eum pollet, quàm rectũ, quã
leges, a quibus ne diſcedat, in ipſius voluntate atq; arbitrio poſitum eſt: reliqua
ludibria fortunæ contemnit. Ergo manet in ſeruitute corporis animi libertas,
eiúſq; dignitas ſeruatur. At improbus nõ vni quidem homini, quod optandũ
fuerat magis, ſed fœdiſſimè vitijs ſeruit: & a quot vitiis poſſidetur, tot ſeruus
dominorꝝ: imperat illi iniuſtitia, ſuperbia, crudelitas, iracundia, luxuria, intem
perantia, voluptas. Quum illi dico imperari ab his vitiis, meliori animi parti
dico, in qua mens, ratióq; verſatur: hanc tot monſtris parere, & turpiſſimè ſer-
uire cogit. Quamobrẽ, etſi libere corpore mouetur, animo tamen ſeruus cen-
ſendus: ſubiicitur enim immaniſſimis ſuis cupiditatibus, quas nec regere, nec
continere poteſt, ſed earũ arbitrio aufertur. Hos, quorꝝ animos tot fodicant for
midines, tot curæ exedunt, tot cupiditates, tanquam furiæ implacabiles, pertur
bant, qui miſerrima premuntur ſeruitute, beatiſſimè omniũ viuere dicemus?
quia ſcilicet hæc nos exteriora capiunt: adeſt illis optimũ auri atq; argenti pon
dus, pocula varia, pura atq; cælata, materia operéq; pretioſa, eburneæ menſæ,
veſtimenta purpurea atq; aurea, ſeruitium immenſum, florens equitatus, ma-

gna turba

gna turba ſalutantium, maior comitantium, domus ſignis & tabulis ornatiſſima, tum omni ſupellectilis genere refertiſſima, locuplete penu inſtructiſſima: videmus amicorum gaudia, clientum obſequia, vulgi in hæc cõuerſa ſtudia. Iſta eſt potentia, cui inuidemus, iſte flos, qui delectat: nimirũ, quia populum ſequimur nullius bonæ rei (vt quidã dixit) auctorem, cui iſta externa magno æſtimantur. Itaque horum dominũ beatum nuncupamus, nec quid intra cutem huius beati lateat introſpicimus, quàm fœda illic & quàm deformia omnia, quot ſcelerum labes, quot timorum ſtimuli, quot efferueſcentes cupiditates, quàm inexplebiles ambitiones, quantus curarum æſtus, quæ dies noctéſque animũ vrgent, nec ſibi ipſi ſatisfacere permittunt. Simile eſt, ac ſi quis videns febribus detentum in aureo iacentem lectulo optima veſte cõſtrato, ſub ægroti etiam ceruicibus ſericos puluinos, ſpectans inter eius manus roſarũ coronã vnguentis madidam, & ad pedes delectos miniſtros ad nutum paratos, videns inſuper delicatiſſima quæque in cibos parari & offerri, conſiderans amicorum turbam viſitantium, & humaniſſimos facientium aduerſus ipſum ſermones, cõfeſtim exclamet hominem eſſe beatum, qui tot bona poſſideat. Hũc iure irriſerint omnes, & forſitan corripuerit aliquis in hæc prorumpẽs verba, O ſtulte, hæc quæ tu miraris, & ſi ſub ditione hominis, extra hominẽ tamen ſunt: ipſe cuius hæc ſunt bona, malè habet: ſi paululum aſtiteris, iam huc illuc verſantem ſe in ſtrato, iam laborantẽ, ingemiſcentémque videbis: corpus enim morbi corruperũt: faſtidit aurum, faſtidiunt epulæ, faſtidit vxor, accuſatur medicus, lectulo ſuccẽſetur, amicus veniens moleſtus, diſcedens moleſtior, quæcunque irrita & ingrata habet: neſcit iſte aurea cõpoſitus ſponda quieſcere. Quamobrẽ caue poſtmodum, ne ob hæc beatum voces, quę malè habenti iucunda nõ ſunt. Sic ille diceret. Idem meus eſt ſermo aduerſus te, ſi tyrannicos viros beatos putas ob externa fortunæ bona, animo eorum mille ærumnis oppreſſo, & totidem cupiditatum morbis perturbato, ita vt neutiquã hæc illis iucunditatem aliquam ſinceram præſtare poſſint, & in hoc quidem ſimiles eos facio ægrotantibus corpore: at alio diſſimiles. Quia illi ſimulac in morbum inciderũt, proijciunt aurũ in vim auxiliorũ, quò incolumitas reddatur corporis: & ſi venalis proponatur bona valetudo, nec aſſequi aliter poſſint, quàm licitando, emant pretio rerum quæ circa ipſos ſunt, ingenti quidẽ, at pro bona valetudine dato: vident enim infirmo corpore atque perturbato nihil eſſe lætabile, ſed triſtia contingere omnia: eo bene firmo atque valente, etſi paupertas adſit, tamen vel cibarius panis aquæ potus quocunque de riuulo hauſtus erit iucundiſſimus, ſed iſti, quorũ animos tot mala perturbant, non proiicere modò diuitias parati, vt bonã mentis aſſequantur habitudinem, ſed etiã feſtinant augere, morbum etiã ipſum magis augentes. Nec mirum, quia ægrotat in illis ratio, ideſt ea animæ pars, cuius erat munus potiſſimum iudicare: hac perturbata atque cõcuſſa vtuntur temere ſe ipſis in epulis, atque concubitu, tanquã pecora humi ſtrata, tradúntque ſe diuitiarum fulgori, & adulantium vocibus, quaſi nihil melius habeãt oculis atque auribus: denique multa tetrè, impurè, ſceleſtè, tum loquuntur, tum faciunt. Qua in re differunt etiã multum ab his, qui ægrotant corpore: quoniam illi, ſimulac morbum ſenſerunt, negotia omittunt, tradunt ſe lectulo, nec diſcedunt, donec in melius inclinata fuerit valetudo: at iſti, quorum vexantur animi cupiditatũ morbis, tum quũ maximè quieſcere eos oporteret, valetudiníque bonæ mentis

vacare,quodlibet aggrediuntur, & ita ſæpius ruunt, vt illorũ furorem & de-
mentiam tota ciuitas non capiat: melius tunc cum iſtis ageretur, ſi grauior ali-
quis morbus corporis cubili affigeret atq; ab opere cohiberet. Cæterùm ne-
ſciunt quantum ſit illud gaudium, quod ſanis atq; integris animis cunctorũ in-
naſcitur, qui ſeipſos in cõtemplatione verarum rerum, & honeſtarum actione
poſuerunt. De hoc dixi antea: nunc idem planius exponere cogito breuiſſimo
ſermone. Aut enim oportet dicere hominẽ nihil aliud eſſe, quàm corpus, nul-
la re a beluis differentem: aut, quoniam id eſt abſurdũ, ſi relinquimus homini
duo quædam e quibus conſtet, animũ ſcilicet & corpus, neceſſe eſt vtriq; parti
proprium quoddã aſſignare bonum, quo iucundè perfruatur: ſicut etiã in cor-
pore vnuſquiſq; ſenſus habet propriũ quoddam bonum, in quod dirigatur, &
cum voluptate verſetur, ſicut oculi colores, aures ſonum. Eſt autem animi ſen
ſus cogitatio, ratiocinatio, inquiſitio: cui, quę ad cognoſcendum & agendũ ſunt
pulcherrima, obijcere oportet, & hunc illis inſiſtere. Quòd ſi corpore, quod
eſt deterior hominis pars, voluptas ſentitur viliſſimis de rebus, veluti de auri
ſpectaculo, vel cõtrectatione alienorũ corporum, vel odorũ, quomodo neceſ-
ſe non eſt multis partibus illam voluptatem antecedere, quæ de veritatis luce
& virtutis vſu animis percipitur, ideſt quæ in meliori hominis parte fit meliori
bus de rebus? Nihil eſt veritate & virtute melius: animus etiam corpore præ-
ſtantior. Atq; ita id ſe habere res ipſa indicat, non ſermo tantũ: quot enim in-
uenies, qui ſeipſos totos in doctrinarum ſtudiis poſuerunt, reiecta diuitiarũ
cura, voluptate etiã corporis neglecta? Putás ne mediocri delectatione captũ
Archimedem? qui obſidentibus Syracuſas Romanis, dum in puluere deſcri-
bit quædam, eáq; conſiderat, non animaduertit captam fuiſſe vrbem, nec mili
tem ſtricto in ſe irruentem expauit gladio, ſed orauit, ne illam linearum figu-
ram cõturbaret. Hic idem, dum a Hierone ſibi propoſita quædã inueſtigaret,
& diu meditans nihil profeciſſet, vi deinceps arreptus a ſeruis in balneum, ex
his, quæ illic circa ſe fiebant, inueniſſet quod quærebatur, nõne præ gaudio ſta
tim exiliens e balneo exclamauit ſæpius, inueniſſe? Adijciã huic Niciam Athe
nienſem pictorem, qui dum Homeri Necromãtiam pingeret adeo opere tene
batur, vt obliuiſceretur penè ſui ipſius, interrogans ſæpe ſeruos, an prandium
ſumpſiſſet, idq; opus iam elaboratũ poſcenti Ptolemęo Ægypti Regi per lega
tos, prælato munere ſexaginta talentorũ, ferunt tradere noluiſſe, neq; pecuniã
illam, aut gratiã Regis tanti putaſſe, vt venderet egregiam tabulam, quã poſt-
modum patriæ donauit. Hæc fieri nõ poſſe conſtat, niſi magna eſſet dulcedo,
quæ caperetur animis ex artibus & doctrinarũ facultatibus. Hinc aiunt, quòd
iucundius eſt pingere, quàm pinxiſſe, illa enim in abſoluendo opere occupata
ſollicitudo ingens parit oblectamentũ in ipſa etiã occupatione: non æquè de-
lectatur aliquis, vbi opere iam perfecto ceſſat manus & induſtria, iam enim
tunc artis præmia reſpicit artifex, hiſq; perfruitur: at ipſa fruebatur arte dum
in opere eſſet, quod ſanè dulciſſimũ eſt. Quanta oblectatio Platonis fuiſſe pu
tanda eſt cœleſtia diuináq; meditantis? quanta Euclidis dioptica condentis?
quanta (vt ab artibus iam recedam, & ad actiones veniam) Scipionis Aphri-
cani, Hãnibale ex Italia depulſo, & in Aphrica deuicto? quãta Themiſtoclis
Gręcia Barbarorum bello liberata? Sed minoribus etiã in rebus iucundus eſt
virtutis vſus; nã amico periclitanti ſuccurriſſe, exemiſſe vinctum de prædo-

nibus,

nibus,filiam inopis collocaſſe,non modo in vulgus glorioſa,ſed etiam facienti iucunda. Quamobrem improbos flagitioſóſq; homines, etſi cunctis fortunæ muneribus abūdarent,cunctis naturæ dotibus niterent,tamē vel ob hoc vnū miſerrimos vocares,ſi velles illis ſuum nomen reddere, quòd huius voluptatis,quæ ſola,vt in humanis,vera eſt,ſincera,atq; plena, ipſi nullum vnquā guſtum ſuſceperunt: infœlices profectò,quorum mens a tāto bono longè latéq; exulat. At rideant (inquies) illi hanc eorų infœlicitatem, nec mirum, quia vecors ridet etiā in eius vecordia,qui tamen a ſapientibus lugetur; magna enim infœlicitatis pars eſt infœlicitatem ſuā non ſentire,eam præſertim,quam quis conſilio & ratione excutere poſſet. Non eſt iam quòd mireris, vbi videris improbos auro,opibus,potentia circundatos:non enim decuit aliud naturā omnium parentē,quàm vt hæc parua & exigua munera cuilibet daret. Sicuti princeps quū in fame frumentum populo diuidit,vel liberalitatis gratia congiariū aliquod offert,dignis atq; indignis id datur, nullius perſona examinatur, nemo excluditur, q̄uis turpem in moribus habeat notā. At vbi magnus honos agitur,vel ſummum aliquod imperiū,tunc delectus adhibetur,& niſi inſignis vir virtute pollens id ſuſcipit. Sic ipſe Deus,quem iandudum naturæ nomine compello,quæ in ſuis habet,vt vilia & exigua munuſcula,hęc improbis etiam dilargitur: de inimiciſſimo ſibi hominum grege voluit etiā promereri pro eximia eius indulgentia & bonitate. At ſapientiæ fulgorē, iuſtitiæ ſanctitatē,inuictam patientiā,indelebilem caſtitatē, ſpem immortalitatis,ardorem cœleſtiū bonorum,terreſtriúmq; contemptum,lætitiam internam cū ſumma pectoris pace de ſupernorų contemplatione naſcentem: demū ſumma alia & immenſa mentis munera,quibus ipſe ſpeculator adeſt,quibúſq; gaudet,magnis tantùm & præſtātibus hominibus voluit patere. Sed illud quoq; in cauſa eſt,cur opes & copias cōcedat improbis Deus,vt liberum ſit illis per hæc peccare,& oſtendere quales ſint,quoniā inopia & impotentia (vt Heraclitus ad Hermodorū ſcripſit) velamētum & operculum nequitiæ eſt. Quid ſi dicamus Deū quoq; improbis hæc concedere bona,vt quandoq; videntes illi ſe liberaliter & benignè a ſummo domino tractari, reſipiſcant aliquando, & ad eū tādem ſeipſos ferant quem illorum bonorų vident largitorem, quum cōtraria accipere promeriti fuiſſent? Nonne honeſta hæc ratio de malis promerendi? ſæpe enim indulgentia prouocari reſipiſcentiam videmus, ſæpius beneuolentiæ ſignificatione ſuperatos ſcimus,quos nulla vnquā odia vincere potuerūt. Age & illud cōſideremus,neminem vnquā tam malum fuiſſe, quin ediderit opus quādoq; aliquod iuſto probóq; conueniens viro,& laudatione nonnulla dignum: num igitur iniuſtum,ſi hæc ipſorų opuſcula iſtis munuſculis,quæ magno ab illis æſtimantur,remuneranda putet,ne ſine aliquo munere pro his diſcedant? ſic enim conuenit largiſſimo omnium parenti, nihil eorų, quæ effigiem habeant virtutis, relinquere indonatum; & ſimul eripitur impijs querela, quum quędam geſſerint egregiè, ſe nihil pro his boni ſuſcepiſſe: hinc & iſtis aër ſpirandi præbet vices,& ſol collucet, & terra fruges, baccas,ſyluas,cubile miniſtrat. Sed non modo his cōmunibus fruuntur,ſed & priuatim aliis pluribus,quæ diuina illis bonitas,vt viſum eſt,ſuggerit. Cernis iam quot & quàm ꝓbabilibus defendatur argumentis iuſtè hæc temporalia bona in viros quoq; improbos diffuſa fuiſſe,nec ob id inſtitutionem humanarų rerum culpari debuiſſe? Quòd ſi

miſeros

miſeros improbos demonſtrauimus, vbi voto cuncta reſpondent, quid futurum, vbi atrox inſequitur fortuna? non enim (vt aiunt) ſemper riſus excipit, ſed luctus ſæpiſſime latronem: ſic in iſtis quoq;: nã vel res parta ſcelere aufertur, vel vita ferro eripitur, vel dolore immoderato corpus affligitur, ſæpe etiã legibus debitas pœnas perſoluunt, populo ſummè plaudente. At id non niſi ſerò (inquis) contingit, poſtquã ſcilicet plures ſui diſſimiles contumelia affecerint, vel necarint, nec vt flagitioſos putant ſe tunc pœnas dare, ſed, vt homines, fortunæ inconſtantiam experiri: rectius igitur fuiſſet, ſi præſens pœna peccantem comitaretur: His tu argumentis aduerſus hunc ordinem rerum humanarum pugnas, nec deſunt multi, quibus idem videatur. Attamen repugnare facillimum: nã docui antea maximam pœnam peccati eſſe in ipſo peccato: tantũ ergo abeſt differri pœnam, ſicuti dicebas, vt puniantur peccata, nõ modo quũ facta ſint ſubitò, verùm etiã dum fiunt. Superuacuò quæritur de impiorũ alijs pœnis, quũ impietas maximũ ſibipſi ſit ſupplicium, & eò miſerior aliquis, quò diuturnior ſibi fuit licentia peccandi. Quamobrem non longo poſt tempore improbi pendunt ſupplicium, ſed longo in tempore, ſi diutius peccantes perſeuerarunt: nec ſenex vllus pro iuuentæ facinoribus dediſſe tum primũ pœnas, ſed in ipſis pœnis conſenuiſſe dicendus. Verũtamen quoniã diuino & humano iudicio congruere videtur, vt improbitas has etiã externas pœnas ſubire debeat, ideo dicendũ de his aliquid fuerit, qui ſerò corripi videntur, & huic parti mundanę Reipublicæ laboranti ſuccurrendũ aduerſus imbecillitatem & imperitiam multorũ: nullam enim Ciuitatem, ac ne domũ quidẽ (vt antea dixi) melioribus inſtitutis gubernari crediderim, quàm vniuerſum mundũ. Quod igitur obijcitur, impios ad externas has pœnas ſerò pertrahi, etſi ſæpius id fiat, non eſt tamen perpetuum: nã multos in ipſis flagitijs, vel non multo poſt præſens pœna acerbè afflixit, ſiue ſupernè immiſſa obſcurius, ſiue per homines irrogata apertè, ita vt ne ipſi quidem diſſimulare valerent non perpeti illa ſceleris ſui cauſa, notiúſq; id eſt, quàm vt exemplis vti oporteat. Ex quo fit, vt quicunq; delinquat, metuat ne ſubitò pœnas pendat admiſſi: quod enim pluribus obtigiſſe vident, poſſe idem quoq; ſibi iure cõtingere animaduertunt: hinc trepidant, æſtuant, vrgente preſertim conſcientia, nec vlla eſt ſponſio, quæ ſecuritatem illis præbere valeat. Quamobrem, vt præſens nõ adſit ſupplicium, præſens tamen adeſt ſupplicij metus: nec poteſt dici vllum impium poſt cõmiſſum facinus liberum a ſupplicio ſtatim relinqui, quippe quod iam in eius cogitatione verſetur. Quòd autem tardius reipſa ſuppliciũ aduenerit, propter quod diutius peccare potuerunt immanitate eorũ in dies etiam creſcente, adeo quòd antequã pœnas perſoluerint, plures ſui diſſimiles oppreſſerint, & alios e patrimonio, alios e patria, alios e vita eiecerint, exiſtimandũ eſt diuino id factũ conſilio, nõ ipſorũ gratia, ſed illorum ſui diſſimilium, in quos ſæuiunt. Vide quanto interuallo diſiuncta ſit ſententia tua a mea: tu impios, ac ſceleratos opprimi ſtatim irrogato ſupplicio oportuiſſe dicis, ne bonos ſpoliarent, verberarent, occiderent. Ego contra relinqui debere contendo, vt agant, quæ agunt, & ſæuo, & truculento ingenio cõtra illos vtantur: malos etiam abundare multitudine, in cauſam eſt bonorũ, vt eorum copijs fidentes in pauciſſimos irruãt bonos vario pœnarum genere. At ſceleſta ſunt illa: facienti quidẽ ſceleſta ſunt, ſed patienti virtutis exercitatio; non expectaueris fortitudinis, & conſtantiæ

meliora

meliora edi exempla, quàm ſub dominatu iniquoꝝ hominum, nec ſine diuino
numine quidquã agi tunc putaueris. Nam vbi bonorũ corporibus perniciem
aliquam infert impius, vbi patrimoniũ exhaurit, eadem ſecum agit Deus, ſed
hic voluntate conſulendi, ille nocendi. Nunquã poſſet bonorũ corpora & for-
tunas affligere ſceleratus homo, niſi Deo comite: ille eſt, qui affligendi tribuit
poteſtatem: addit autẽ iſte de ſuo, malũ cõſilium, propter quod affligit. Que
rimur tardigradam eſſe pœnam maloꝝ, quũ ad peccandum illi ſint tam impi
gri, videtur autẽ a tergo pœna inſequi peccatum debuiſſe, non autẽ velox eſſe
peccatum, & pœnam vix ſe cõmouere. O ingratam querelam, vel ignorantiã
potius, ſi neſcimus profectus noſtri cauſa differri malorũ pœnam, quò ſcilicet
moribus illi ſuis vtentes mores excutiant noſtros, purgatioréſq; reddant, pro-
uehant etiã ad ſplendidiorem coronam. Odiſſe omnino par eſt in illis volũta-
tem impiam atq; ſceleſtam, quã vt expleant, nocere cupiunt: attamen pauper-
tatem, exilium, ignominiã, verbera, vincula, mortem, & alia, quę intentant, am
plecti cupidè debemus, tanquã anſam proferendæ exaggerãdæq; virtutis. Pu-
giles videas cõparem quærere, aduerſus quẽ certent: ſi neminem inuenerint,
plures vno tẽpore ſimul prouocant, & ab his exigunt, vt totis viribus vtantur,
vexéntq; quantum poſſint, adeo vanam & caſſam putant eſſe virtutem ſine du
ro aduerſario: ſic bonis non ingrata eſt nequitia compar, aduerſus quam cum
eorum virtute ſit certamen, Non igitur extingui optant citò impios, ſed diu-
tius viuere, vt multorum in ſuis iniurijs examinent fortitudinem, & quia quò
vetuſtior erit illorum quiſpiam in artificio, melius examinabit: hoc dum fit
non læduntur, niſi forſitan læditur quoq;, qui proficit in virtute. Si corpus eſt
homo, læditur, quia cruciari variiſq; affici doloribus poteſt: ſin eſt aurum,
læditur quoq;, quia id auferri poteſt: ſin verò hominem facit animus, & is
violari non poteſt, nec cogi inuitus deſcendere in aliquod improbitatis
genus, quomodo læditur? Nam illa ſupplicia exercent, ſi cuius animus illa,
vt debet, vicerit, huiuſmodi autem exercitatione diuiniſſima effert virtutum
lumina, conſtantię ſcilicet & tolerantiæ, & in poſterum magis ad ferendum
corroboratur. Nemo autem exercitatione eum lædi dixerit, qui per eam aſſe
quitur, vt ſit melior: non enim læditur triticum, dũ molis frangitur, nec panis,
dum camino iniectus torretur, neç aureus anulus, dum malleo tunditur, limáq;
atteritur. Exiſtima iniquos homines eſſe erga bonos velut inſtrumenta quędã
quę expolient illos perficiant, purgent: lædi ne dixeris, quãdo exagitati, bonita
te nõ deſtituantur priſtina, ſed in ea proficiant. Non eſt igitur tã inuerſa mũdi
orbita, nec tam temere circunfertur, quemadmodũ dicebas, vt impij cruentiq;
viri poſſint bonos pióſq; lædere, ſimiles quadrãtalibus, quibus in alueolo ludi-
tur: quia perinde ac illa, quomodocũq; iaciantur, immotam tenẽt rectitudinẽ:
ſic nec iſtos quomodocunq; verſaueris, depelles ab honeſto ꝓpoſito, ſed rectos
ipſos omnis excipiet caſus. Hinc illud Socratis penes Platonẽ, quòd ſimulans
in accuſatores dicere, re vera iudicibus obiiciebat: Anitus & Melitus interfi-
cere poſſunt, lædere non poſſunt. Sed non modo bonos vt exerceant, verùm
etiam vt ſceleratos quoſq; cõterant, & ſuperboꝝ frangant ceruices, ideo mul-
torum diutius floruit improbitas, qua enim alia ratione putas Deum, vt notiſſi
mis vtar exemplis, dediſſe Caligulam, Neronem, Domitianũ, tot annis impe-
rantes, niſi vt populum Romanum affligerent in nefaria ſcelera prolapſum?

Idem nunc facit: nam vbicunq; peccantiũ multitudinem flagellare vult, vel animo iudicis, vt puniat, vel patris, vt corripiat, excitat duram quandã & agreſtem hominis naturam, hanc vallat potentia, deinde in populos immittit, vt ferreum ſceleratorum animũ duriſſimo hoc malleo contundat. Hunc tu vnũ aut alterum diem, vel menſem dominari tantũmodo velles: vide ne plures annos debeat, nõ enim facile breui tẽpore multitudinem confregerit in peccata præcipitem: nam ſi pronam dicerẽ, ferendũ erat. Quemadmodum in ciuitatibus publicè carnifices aluntur, qui quoſcunq; ſceleratos iudicũ ſententiis dãnatos interficiant, & more maioꝝ ſupplicium ſumant, nõ quia laudetur tale hominis miniſterium, ſed quia Reipublicæ neceſſarium eſt: ſic Tyrannos longo tẽpore alit mundi Gubernator, vt vitia populoꝝ nimis excreſcentia, quibus excidendis nulla lex, nullus carcer, nulla magiſtratuũ diligentia ſufficeret, ipſi crudelitatis ſuæ gladio aceruatim metant. Nec mirum Tyrannoꝝ miniſterio talia agere Deum, qui eadẽ per ſe ipſum ſępius agit fame, terremotu, peſte, eluuie, & huiuſmodi talibus immiſſis, quibus frequenter magnæ vrbes exhauſtæ ſunt. Has igitur cauſas do, cur pœna nõ ſtatim malos inuadat, quò ſcilicet diutius per eoꝝ malitiam pertrahãt bonos ad virtutis exercitationem & ſceleratos ad debitas pœnas: nõ enim illi ſui tantùm diſſimiles, ſed ſimiles etiam inſequuntur: nam quoſcunq; cupiditatibus ſuis obſtare putant, hos affligunt. Et hoc eſt, quod dicitur, vitio nec cum virtute, nec cum vitio conuenire, ſoloſq; bonos eſſe amicos, malos nec inter ſe, nec cum bonis amicitiam ſeruare poſſe. Sed tertiam quoq; attexere rationẽ iuuat: nam rite inſtitutum fuiſſe dixerim, ne ſtatim poſt admiſſum facinus iniquus deleatur, quò reſipiſcere poſſit a crimine, & ad virtutem proripere, quam repudiarat: ſcimus enim plures initio ætatis flagitiis omnibus & libidinibus deditos aliquando emerſiſſe, damnatiſq; prioribus cupiditatibus temperatiſſimos extitiſſe, egregiam operam rebus publicis atq; priuatis bello domiq; nauaſſe: hos ſi quis extinxiſſet, quàm primum intemperans aliquod facinus edidiſſent, magnis virtutibus illorum ſeculum orbaſſet. Enimuero quum natura hominis tam prona ſit ad peccandum, quum illiciant voluptates, irritet ira, inflammet ambitio, quis tam durum ſe præbeat, vt nolit ſuſceptam labem elui poſſe? quis naufrago eripiat ſententia ſua tabulam, per quam, etſi nõ ſiccus, viuus tamẽ ad littus peruenire valet? vbi pœnitentię virtus, & deteſtandi peccata meritum, ſi ſimulac peccatũ eſt, peccator deletur, & capite pœnas pendit? vbi immẽſitas diuinę bonitatis, ſi lapſos reſtitui nõ vult? nec repeti poſſe virtutem cenſet, quũ tamen ipſa vitia ſæpius repetẽdi facultas ſit? Quæro etenim, quem te ipſum facis? num omni tẽpore bonus fuiſti? ſi ita eſt, fac vt bonitas appareat, exerce artes clemẽtię, lenitatis, mãſuetudinis, miſerere iacentis, porrige manũ lapſo, excita, vt tecũ defleat peccati ignominiã & ad cor redeat, noli fulmine pœnæ pereuntẽ videre. Quotus quiſq; eſt, qui aliquãdo nõ peccauerit? imo non peccet: nã (vt reliqua mittam) eſt ne aliquis, qui ſceleſtos & flagitioſos homines, quibus referta ſunt omnia, ita habeat, vt habendi ſunt? ita vtatur, vt talibus vtendũ? nam peccantes docere, admonere, corripere, obiurgare oporteret, & in tempore conſilio & copiis eorum nequitię occurrendum, vbi Reſpublica læditur. Hoc prætermittunt ſæpius viri boni, vel ij potius, qui habentur boni, vitantes inuidiã, inimicitias, pericula, offenſiones; diſplicet iniquorũ vita, ſed quia magis diſplicet

illis diſpli-

illis diſplicere, illud omittunt, propter quod laudabile fuerat vitam eorum diſplicere, vt ea ſcilicet, quantũ in ipſis eſſet, de medio tolleretur: & hoc in genere nõ modo peccatur a priuatis, ſed multo magis ab his, qui vt ſpeculatores aliorum moribus præpoſiti ſunt. Quis poteſt præterea dicere ſe omnia pietatis, humanitatis, iuſtitiæ, fidei, patientiæ officia præſtitiſſe? nam, vt in nullo peccetur, oporteret omniũ virtutum munera & tempora non latere, & quòd ita delectarent animum, vt quãcunq; aliarũ rerum voluptatẽ, quemcunq; dolorẽ, quæcunq; alia, aliò trahentia delectatio illa ſuperaret. Hæc quibus contigerint, requiro. Numera mihi nũc in digitis iſtos, ſi forſitan potes ad quinq; peruenire: vnus aut alter inter exẽpla ſunt, qui ſubleuati diuinitus nõ peccauerũt. Si quis alius dicat, nihil peccaui, huic obijci poteſt, imo nihil fateris, facilius ſi te Deus diligenter diſcutiat, inueniet te etiã nunc malũ, quàm ipſe te ſemper bonum. Totius igitur gentis ruinã deſiderat, qui peccantibus reſpirandi non relinquit locum. At nõ amat peccata Deus: fateor. Cur igitur nõ ſtatim plectit? hoc ipſo, quia non amat, ſed odit: nam odio peccatorũ adducitur, vt ea malit pœnitentia deleri, quàm pœnis vindicari. Nõ enim pœnis auferuntur peccata, ſed puniuntur: auferuntur enim deteſtatione admiſſi, & animo ad iuſtitiã conuerſo. Sed cæteros omittẽs, vide tu qui ſis, q fueris: ego enim gloriari nequeo me nunquã deliquiſſe: at nunc pro illis pudore conficior, pœnitet geſtorũ. Tu (vt opinor) in eadẽ es cauſa: vide penitus & introſpice te ipſum. Quid nunc loquitur tibi mens? num pupugit recordatio alicuius delicti? certe pupugit: noli negare: nec audio, nec audire cupio, quid ſit, in quo te accuſet cõſcientia, tu iudica, qui audiſti, ſatis eſt quòd nõ ab omni crimine fuiſti ſecurus: nec ipſe quoq;. Nam quũ innocentes nos eſſe dicimus, teſtem forſitan reſpicimus, non conſcientiã, ſeu potius ea, quæ robuſtioris improbitatis ſunt crimina, quale eſt necare hominẽ, vel ſacra de fano legere, vel adulterinã ſignare pecuniam, vel tale aliquid, quod legibus acrius vindicatur: ſed in officio tamen cõmunis vitę ſæpius deliquimus, ſecus agentes, quã prudẽs, temperánſq; ratio poſtulabat: quę etſi quis leuiora vocet peccata, ſunt tamen peccata, veniámq; deſiderant. Deſeruimus nunc illa, ad meliora cõuerſi, venia etiã impetrata, gaudemus ab indulgentiſſimo patre donata nobis fuiſſe multa crimina, atq; adeo in dies donari: nõ enim præſens vita ſine his leuibus & quotidianis peccatis ducitur. Sed nõ ſit ita: peccatores olim fuimus, nunc nõ ſumus, oderamus quales antea fuimus, & amauimus eſſe quales nunc ſumus: a minimis iſtis, quantũ fieri poteſt, cauemus: grauiorũ quidem criminũ ne nomen quidem ferre poſſumus. Ergo alij ſumus quàm prius, innocentiæq; bono floremus. Cur igitur punire Deũ malos velis? vtrũ eos, qui nunc ſunt, malos? an qui aliquãdo fuerũt? Si eos, qui aliquando fuerunt, quid ages, ſi aſtans dicat tibi Deus? Et tu malus quandoq; fuiſti: itaq; celeriter primus dabis pœnas: a te enim incipiam. At eos, qui nunc ſunt mali, puniri tantũmodo exoptas, reſpõdeat Deus, Qui ſcis, an in poſterũ deſinant illi eſſe mali, ſicut tu quoq; deſiuiſti? ſi recordari volueris, quòd hi nũc ſunt, quod tu fuiſti, nõ deſperabis, quin eſſe poſſint, quod tu es modò: quòd ſi priorũ tædet, & ad me reſpexerint, num implacabilem me illis fore iubes? noli dicere, noli miſericordiæ pontem, qui tibi tã latè patuit, poſtquã trãſiuiſti ipſe, cæteris reſcindere, neſcis multos illac tranſituros, quà tu tranſiſti: his igitur intercludi vis iter ad me, poſtquã ipſe veniſti: ſi id vis, iniuſtũ iam teneo & malũ,

& aude de me petere, vt te nunc ſupplicio afficiã. An nõ te quoq; oportebat in lapſu alterius reſpicere cõditionem cõmunem? & fragilitatẽ humanã perhorreſcere? Nã qui tibi modò videris ſtare, tamen in lubrico etiã nunc verſaris, & forſitan ad veſperam cades. Et quid futurũ eſt tunc tibi, ſi veniam ſtatim armatus ad vltionẽ, nõ reijciens te ad aliud tẽpus? Vis ne igitur rugas deponere, & hominẽ te fuiſſe, atq; adeo nunc eſſe aliquando meminiſſe? Hęc diceret Deus, oſtendens ſe pro eius bonitate nolle in peccatorẽ fulmen ocyus librare, ſed ſuſtinendo manũ expectare, ſi reſipiſcat: nõ enim vereri, ne ſe effugiat, ſicut mortalem iudicem poſſet. Quòd ſi non reuertitur, ſed pergit ire peccatorũ ſemitã, lenitatem tamen ſuã & clementiam eſſe probandam, qua indulſit reuertendi poteſtatem: oſtendere deinceps ſe poſt multos & multos annos nullius obliuiſci, ſed rationẽ vniuſcuiuſq; ſceleris ducere, pœnas ſumentem, quãdocunq; viſum eſt, & eò grauius, quò tardius: quod enim detrahitur de tempore, id ſuppliciorum grauitate inſtauratur: idq; iure, quũ reus ad cætera delicta contemptum quoq; adiecerit reſipiſcendi, abutiq; maluerit lenitate domini, quã illi ad cõciliationem gratiæ vocanti parere. Et in vniuerſum quidẽ hoc ſic habere videtur: ſigillatim autẽ, cur hic ſtatim ad pœnã vocatus poſt delictũ, ille dilatus: & cur horũ alius paulolum, alius diu dilatus, nõ eſt noſtrũ dicere: breuiter credendum eſt omnia Deum maturè agere, nec præſcribẽdum diſputatione noſtra, quomodo vnũquenq; puniat, quóue die. Tenet ille ſingulorũ cauſas, & rectiſſimè diiudicat, nouitq; ſupplicia adhibere in tẽpore: ita enim infinitæ eius congruit ſapientiæ. Sin autẽ vituperamus, quia hodie iſtum punierit, & nõ pridem, ſimiliter facimus, ac ſi ignarus artis medicę increpet medicũ, quia ægrotũ nunc inciderit, & non antea, vel hoc loco, & nõ illo: ſtultum eſt id facere: quia non debet imperitus de periti actionibus iudicare. Homo autẽ mẽtem habẽs dicat ſecum, Nouit artifex quid faciat, etſi ego non noui: non fruſtra hoc eſt, quòd cunctatus eſt incidere. Sic nos, poſtquã non poſſumus diuina noſſe iudicia (non enim tam altè aſcendit infirmitas humani ingenij) credere debemus illum peccantium pœnas rectè diſponere. Nec verò facile aſſentior dicẽtibus, quòd pœna in diem facit, ne ſcelerati putent eſſe pœnam, ſed caſum quendã aduerſum humana ſemper turbantẽ: pungit enim illos cõſcientia, & admonet, qd ſibi debeatur. Eò autẽ affliguntur grauius occurſu aduerſorũ, quia impatientius illa ferunt addentes rerum aſperitatibus animi dolorem: non enim quemadmodũ boni eunt in triſtia quæq; & aſpera parato animo, tanquã ad coronã virtutis, ſic pariter & iſti: ſed iraſcuntur perturbantur, de grauitate oneris queruntur, quod cedente animo vaſtiſſimo monte vaſtius illis videtur. Et hæc quidem allata a me (vt potui) de impiorũ pœnis habetis. Reliqua audite de Virgilio, qui, etſi a religione noſtra auerſus, nõ inſcitè tamen illa loquitur de inferis

Gnoſius hæc Rhadamanthus habet duriſſima regna,
Caſtigátq;, auditq; dolos, ſubigítq; fateri,
Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Finxerit vt poëta illud de Rhadamantho, illud tamẽ veriſſimè dictũ, quòd improbi, vt in vita nihil patiantur duri & impune tranſeant (fieri enim id poteſt, atq; adeo fit) attamen his nudati corporis mẽbris, in inferorũ regno vltricia ſubeunt flagella pro piaculis in ſeram dilatis mortem, & tunc intelligunt furti

inanis

inanis gauiſos ſe gaudium, putantes impune euaſiſſe, quia hoc loco nihil ſuſtinuerant ſuis piaculis dignum: nihil igitur impunitum relinquitur. Et ne obijciat aliquis, ſerò, admonetur vitæ huius breuitate.

Sunt aliquid manes, letum non omnia finit.

Vt alius dixit Poëta: ſunt etiam inferna, & ſubterranea habitacula, vbi nec tormenta, nec tortores defatigantur.

Hic quibus inuiſi fratres, dum vita manebat,
Pulſatúſue parens, & fraus innexa clienti,
Aut qui diuitijs ſoli incubuere repertis,
Nec partem poſuere ſuis, quæ maxima turba eſt,
Quíque ob adulterium cæſi, quíque arma ſequuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Incluſi pœnam expectant. Ne quære doceri
Quam pœnam, aut quæ forma viros, fortunáue merſit.
Saxum ingens voluunt alij, radiíſque rotarum
Diſtricti pendent.

Imo verò, vt religionis noſtræ myſteriis traditũ eſt, exuret ignis luce vacuus, odore teter, ardore immenſus, tempore perpetuus, carcer, morbi, compedes, egeſtas, ſeruitus, laniationes, & vt ſemel dicam, quęcunque his locis patimur duriora, congeſta etiam in vnum riſus ſunt & delitiæ, ſi ad illa ſupplicia conferantur: nolent ſterili pœnitentia deliquiſſe, ſe ipſos odio inſequentes. Videtur Horatius Epicuri caſtra ſequutus inferorum ſupplicia fabuloſa putaſſe illo carmine,

Iam te premet nox, fabulæque, & manes.

Hoc audito dicas Perſiũ eodẽ de poculo bibiſſe, dum ijſdẽ penè verbis ſcripſit

Cinis & manes & fabula fies,

Quòd ſi nunc etiam extent e noſtris, qui ea, quæ de ſubterraneis ſedibus, impiorúmque pœnis ſanctiſſima Chriſti prędicat religio, nõ credant, & vana putent, nihil hoc ad me: non ego pro illis ſubſtituar, rem ipſi experientur, vbi eò deſcenderint, quia fallax opinio veritatem non immutat: non agetur tunc in eos, vt nunc fit, minis, ſed exemplis: nec, quòd nunc nihil illorũ ſentiunt, ideo miſeria aufertur. Quemadmodum enim homine ebrio vel dormiente ſi ſuppilaret quiſpiã eius domum, auferret ſupellectilem omnem, & maximã vim facti atque infecti argenti, miſerum diceres, etſi tunc nihil ſentiret: attamen vbi ſomnum vel vinũ exuerit, ſentiet: ſic iſti, & ſi nunc nihil ſentiunt, ſed non multò poſt alio in ſeculo vſu cognoſcent, quòd improbi ſemper miſeri ſint, etiam ſi omnibus affluant huius ſeculi deliciis, videntes iam iam, atque adeo tangentes, quo exitu ſors eorum claudatur. Poſtquã autem de exitu loquimur, ſic habendum eſt, quòd vbi ſupremus vitæ huius dies præterierit, improbi pro breuiſſimis & leuiſſimis voluptatibus grauiſſimas haurient pœnas, & ſempiternas. Contra verò pij religioſique homines, pro his, quæ huc pertulerunt paruo tẽpore duris atque aſperis, gaudiis afficientur immenſis, nullo die finiendis. Hoc quum infuſum fuerit humanis mentibus diuinitus omnibus retro ſeculis, cui populari opinioni virorũ etiam grauium & prudentium doctrina cõſenſerit, cur eſt, quòd quiſquam culpare poſſit mundi ordinem, vt peruerſum, quia boni male, mali bene agant? An non contra finis iudicat, qui in omnibus ſpectandus eſt? hic oſtẽdit beatitudinem bonis, miſeriam malis paratam in illa æternitate

æui, quæ huic mortali vitæ ſuccedit. Volo autem id totum, quale ſit, imagine quadam demonſtrare, ſi potero: depingam autem eam tibi verborũ inſtrumẽto: nam penicillo pictoris nihil eſt opus. Pono igitur patremfamilias quempiam habentem ſeruos duos, frugi vnum, alterum nequã: id enim facillimè cõtingere poteſt: dicat ſeruo frugi, cuius perſpectum habeat animũ erga ſe egregium, Tibi hoc vno menſe exercẽdum corpus laboribus, & variis affligendũ moleſtiis, mox libertate donatũ recipiam in agnationem, & immenſis diuitiis collocupletabo. Deinde conuerſus ad ſeruũ nequam, quem mandatorũ ſuorũ contemptorem animaduertit, hoc ſermone cum illo vtatur, Et tibi per idem tempus permitto epulari, potare, ſcortari, vnguenta olere, animo obſequi, & quibuslibet perfrui voluptatibus, & ad hæc tibi ſuppedito ſumptum de meo: verùm elapſo menſe in piſtrinũ dedam, vbi nunquã a verberibus & doloribus quieſces. Hũc ſermonem nemo iure (vt opinor) vituperauerit. Si quis autem eius ignarus videat poſtmodum ſeruũ illum fidelem ac beneuolum domino delaſſantem ſe aſſiduis operis, & penè ſupra vires vigilias & labores extẽdere: peſſimum autem illum & nihili in omni abundãtia & luxu viuere, abutentem re domini: & fieri vtrunq; non modo domino ignorante, verùm etiam inſpiciente & cõcedente, forſitan indignabitur, ſi rudis fuerit ingenio & imperitus rerum, & exclamabit non minus acriter, quàm ille in comœdia.

O cœlum, o terra, o maria Neptuni.

Quid video? quod exemplum? hanccine domũ? hanccine diſciplinam, propter quã malè ſit bonis ſeruis, & malis bene? Hunc in illa ſua forti & bene vocali accuſatione ſe verſantem, ſi quis prudentior amicus manu apprehendens dicat, Noli quæſo accuſare id negocium, cuius partem noſti, partem ignoras: quì ſcis, an iſta ſint perpetua, vel in poſterum cõmutationem accipiant, ita vt nunc gaudens poſtmodum doleat, & in voluptatibus ſit mox, qui nunc affligitur? His ille vtens verbis nonne efficiat, vt illũ accuſationis ſuæ pœniteat, tanquam temere eò proceſſerit? re deinceps explorata, vbi cognouerit ſermonem domini cum vtroq; ſeruo habitum, nonne fidelis ſerui optimam conditionem fore dicet? deteriorem infidelis? & multò magis id ſentiet, vbi ſermonis fides cõſtabit, & vtriq; promiſſa dominus perſoluet. Nõ arbitror expectari iam, vt imaginem hanc ad rem, de qua agitur, referam, quũ quilibet ſatis apertè videre poſſit conuenientiam ſimulacri. Summatim tantùm dicam (vt iam claudatur ſermo) quòd eadem vniuerſitatis huius eſt cõditio, quia malos breuiſſimo huius æui ſpatio ſibi ipſi indulgentes perpetuus excipit poſt mortẽ carcer, & ſæuiſſimæ pœnæ: boni verò poſtquã laborantes inſudanteſq; vitæ huius excurrerint ſtadium, quantulumcunq; ſit (non enim poteſt eſſe longum) vbi metam attigerint, diuerſo a malis itinere illuc tendunt, vbi præmijs coronãtur immortalibus atq; diuinis. Hæc ita contingere non eſt mirandũ: fiunt enim auctore Deo, cuius factũ ab humano longè diſcrepat. Homines nanq; iuſtitiam in bonos & malos diffiniunt ſecundum præſens vitæ huius tempus, ad quod etiam leges ſuas accommodauerunt: non enim habent, quò vlterius progrediantur. Non ſic omnipotens mundi dominus: ipſe iuſtum illud ſuum magis late determinat, reſpiciens ad ordinẽ vniuerſi, & ad omne æui ſpatium, non modo quod fuit & adeſt, ſed quod poſtmodũ in perpetuũ ſequetur: in illa æui perpetuitate, quæ nos ex hac vita excipit electos, ſuum magis ducit vnicuiq; pro meritis

erogare,

erogare, quod debetur, ſiue præmium ſit, ſiue ſupplicium: nam quæ cõtingunt hoc viuentibus loco, nõ ſunt magnopere æſtimanda, breuia re & tempore vix Deo digna iudice. Ecce tibi quàm peruerſo ordine inſtituta ſunt omnia, vel illud potius inſpice, quàm fœlix, quãq; optanda ſit maloꝝ conditio, qui a ſe habent voluntatem malam, ab ipſo Deo naturam bonam, & iuſtam pœnam: & ſibi quidem ipſis perpetuum ſupplicium, aliis ſui diſſimilibus, quos exagitarunt, immarceſſibilem coronam pepererunt. Quòd ſi nihilominus ponderamus bona maláq;, qualia ſeculum iſtud ſuggerit, oſtendimus bonos agere glorioſe, alacriter, iucundè: ex aduerſo malos ſtultè, deformiter, trepidè: quò fit vt pulchritudinem mundi, eiúſq; ſtatum rectiſſimis inſtitutis ornatum ſuſpicere omni ex parte & laudare debeamus. Hic mihi tu nauem obiicis, quam temere circunferri dicis, ſi periti homines & callidi ſentinæ præficiantur, ſtolidi & imprudentes ad gubernacula ſedeant. Quid hoc ad mũdum, cui præſidet hominum nemo? is autem qui præſidet, bonos & malos congruis afficit honoribus & pœnis, vt hæc oſtendunt. Nec me cõmouet, quod etiam dixiſti melius fuiſſe ſi natura inſtituiſſet, ne hominũ aliquis malus eſſet, ſed omnium inter ſe æqualis eſſet concordia, par bonitas. Nam, quod etiã antea quodam loco ſignificaui, ſi nõ voluntario animorum motu, ſed neceſſario naturæ impulſu trahimur ad agendum, nullus laudi, vituperationíue relictus locus: nemo hominũ eſſet malus, ac ne bonus quidem vllus: ſed non odio malitiæ delere pariter bonitatem conuenit, ſed amare magis hanc, quàm odiſſe illã debemus. Ergo rite homini conceſſum fuit ambulare libere in eius voluntate, ita vt ſi virtutis exercitationem delegerit, laudem ferat & præmium: ſin vitia potius ſectatus fuerit, vituperationi tradatur & pœnis. Nõ igitur poſſe vitiis incumbere malum eſt, ſed ipſa vitia amplecti: nam quæcunq; vitiis non ſubiacent, ne virtutis quidem ſunt capacia, vt in beluis videmus & in rebus omnibus, præter hominẽ. Illæ enim, quia peccare nequeunt deprauatæ mentis vitio, nec benefacere etiã poſſunt per virtutem. Homo autem, qui pro arbitrio flagitioſe viuendi habet poteſtatem, hac eadem arbitrii poteſtate vtitur virtute: nã vbi boni ineſt facultas, illic quoq; mali facultas moratur, nec altera ab altera diſſociari poteſt. Sicuti oculo vtrunq; cõpetit, cæcitas & viſus: auribus, ſurditas & auditus: humano ingenio, ignoratio & ſciẽtia. Similiter eorundem hominũ animis vitia inſunt facultate & virtutes: nõ dicerentur obliquè facere, niſi recto vti valerent, nec e contrario rectè, niſi obliquare actiones ſuas poſſent. Hoc nimirum illud eſt, quod a grauiſſimis philoſophis allatum video, qui dicunt virtutes ſine vitiis efferri non potuiſſe: hanc enim eſſe rerum naturã, vt vno poſito dandum ſit alterum, quod illi ſit contrarium, aliter neutrum extaret. Propterea dulce nõ erit, niſi ſit amarum, nec calidum, niſi ſit frigidum: in muſicis concinnũ non haberemus, niſi etiam eſſet quid diſſonum. Eodem modo iuſtum & temperans nihil eſſet, niſi altera exparte intemperans aliquid & iniuſtũ appareret, & ſimiliter de reliquis dicendum. Eadem ratio eſt cognitionis, quia non ſubſiſtit cognitio vnius ſine altero: nam qui virtutum notitiam cœpit, nouit eadẽ opera vitia, & contra: qui verò horum alterũ ignorat, vtrunq; ignorat. Quicũq; autem gloriantur ſe virtutes habere cognitas non perſpecta vitiorum natura, vehementer errant: afferunt enim quod fieri neutiquã poteſt. Olim Lacedæmonii nõnullis feſtis diebus agreſtes quoſdam homines, quos Hælotas appellabãt, quã

tum maximè poterant, ad potum compellebant, eóſq; ebrios factos circumducebant iuuenum conuiuiis, vt cernentes illi ebrietatis turpitudinem, hanc deuitarent. Hoc factum etſi reprehenderet ſeuerior aliquis, quaſi non ſit ex compoſito corrũpendus iſte, vt ille proficiat: attamen vbi quiſpiã vltroneo mentis vitio in aliquam prolapſus fuerit prauitatem, vtile eſt illic tanquam in ſpeculo contemplari, quàm pulchrũ quãq; decens ſit honeſtas cogitationes actionéſq; ſuſcipere, & quàm ſit fœdũ flagitiis atq; libidinibus diffluere, mentémq; & corpus turpibus actionibus contaminare. Dicitur Plato, quũ quempiam indecorum aliquid facientem vidiſſet, ſecũ meditari ſolitus, num ipſe aliquando talis fuiſſet: & ſi id in ſe inueniſſet, moleſtè ferre, eáq; ratione aſſequebatur, vt in poſterum eſſet cautior. Vides igitur vt prudentes viri aliena vitia ad ſuum trahant commodum: ſimul & illud intelligis, vnde hæc fluxit oratio, nõ potuiſſe virtutes exiſtere, niſi etiã vitia extarent: hoc enim vera ratio audet aſſerere. Niſi forſitan hoc ita refellas, aſſerens Deum poſſe omnia: potuiſſe igitur virtutẽ ſine vitiis inſtituere. Quaſi verò habeas aliquem, qui concedat tibi Deũ poſſe omnia (audacter enim loquendũ) poteſt ne ille efficere, vt aliquis ſit pater, & non habeat filium? vt lux ſit & nõ ſplendeat? vt victoria ſit ſine aduerſario? vt numerus ſit in vno? &, vt veniã ad id, de quo agitur, virtus erit vitiis repugnare, & eorꝫ illecebras cõtemnere, & vitia non erunt? Si enim poteſt Deus ſubſtantiam rerum auferre rebus ipſis extantibus, res pariter erunt, & nõ erunt, quod eſt ſibi ipſi eſſe cõtrarium: ſed hoc neutiquam in Deum cadere poteſt: quandoquidem tanta illa maieſtas ſecũ cõcordat, non repugnat. Reſpondi maximis criminibus: quãquam multa adhuc ſuperſunt, faciliora tamen ad diſſoluendum, cognitis præſertim ſuperioribus. Adſunt enim ſermones illi de honeſto, déq; vtili, quæ duo natura diſtraxit, déq; iuſtitia, quæ ſui cultori nõ modo eſſet inutilis, ſed etiam damnoſa, propter quod generoſam quandã ſtultitiã multi cenſerent. Quod enim de oleo dictũ eſt, obeſſe illud internis mẽbris, prodeſſe externis, tale quiddã affers de iuſtitia, vt noceat ſuis domeſticis & familiaribus, proſit extraneis, idq; exemplis multis confirmabas, quæ tamẽ omnia longè habent ſecus, quàm poſita ſint. Nam iuſtum eſſe vtile illa argumentatione docetur, qua Platonici potiſſimũ vtuntur: ea ſic habet, Omne iuſtum eſt pulchrum, omne pulchrum bonũ, omne igitur iuſtum bonum: atqui bonũ & vtile idem eſt: ergo omne iuſtum vtile. Sed omiſſis his argutulis, rem tãgamus, quæ ſe liquidius oſtendet. Ipſa enim iuſtitia nihil ſplendidius, nihil etiã vtilius ciuitatibus: ſola enim de cunctis virtutibus conſeruat inter ſe hominũ ſocietatem, efficiens ne quiſq; alienũ inuadat cõtentus ſuo. Quòd ſi liceat detrahere alteri, quod quiſq; poſſit, quis hanc putet ciuitatem, in qua nulla ciuium ſit concordia, nullus conſenſus, ſed vnuſquiſq; ad rapiendum auferendũq; emolumenti ſui gratia paratus? totius nanq; intereſt incolumes eſſe partes: ideo parcendum ſingulis ſeparatim, vt in vniuerſum cunctorum conſtet incolumitas. Quemadmodum enim in humano corpore, ſi vnum quodq; mẽbrum (liceat ſic fingere docendi cauſa) putaret ſe maximè poſſe inualeſcere, ſi ſubduceret ſibi id, quo aliud membrum aleretur, idq; fieret, diſtraheretur membrorꝫ ſocietas, & breui corpus intereat. Sic euertatur ciuitas neceſſe eſt, in qua neglecta ſocietatis ratione vi & manu ad arbitrium vtatur quilibet, aliorꝫ ſpolijs ſuas augens rationes. Et quemadmodum illud corpus, in quo finximus membrorum

diſcordiam,

diſcordiam, nullius animus vellet inhabitare, & cui id contigiſſet, doleret tale hoſpitium ſibi traditum: ſic nemo deligat illius ciuitatis fieri incola, in qua diſcordiarum & ſeditionū plena videret omnia. Cernis igitur quàm non modo inutile, verùm etiam peſtiferum ſit atq; noxium, ſi permittatur cuicūq; volenti manus inferre ſocio: contra verò quantā vtilitatem ferat, mentem, oculos, manus ab alieno cōtinere, vt pote quod vnum ciuitates ipſas ſtabiliat, incolatúq; dignas præbeat: hácq; in re honeſtas cū vtilitate concordat, quod minimè ipſe volebas: quin ille ipſe facinoroſus alieni cupidus, ſi lex feratur, qua liceat quod quiſq; velit detrahere habenti, primus in concionē aſcendens legem diſſuadeat, non honeſtatis ſtudio, quam negligit, ſed vtilitatis, quam perſequitur: vtile enim arbitratur, poſſe ſine cōtentione ſua retinere. Et ſunt qui dicant ſanctam eſſe iuſtitiam non vtilem: quomodo etiam non vtilis? quando ij, qui eam non præſtant, exigant ab alteris, vt hæc oſtendūt. Quod etiā manifeſtiori docetur exemplo: nam nemo latronum velit a latrocinij ſocijs iniuſtum quidquā perpeti: imo, ne id fiat, diligenter ſanciunt. Quamobrem ſi deprehenſus quiſpiā fuerit ſurripuiſſe quidquā alteri, qui vnà latrocinatur, hunc latronum dux vel e grege eijcit, vel interimit, tanquā minimè vtilem in latrocinio, ſeu potius tāquam latrocinij iura corrumpentem. Adeo nullum eſt hominū genus, quod ſine iuſtitia cōuiuere poſſit, quando ne latrones quidem poſſunt: quāuis enim iuſtitiæ bellum apertè intulerint, attamen inter ipſos eam cuſtodiāt neceſſe eſt. Veruntamen (inquies) quod aufertur alteri, vtile eſt auferenti, quia auget eū facultatibus. Vtile igitur cēſes latrocinari? quod nemo dixerit, niſi qui latronū velit eſſe ſocius: non enim videri debet ſeparatim eſſe vtile cuiquam, quod in vniuerſum humano generi pernicioſum: nam ſi eodē iure rapiendi atq; auferendi quilibet vtatur, humana ſocietas diſſoluetur, quā ſi conſeruare vtile eſt, peſtiferam rem affectat, qui conatur extinguere. Tu forſitan exiſtimabas, vbi vnus vni per vim quid aufert, vnum eſſe lædentem, læſum item vnum. falleris: læduntur duo, & duobus ſatisfaciendum eſt: non enim ſolus priuatus læditur, ſed Reſpublica quoq;, & quod valde refert, hæc vehementer, ille leuiter. Cui rei illud argumento eſt, quod priuatus paruā a legibus conſequitur vltionem, tanquam pro parua læſione, id autem eſt illati damni in duplum, vel quadruplum reſtitutio, at Reſpublica morte, exilio, vinculis, verberibus, egeſtate, & cæteris pœnis raptorem premit, quia contra ſalutem & incolumitatem ſuā illum molitum putat: non enim ſalua eſſe poteſt, quæ maximè ciuitatem cōtinet, ciuium coniunctio, in rapina & violento ſpolio. Ergo ſe grauiter vlciſcitur in graui iniuria, & ſimul id agit, ne ille in poſterum, ſi ſuperſit, imitari ſe ipſum velit, nec ipſum alius. Nunc quæro, num vbi legum pœnæ procedunt, vtilis ſit iniuſtitia? non dices. Sed nec his quidē remotis facinus ipſum per ſe dicere potes vtile. Acquirit raptor pecuniam: ſed amittit fidem, pietatem, humanitatē, verecūdiam: diſtrahit, quantum in ipſo eſt, vincula humanæ ſocietatis, induit figuram beluæ, vt ante dixi. Hoc ergo vtile erit pro minimo illo pecuniæ bono ſpoliari maximis illis bonis, quibus animus ditatur? Si iuſtitiæ pulchritudinē non intelligimus, alia ratio eſt: ſin tanta eſt, quemadmodū Ariſtoteli videtur, vt Lucifer non æquè reſplendeat, quomodo vtile amittere tantum decus? excidere de probitate, nō qualiſcunq; rei, ſed mentis ſuæ? Rapuiſti pecuniam: quā obſecro? probam (inquies) Iube igitur procuratori tuo in rationum tabulis

ita referre,

ita referre, Pro pecunia proba mens improba: non enim quia rapuiſti, gratis habes: tanti emiſti. Quòd ſi ad calculos ille rem reuocauerit, non modo nullum lucrum inueniet factum, ſed ingens dãnum acceptum: nã amiſſum eſt id, quod ipſi etiã mercatores dicunt plus omnibus facere ad quæſtum, exiſtimatio ſcilicet integra atq; honeſta. Nam iniuſtum hominẽ comitatur infamia, & odium: fugiunt congreſſum noti atq; ignoti: nemo quidquã rationis cũ illo habere vult. Sed nihil ſit iſtorũ, obſeruetur ab omnibus, colatur, emineat potentia, honoribus, diuitijs. Hic rurſus redit nobis ſuperior ille ſermo, malos omnes affluentes etiam omnibus naturæ & fortunæ dotibus malè agere, ideſt miſere & infœliciter. Mitto (ne eadem ſæpius inculcem) vix fieri poſſe, quin exhorreſcat animo admiſſum facinus quin metuat diuinũ iudicium, quin verbere cõſcientiæ ſuæ flagelletur: quibus ex rebus efficitur, vt vtilis nequeat eſſe iniuria, niſi forſitan vtile ſit angi animo & excruciari. Sed hæc inquã mitto, quæ ſuperius latè explicauimus. Hoc vnũ vrgeo, quòd quũ homo nihil pretioſius habeat animo, ſumma ſit pernicies illũ corrupiſſe, vt quæratur id, quod minus eſt pretioſum: quemadmodum ſi quis acquirendę pecuniæ gratia vitam proijceret, negotium dãnoſè geſtum omnes dicerent, quia vitæ præpoſuiſſet pecuniam, maiori bono minus bonum. Quantò id magis dicendũ in eo, qui virtuti, quæ ipſa etiã vita eſt pretioſior, pecuniam antepoſuit? hanc ſcilicet vt acquireret, illã amiſit: auxit externa bona, ſed depoſuit ſe de intimis ac proprijs bonis, quæ ſupra cœlum illum efferebãt. Quod enim tantũ in terris bonũ, quod cum virtute cõparari queat? hæc vna omni cœlo, terra, mariq; præponderat. Quamobrem non mirandũ viros bonos virtutis ſplendore captos cætera negligere, modò hanc retineant: cum hac animũ gerunt integrum, incolumem, ſplendidum etiam & illuſtrem: hac abiecta morboſum, fœdum, corruptũ, ac turpificatum: hoc autem fugere, illud adipiſci conantur, quia nõ honeſtũ modò id, ſed vtile etiã cenſent. Non eſt, igitur, vt dicebatur, honeſtum diſiunctum ab vtili, ſed honeſtum & vtile duo ſunt nomina numero & ſignificatione, vi tamen & facultate vnum atq; idem ſunt, quia quod honeſtũ, vtile: & quod vtile, honeſtum. Ergo bonus vir (vt a te etiã eſt propoſitum) non celabit emptorem vicium rei, quã vendit, etiam ſi occultiſſimum ſit, & nemo redarguere valeat: non enim prodeſt videri bonus eſſe, vt non ſis, ſed eſſe bonus, etiam ſi non videaris: nã bonitas cuiuslibet rei veritate non opinione conſtat. At non vendet, vel minimo vendet detecto vitio: ſic non eſt vtile bonum eſſe virum (ita enim dicebas) Ergo vtile cenſes, vt fundum vendat vitioſum, animum ſuum efficere vitioſum decepto emptore? laudo, ſi modò ipſum quoq; animũ vitioſum alienare a ſe poſſit decepto alio emptore. Sed ſi id fieri nequit, poſtquam vtilitatis habenda eſt ratio, nonne ſatius eſt non vendere, quàm vendentẽ magna etiam pecunia animum iniuſtitiæ probro ſummè fœdaſſe? An nõ ſumma illa fœditas, inferre dãnum conſulto alteri? fallere eum, cũ quo contrahas? qui fidẽ ſequutus eſt tuam? Fraus, dolus, deceptio, iniuria in animum recepta, quã partem eius integram incolumémq; relinquunt? & quum infœlicitatis magnũ habeatur genus peruerſis membris diſtortóq; corpore eſſe præditũ, vtile iudicabimus prauitatem iniquitatémq; mente induiſſe argenti gratia? Si pecuniã reprobam receperit vir bonus imprudens, nõ tradat eam ſciens alteri: fateor: quia in pecunia reproba ipſe probus eſſe vult, nã ſi pecuniã malam obtrudat

alteri,

alteri, ipſe malus efficitur. Ergo propter corruptam pecuniam ſe quiſquã corruperit? &, vt adulterinum eroget nummum, hoc ipſum quoq; erogare volet, ne bonus vir ſit & habeatur? Quid pugnem nõ eſſe lucrum ei, qui id fecerit, quum plus damni, quàm emolumenti cõſequatur? nec par futura ſit ratio dati & accepti? Illud rectè ſcio, quòd ipſe nolles quidquã lucrari ex ſordido odioſóq; artificio, quale eſt publicanorũ, cauponum, laicorum, coquorum, fartorũ, aucupum, piſcatorũ, & ſi qui ſunt huiuſmodi humiles, improbatíq; quæſtus. Quid ita? quia huiuſmodi lucrum habes pro non lucro: affert enim dedecus, imminuit exiſtimationem, deijcit animum, ſordidúmq; reddit, vt qui inter ſordes verſatur. Addo amplius, ne tu quidem eam negociationẽ ſuſciperes, quæ materia non mutata lucri facere plurimũ ſtudet. Nam quæ materiam accipit vt pretioſiorem reddat, addendo operam & manum, veluti quũ carta emitur, vt liber ſcribatur, vel lana, vt texendo veſtis conficiatur, eam habemus vt magis ingenuam & liberalem: attamen tu id lucrum nõ ſuſciperes, quia turpe id eſſet in nobili viro, & ſi bene noui, detrimentum potius, quàm lucrũ exiſtimares. Quantò igitur minus id habẽdum eſt pro lucro, quod peperit iniquitas, iniuſtitia, fraus, malitia, a quibus turpitudo abeſſe non poteſt? Neſcis ſplendorem iuſtitiæ, neſcis, vel hi potius neſciunt, quorũ cauſam agis: nam qui perſpexerunt, pecuniam omnem ſordere exiſtimant, magíſq; contemnunt, quàm tu ſordida illa artificia, quæ modò nominaui. Hinc fit, vt ſi bonus improbúſq; ſocietatem alicuius coëant negociationis, non referat (vt dicebas) æquam partẽ probus, quia toto pectore non ſeruit quæſtui: alter verò, qui quæſtu nullo ſaturatur, compilat ſocietatem, quantũ poteſt, quaſi pollicitus fuerit ſe id præſtaturum ſocietati, aut officium cõmunionis id exigat: nec adhuc plenus, quia ſortem exorbere volet, ideo ne diues quidem habendus, quum illo adhuc egeat, quod cupit. Probus autẽ ille vir, qui minus etiam cupit, quàm habet, & ſumptibus parcit inanibus, præſtat, vt res ſua, quantulacunq; ſit, ſufficiat: ideo tanquam diues miſeratus animo improbi paupertatẽ, quem negociationis ſociũ videt iuſtè atq; iniuſtè aliena ad ſe ducere, ius ſuũ exactè non perſequitur: mauult aliquando fraudari, quàm lites ſectari, non quòd lucrum diſpliceat, ſed non cenſet ſæpius lucroſam eſſe contentionem, ſi qua etiam honeſta ratione rem familiarem augere valeat, quia vel in militia, vel in magiſtratu vel reſpondendo de iure multis operam profuturam publicè priuatímq; impendat, vel quia peritus agricola, vel copioſus mercator, id quoq; lucrum ſuſcipit rite oblatum: ſed ab illo tamen lucro nunquã diſcedit, quod fit, non vbi plus habeas, ſed vbi minus cupias. Cupere autem oportet ea, quibus naturę neceſſitas expletur, quæ ſunt ſane exigua, facilia, paratu: quod autẽ ſupra eſt, id nulla poſſidet cupiditate, intelligens ſe tantò melius habere, quãtò minus amat: ſi quid illi deceſſerit fortuitò, pro lucro habet ſe liberatũ ꝓcuratione maioris rei: ſin acceſſerit, in eo lucrum ponit poſſe honeſtam cauſam diuitiis ornare atq; defendere. Longè autẽ maximum lucrum in eo collocatur, abſtinuiſſe ab iniuria, nullam inexpiabilẽ fraudẽ animo cõcepiſſe: murus ille eſt aheneus, vel aureus potius,

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Itaq; ne dixeris, vbi quiſpiam improbum quæſtum reiecerit, illum ſibi vtilitatibúſq; ſuis eſſe aduerſum, quum nocuiſſet ſibi, ſi quæſtum illum voraſſet: non enim quæſtus eſt, ſed videtur. Quemadmodum auis cibum putat, quem ante

pedes

pedes proiectum ſibi videt: mox vbi viſco vel laqueo tenetur, cibum eſſe quẽ-
dam intelligit, qui non alat, ſed capiat, quia falſus ſit cibus. Sic multa ſpecie fal
ſa decipiunt, tanquã lucra, quę minimè lucra ſunt, quibus non minus homines
capiuntur, quàm aues eſca. Maximum (mihi crede) malum iniuſti lucri cupi-
ditas: hæc animũ inficit, hæc dijs hominibúſq; inuiſa, hæc rixas & diſſenſiones
peperit, ſempérq; pariet, non inter prouinciales modò, ſed inter ciues: nec inter
ciues tantũ, ſed inter cognatos quoq;: nec inter cognatos ſolùm, ſed inter eiuſ-
dem domus alumnos, ijſdem parentibus procreatos: inde iudicia, pecuniarum
profuſiones, contumeliæ, cædes, vulnera, & immenſa alia maloꝝ cohors: ſaluę
res hominum eſſent, ſi cuncti probam paupertatẽ iniuſtis diuitiis præferrent.
Illud te nihilominus etiam atq; etiã conſiderare volo, magnum eſſe in frugali-
tate vitæ cenſum, egregium vectigal: hoc qui carent vectigali (carent autẽ eo
omnes ferè improbi) his ſcito aſſiduè deeſſe. Videas nõnullos poteſtate acce-
pta trahere ad ſe omnia latronum ritu, & nihilominus egere, ac ſi nihil rapuiſ-
ſent: alios contra multis multa elargiri, & nemini quidquã eripere, eoſdémq;
plurimum abundare. Quid cauſæ? an nõ manifeſtum id contingere, quia illi
ſuperiores improbi conantur explere impẽdijs inexplebiles ſuas cupiditates?
iſti verò reſpicientes tantũmodo ad deſideria naturæ, quolibet victu & cultu
facile contenti ſunt? ideo eorum vſui ſuperfluit latiſſimè patrimonium, quan-
tumuis mediocre. Quamobrem nõ eſt inops nec egena omnino probitas: eſt
autem improbitas egentiſſima, quæ non contenta oblatis ad ſuperuacuas pro-
greditur cupiditates abſentium ſemper bonoꝝ: quò fit, vt nunquã expleatur,
nullum finem ſtatuens libidini. Hinc vtrum iſtorum vtilius, quídue magis ſe-
quendum, perſpicuum eſt. Opportunè autẽ illata eſt a te mentio de magiſtra-
tu, quem putas vtilitatem afferre improbè gerenti: de hoc enim certius adhuc
aliquid iudicare poſſum, quia & ipſe quandoq; magiſtratum geſſi, & pluribus
affui gerentibus, quoꝝ nemo videbatur ſibi peius cõſuluiſſe, quàm ij, qui æqui-
tatem, fidem, ius, leges, iuramenti religionem, venalia habuere, nam quum ob
ſeruetur oculis totius ciuitatis in magiſtratu poſitus, nõ latere poteſt improbè
factũ, ſed ſtatim latius diſſeminatur: itaq; grauis exiſtimatio ſubſequitur, nec
cæteri modò, ſed inimicus eſt etiam is, qui dedit, acerrimè autem omnium qui
iniquo iudicio proditus eſt. Nec diuitum & potentum gratiam obſequio gra-
tuito firmiter deuincire poteſt, quoniã diſſimulant beneficiũ, ne iniuriam obti
nuiſſe videantur: nec tam acres defenſores illi, quàm oppugnatores hi, quibus
aliquid præter ius ereptum fuit. Itaq; vbi depoſito magiſtratu geſtoꝝ ratio re
poſcitur, videas alijs iuſtè iniuſtum lucrum extorqueri, alios in vincula conie-
ctos omnibus ignominiæ inuri notis, plures interfecti. Hos referunt iniuſti
quæſtus, hæc lucra domum. Sed effugerint hæc: attamen improbitatis illorũ
manet opinio: aurum habent, quod tamen eos pungit, quum ſubit recordatio
vnde habeant, illúdq; non iniuria metuunt, ne quod de præda natũ eſt præda
potentiori fiat. Nihil horũ illi accidit, qui magiſtratum gerit integre, atq; inno
center, qui non aliquid amicitiæ tribuit, non potentiæ, non precibus, nõ pre-
tio, nõ minis: ſolum ius valere penes ſe patitur, nec aliquid aliud reſpicit: hũc
vel inimici laudibus efferunt, mirantur, ſpectatu dignum habent, tanquam de
cœlo ad homines deſcenderit: quin etiã vbi res tulerit, non verentur ſe illi cõ-
mittere. Quæ res, quod æs conferri poteſt cum exiſtimatione bona, quam de

ſe impreſſit

ſe impreſſit omnium mentibus? cum voluptate animi, quam percipit, dum cogitat ſe multis profuiſſe mortalibus, obfuiſſe iniuria nemini, quod vnum eſt inter homines eſſe Deum? hunc ſuauiſſimum innocentiæ guſtum non habet, qui animum auro atque his inferioribus bonis illigauit. Caius Graccus miſſus cum imperio in prouincias a populo Romano, reuerſus res a ſe geſtas in cōcione expoſuit, & inter cætera hæc protulit. Ita (inquit) Quirites in prouincia verſatus ſum biennio, vt nemo poſſit verè dicere aſſem, aut eo plus me in muneribus accepiſſe, aut mea opera quēpiam ſumptum feciſſe. Deinde ſubdit ſe multorum diſſimilem reuertiſſe, qui lagenas, quas vino plenas in prouincias portarunt, argento plenas reportarunt. Ego (inquit) zonas, quas plenas argento extuli, inanes retuli. Quā pulchre vtilis hic ſibi fuit in magiſtratibus (dixerit ridens aliquis) qui loco pecuniæ acquirendæ in populis ſuā etiam imminuit. Ego verò hunc virū, quod maximè vtile eſſet vidiſſe cōtendo, ſi pro pecunia, & laudem, & gloriam, & bonā exiſtimationem, & beneuolentiā a ciuibus & ſocijs ſibi cōparauit: demū ſi pecunia omni iuſtitiam habuit cariorē, cui ne aurei quidem montes cōferri poſſunt: eſt enim ipſa longè ſplendidior. Hac duce nō nulli multitudinis ſuffragio ampliſſimos quādoque aſſequuti ſunt honores, & immenſas ſibi opes parauerunt: vt ille penes Herodotum Deioces, qui cōtrouerſijs æquiſſimè diffiniendis magnā adeptus opinionem iuſtitiæ, tādem ſummo popularium cōſenſu Rex Medorū declaratus eſt: qui etiā in ſummo illo faſtigio poſitus, nō tamen ceſſauit a priſtino munere: ſed diſceptantibus ſæpius intro ad ſe accerſitis lites terminauit recto iudicio, & in facinoroſos ſeuere ius publicum exercuit, incorruptumque omnino ſe præbuit. Et ille quidē ſic agebat, nō imitans illos iudices, quos contumelioſo vocabulo Heſiodus notauit, δωροφάγους vocans, id eſt munerum comeſtores. Apud Thebas Ægyptias ferūt olim in iudicum habitu formatas ſtatuas fuiſſe, bene auritas, manibus truncas, atque oculis captas. Ergo ſignificabant (vt videtur) oportere iudices diligenter audire, non reſpicientes ad perſonam, nec dona a litigatoribus ſumentes. Græci humanius, qui ſtatuas fingebant iudicum manibus intra pallium cōpreſſis, & iudices ipſos ſub modica feneſtrarū luce ſententiam dicere iubebant, eadē quę Ægyptij ſentientes. Si hæc rectè ſe habent, quid peius, aut monſtroſius fingi eo iudice poteſt, qui aures penè habeat nullas, plures manus & aduncas, ambiri ſe a potentibus libentiſſimè videat, vt gratiam reponat? Tua verò oratio improborum partes ſuſcipiens hoc vno innititur, quòd plurimā pecuniam lucrentur, quaſi hoc vnum ſit potiſſimum bonum inter mortales ſummopere expetendum, ac non illud maius ſit pretium, pretiò capi non poſſe. Ne tu quidē magnopere eſſes ridiculus, ſi corā eis hæc diceres, qui diuitias abiecerunt ſponte, tanquā ſarcinas quaſdam & impedimenta ad veri inueſtigationem, quā ſequebantur, qui profectò, ſi adſint, vultu aſpectuque ſolo, vel horrido ipſo amictu frangant hunc ſermonem tuū, quo ſtatuis lucrum eſſe improbo, ſi ſuo more, ideſt improbè, acquirit diuitias, quas ipſi tanquā detrimenta reiecerunt, ſtatuentes ſe in eis virtutē perfectè percipere non poſſe. Cleanthes (vt hunc vnū de philoſophis potiſſimùm nominem) operas ſuas piſtrino, vitæ ſuſtentandæ gratia, locauerat, veritus ne, ſi diuitias ſectaretur, hæc illum cura a philoſophia auocaret. Itaque illis manibus, quibus molas circumegerat, de ſole, luna, ſideribus, de rerum principio, de iuſtitia, & temperantia, deque omni virtute literas conficiebat. Quid ais? vtrum hunc virum cenſes ſibi vtilitatibuſque ſuis bel-

lum indixiſſe, quòd illa ſcire potius & ſcribere voluerit, quàm per fanda quęque & nefanda diuitiarũ lucra ſectari? Enimuero quæ pretioſior ſupellex, aut vitæ vtilior, quàm ipſius ſcientiæ, qua ſe ille inſtruxerat? has ſibi ille diuitias congregarat, ne pauperem omnino fuiſſe putes: niſi fortaſſe diuitiæ tibi non videntur, quia propter eas nemo occiditur, nemo proſcribitur, nemo ex inſidijs circumuenitur: quãquam ſi Cleanthem, qui naturam, vt optimam vitæ ducem ſequebatur, interrogaſſet quiſpiam de fortunis ſuis, non ſcientia modò, ſed cæteris etiam rebus diuitem fore reſpondiſſet. An non diuitiæ illæ? panis, tectum, veſtis, cubile, ſol, ignis, aër, & de terra olus, vel legumen, de ſyluis ligna, de arboribus baccæ, de riuulo aqua, quibus ille facile ablatis ventrem vnum arbitrio ſuo ſaturare poterat? Modicæ (inquis) diuitiæ. At natura modicum efflagitat, libido immenſum, vt nemo pauper ſit, niſi qui pauperem ſe eſſe opinetur: optima autem illius conditio, qui ita vitam inſtituit ſuam, vt paucis egeat: quandoquidem, vt nullo egeat, fieri non poteſt, quia hæc ſolius Dei pars eſt. Quamobrem tantò quiſque propius accedit ad Deum, quò contentus eſt minoribus. Firmiſſima quæque paucis ſe tuentur, imbecillitas plura adiumenta deſiderat: hinc egentiores ſenes iuuenibus, mulieres viris, ægroti benevalentibus, denique ſtulti ſapientibus. Neſcio autem quomodo ſermone progreſſi orbem hunc conuertimus: nam quibus antea de ſermone tuo vtile videbatur diuitias parare, nunc vtile apparet illas ſpernere, meliúſque fore tenui in cultu agere, quia id proximè ad Dei conditionem accedit: & quia quantò ſe plus quiſpiam ab his terrenis bonis abduxerit, tantò magis cœleſtibus abundabit: cœleſte enim bonum iudico diuinarum humanarúmque rerum ſcientiam, æquitatem mentis, iuſtitiam, fidem, temperantiam, magnanimitatem, & reliqua generis eiuſdem: hunc quoque diuitiarum contemptum ad eadem bona ſtatuo pertinere. Hæc ſentiebant veteris æui philoſophi, qui intentiore paupertatem cura, quàm cæteri diuitias ſequebantur: e quibus Epictetum Stoicum præterire non poſſum, qui eatenus nihil habuit, quod furem inuitaret, vt Romæ domus eius ianua valuis careret. Nihil dico de Monachis noſtris quid ſenſerint, quãdo nemini dubiũ relinquitur, quin illi quaſcũque nationes ſuperauerint in ſtudio pauperrimæ & humillimæ vitæ. At non philoſophi modò & alij ſeculi contemptores, ſed plures etiã rempublicam gerentes hæc eadem ſenſerunt: nam innumeros græca Romanáque nobis exhibet hiſtoria, quibus quum ampliſſima imperia commiſſa fuiſſent, & facile regum & populorum ſociorum donis ditari potuiſſent, illi pauperes eſſe maluerunt. Euolue tecum qui vir fuerit Epaminondas Thebanus, Ariſtides, & Phocion Athenienſes: cogita Curium, Fabricium, Scipionem, Catones, & alios eiuſdẽ notæ homines, quos conſtat ciuitatũ ſuarum fuiſſe decora, & ſeculi illius gloriã ob res præclariſſimè geſtas. Hi modico cõtenti iudicaſſe videntur vtiliorẽ fore diuitijs paupertatem: quorum iudicium quis contẽnat, quũ nemo ſit, qui non malit illorum eſſe ſimilis, quàm eorum, qui ijſdem temporibus locupletiſſimi extiterunt? Sed forſitan parua perſequimur, dum fingimus melius fore improbis propter pecuniæ lucrum: poteſt enim, quantũcunque ſit, contemni. Sed vitam quis contemnat? quã tamen abiicere cogitur idem bonus vir, dum probitati ſtudet: improbus autem retinet, nullam ducens rationem honeſtatis, vt illuſtri exemplo liquet a te propoſito: nam bonus vir nactus in equo ſaucium, & naufragum in tabula, neutrum illorũ deturbabit, quanuis facillimè poſſit, vt ipſe incolumis

euadat,

euadat, ſic peribit hoſtium manu vel pelagi vndis confectus: quod ſi fuiſſet improbus, res ipſa clamat quid facturus eſſet: alium potius quàm ſe vellet occumbere: ſic nocet probitas, iuuat improbitas. Hanc eandem ſequens rationem dicere poteras, iuuare inimicitiam, nocere amicitiam, quia ſæpe incidunt tempora, vt pro amico adeundum ſit vitæ diſcrimen, & tunc forſitan mori continget iucundius in exilio, quàm in patria viuere: quoniam hæc a te exigere iuſtè poteſt, vt pro eius ſalute mortem oppetas: naturale omnibus mori eſt: at alieni detractio contra naturam. Ergo ſi naturam ſequimur, moriendum potius, quàm alteri quidquam eripiendum. Si quod expedit potius ſequimur, idem faciendum: nam ſi corpus peſtifero vexatum fuerit morbo, non vtile dicemus tale corpus habere, & cum eo viuere, & quò diutius in vita quis retinetur, eò miſerior iudicatur: quomodo vtile cenſebitur propagandæ vitæ huius cauſa fœdare animum atq; inficere peſtifero iniuſtitiæ contactu? An quia deterior ſit animus corpore? quis id dixerit? an quia morbus corporis ſentitur magis, doloréſq; permouet, animi morbus non item? At durior is eſt morbus, qui ægroti ſenſum latet, quoniam id non ſine magna mercede contingit furoris vel ſtuporis. Scimus plures certiſſimam incurriſſe mortem, alios vt inimicum vlciſcerentur, alios vt amicum in morte ſequerentur, alios vt morbum quendam corporis euitarent: quin videmus quotidie equeſtres & pedeſtres copias paruo ære cōductas in prælijs vel oppugnationibus vrbium aceruatim interire: adeo facile eſt lucis huius vſum contemnere. Bonus autem vir mori deligit ea de cauſa, ne quidquam ſibi de innocentiæ ratione minuatur: hoc dum facit, illud iudicat moriendum eſſe prius, quàm quidquam morte dignum committere: decet enim mori morte indignum. Generoſè (inquis) ?, tamen ſtultè. Imo ſapienter: nam nihil animo ſuo ei carius, cuius ſplendor, lux, dignitas, incolumitas reſidet in innocentia. Quòd ſi facere ſapienter exiſtimatur mulier, quæ caſtitatem corporis vita potiorem ducit, quantò magis ille prudens, qui caſtitatē animi vitæ præfert? nec mouetur lucis huius pretio, vt eā fœdè polluat? Paucós ne habes, qui vxores ſuas arctius aſſeruent? plures ſunt, præſertim ſi viridis earū ſit ætas, & forma ſplendens, & nemo ferè eſt illorum, qui non eripi ſibi vitam malit, quàm caſtum coniugium, & ij tamen non ſtulti. Vnde igitur ſtultus is, qui potius interire præoptat, quā ſponte animum ſuum caſtitate admirabili, vel virginali potius munditie præditum, fraude, dolo, nequitia inquinare? qui hoc ab illo differt? generoſè hunc facere tu fateris, igitur ne ſtultè quidē: non enim generoſa poteſt eſſe ſtultitia, inflata erit, & tumefacta, ideo fallit ſimilitudine generoſi: quod autē verè generoſum eſt, cum ſapientia iungitur. Verè autem dictū, tribuenda eſſe honeſta nomina rebus honeſtis, turpia turpibus: tu verò noli honeſta turpibus cōmiſcere. His ſic decurſis videre iam licet melius fore in deliberando ſtare pro honeſto, quia id pariter ſit vtile, quàm vmbra vtilitatis latioris inductū, iniuriæ auctor fieri & flagitij. Nec verò magni vnquam excelſiq; viri aliter ſtatuerunt: imo ne ſæpius quidem multitudo, cui etiam quod ſplendidū eſt, & amplum, & honeſtū probatur, modò idoneos habeat aſſertores. Hinc a Romanis laudatus Fabricius, quòd inimicū Regem venero tollere noluerit, & ab Athenienſibus Ariſtides, quòd Lacedæmoniorū naualia clam incendenda non putauerit: turpe enim videbatur doloſis artibus non virtute & armis cum hoſte certare. Floruit vtraq; gens, dum fide, iuſtitia, & beneuolentia ſociorū niteretur eorum imperium: vbi

autem latius,quàm iuſtius regnare voluerũt,conſtat innumeris oppreſſos calamitatibus,& non de aliorũ modò,ſed de ſua quoq; ipſorum excuſſos ditione alienigenis turpiter ſeruiſſe. Idem cæteris contigit populis & regibus eodem itinere progreſſis: omne enim imperium per ſummã probitatem & iuſtitiam acquiri debet,eiſdẽ etiã artibus retineri:ſin aliter,vt infirmis nixum radicibus, corruat neceſſe eſt. Licet autẽ hunc ſermonẽ,quem nunc habeo de populorũ & regum magnorũ imperio,deducere ad ſingularũ ciuitatum reſpublicas,ad priuati cuiuslibet negocia,in quibus omnibus illud elucebit diligẽter intuenti, nihil iniuſtum,quod idem vtile eſſe queat. Longior eſſet ſermo,ſi ſingula nũc perſequerer,verus tamen,& qui in cunctis partibus fidẽ ſui pręſtaret. Quòd ſi multi iniuſta præferunt,tanquã magis vtilia,adeo vt vix ſit tutũ præbere aulæ fidele præſtãſq; conſiliũ,nã diuerſa illic ſuperat factio,quæ prædæ ſemper aliquid in præſens quæſtuſq; proponit: bonos autẽ cõſultores honeſti rationẽ ducentes reijci,contemni,expelli,interfici videmus. Hæc vbi accidunt,intelligendum eſt hominũ cõtingere ſtultitia,quæ tam latè regnat,vt etiã ipſorũ principum ſit princeps: hanc melius fuiſſet culpare,quã naturæ prouidentiam: ipſa enim honeſtatẽ vtilitati copulauit,homines opinionibus ſuis ſeparauerunt illuſi, inductiq; falſa vtilitatis ſpecie. Nũquã enim efficies,vt verè ſit vtile inhumanum eſſe,perfidũ,auarum,incontinentem,timidum, iniuſtum,rapacem: e conuerſo ſit dãnoſum,humanitatẽ,fidem,liberalitatẽ,continentiã,fortitudinẽ, iuſtitiam,æquitatem ſuſcipere: quæ amplæ excelſæq; virtutes humanę mentis ſunt diuitiæ,ac ſola,maximáq; ornamenta. Quid igitur fallit,atq; decipit? corporis voluptas,vel pecunia,vel aliquod aliud externorũ cõmodorum, quæ vt conſequamur quomodocũq; poſſumus,nobiſmetipſis nõ parcimus: ſed dignitatem mentis pulchritudinémq; prodimus, & vitio cõquinamus. Hinc aliud honeſtum eſſe nobis finximus, aliud vtile, quaſi vtile ſit homini de dignitate mentis excidere,& impetu beluæ ferri. Sed non modo factũ ipſum per ſe non eſt vtile,ſed ne ea quidem,quæ ex eo ſequũtur. Nã quia id,quod agitur perperam,repugnante agitur ratione, ideo mox illud comitatur infamia, dedecus, conſcientiæ flagellum,legum iudiciorúmq; metus,inferni carceris terror, inimicitia,deteſtatióq; virorum bonorũ,& ſæpius vulgi, ſicuti fuſius paulò ante diſſerui. Contra autẽ quæ forti,iuſto,temperantéq; animo fiunt,neceſſe eſt fore vtilia,quia diuitem ſplendidum,ornatúmq; animũ oſtendunt magnæ præclaræq; virtutes: tũ verò ſolidam præbent purámq; homini voluptatẽ, quantum in hac vita aſſequi datur,dum in earũ radios intuetur: nec ſi ſubeundus labor aut corporis dolor,aut fortunarũ amiſſio facienda virtutẽ ſequenti,ideo deſinit vtilis eſſe virtus,imo vtilior redditur,quũ ampliori magnificẽtioriq; loco hominẽ ſtatuat,qui ſui gratia illa cõtẽpſerit. Nec audiendũ eſt,quũ homo corpus ſit animatũ,ſeu tertium quoddã ex animo & corpore cõpoſitũ,ſpectandũ id etiam,quod corpori ſit vtile: id verò concedi nullo pacto poteſt, quãdo id, quod corpus iuuat,animi bonis repugnat: nõ enim ex æquo inita eſt animo cũ corpore ſocietas: ſed hoc ſubeſſe debet,ille pręeſſe. Quemadmodũ ſi e lapide fingeret ſimulacrũ, neceſſe habet artifex ſcalpello multa lapidi detrahere, vt illic ſedeat forma,quã ducere cogitat,neq; tũc,quòd ſcindat̃ ferro lapis & imminuatur,põt ille iure fabrũ accuſare: eſt enim omnis illa materia gratia formę, cui inſeruire habet,quomodocũq; ex vſu formę ſit: ſic rectè detrahi põt corpori,vt præſtans animo virtutis imago imprimatur,quia gratia animi corpus in-

ſtitutum

ſtitutum fuit. Ergo in illius ratione non aliò ſpectandum, quàm ad animum, qui ſi euaſerit præſtantior ex corporis detrimentis, illa recipienda ſunt, tanquam ex ſaxo tunc aliquid ob præſtantiam formæ imminuatur. Elephantos ferunt vbi circunuenti ferè a venatoribus difficilem proſpiciunt fore fugam, dentes, quorum gratia peti ſe arbitrantur, impactos arbori frangere, & inſequentibus ſe relinquere. Caſtor quoq; petitus, quum difficulter videt ſe poſſe de periculo auferre, genitalia, quæ ſunt in illo pretioſa, & propter quæ cenſet ſe in diſcrimen veniſſe, dentibus abſcindit, proijcitq; venantibus. Horum animalium factum cum admiratione narratur, & ab omnibus comprobatur, tanquam prudentiæ quoddam inſit illic veſtigium, quod parte corporis abijcienda reliquum redimere hæc animalia conentur. At quantò ampliorem humanæ prudentiæ campum natura aperuit? dum homo nō parcit toti corpori nec reliquis ad corpus ſpectantibus, vt animo, qui pretioſior eſt omnibus, dignitas incolumitáſq; ſua conſeruetur. Non enim conuenit hominem beluis exiſtimari imprudentiorem, vt quod illæ faciunt ob corporis tutelam, cæco quodam affectu impellente, nullo vſu, nullo exemplo admonitæ id ſibi profuturum, quod forſitan etiam non proderit (nam incertum eſt, num ob id venatorum effugiant manus) id homo non præſtet propter animi ſalutem, lumine mentis inſtructus, multo rerum vſu callidus, & plurium exemplis confirmatus, certus demum rationes ſuas ita ferre & poſtulare. Et de his quidem pro prudentia veſtra nimium, pro materiæ amplitudine parum, pro ingenij noſtri mediocritate ſatis dixiſſe videor. Supereſt modò, vt quæ de ignoratione noſtra rerum omnium a te dicta ſunt, deinceps perſequamur.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PVLCHRO LIBER QVINTVS.

DVM Hæc a me dicerentur, interim Dionyſij ſocer Pollionem filium miſerat admonitum, vt in craſtinū ſororis nuptijs adeſſet, quę Henrico Rotario deſponſa ferebatur nobili & fortunato adoleſcēti. Is, quum ad villam noſtram perueniſſet, nec Dionyſium inueniſſet, perſequens eum in hortos ipſos, vbi audiuerat cum valida iuuenum manu migraſſe, vt vidit aduenions, & illum, & me, & cæteros omnes ſalutauit, comiterq; viciſſim exceptus, cauſa aduentus ſui expoſita, tandem hortatu cunctorum aſſedit, vt reliquū diei tempus nobiſcum vnà tranſigeret. Accidit tamen ridiculum quoddam: nam Pollionem ſequebatur puer facie admodum inſignis, lyram ferens cum plectro ſub chlamyde. Is, quū incautius properaret, in ſtipitem paululum ab humo extantem offendit, ſimúlq; pronus cecidit, lyrámq; cū plectro ante Dioniſij pedes effudit. Riſimus omnes caſu pueri, qui non ſine aliquo animi & corporis dolore illi contigit: lyra tamen nihil paſſa eſt durius, quam mox ſurgens recepit. Mirātibus quibuſdam

quòd Pollio ſecum lyram afferri voluiſſet, tacebat ille, & erubuerat. Tum ego, Non eſt, inquam, hoc mirandum: nam quemadmodum Scythæ feri homines & barbari, cęde gaudentes & vulneribus, nuſquã prodeunt ſine arcu & pharetra, idq; meritò facere exiſtimantur propter ſummã ſagittandi peritiam, qua reliquis præſtant gentibus, ſic concedendũ eſt homini muſices ſtudioſo lyram vel aliud organum muſis aptum ſecum ferat, quo explere poſſit omni tempore artis ſuæ munera: Pollionem autem ſcimus muſicæ ſe deuouiſſe: hęc eius eſt militia, his armis illa dextra aſſueuit. Conatur autẽ aſſidua exercitatione proficere, & ſe ipſo indies fieri præſtantior: quãquã de iſtis minimè me verba facere deceat Dionyſio præſente: ille defendere deberet hunc ęqualem ſuũ & propinquum, & earũdem artium ſocietate coniunctum. Tum Dionyſius, Si vituperatur (inquit) Pollio, quia muſicis operam nauet, id nõ hominis crimen eſt, ſed artis. Sed quis artem hanc accuſauerit, niſi impius? ſi quidem impietas eſt odiſſe, quod Deus amet: Deo autẽ acceptiſſimam eſſe muſicam vel cũctarum penè gentium docetur teſtimonio, quæ hanc, dum rem diuinã faciunt, adhibẽt potiſſimum: hac afflari homines, impelli, concitari, recreari videmus, vt exiſtimandum ſit eorũ animos, qui muſicis afficiuntur ſonis, armonica ratione eſſe compactos: & propter cognationem hanc, quã cum vocum neruorúmq; poſſident concentu, illa perpeti: eorũ autem, qui contemnerent, diſſonũ quoddam & tortuoſum, & repugnans in ſe ipſis habere. Sed non expedit pluribus muſices cauſam agere: clariſſimis enim approbata eſt auctoritatibus ſummorũ virorũ, qui ſe huic arti veluti ſacræ tradiderunt, in quibus nominatim appellare poſſumus Pythagoram, Socratem, Platonẽ, Epaminondam, Lycurgum, quorum ſequentes veſtigia cõmendandi ſunt vnà cũ Pollione noſtro: nã eadẽ de cauſa cæteros laudare, hunc vituperare, ſummę eſſet inſcitię. Quòd autẽ ſecũ attulerit lyram, credo quòd voluerit, ſicut antea Arionis æmulus fuerat in vrbibus, nunc Orphei eſſe in ſyluis. Nam, vt etiam Virgilius meminit noſter,

Non canimus ſurdis, reſpondent omnia ſyluæ.

Et hæc quidem a Dionyſio dicta ſunt. Huius ſermonem excipiẽs vnus e cætu, quis fuerit nõ ſatis nunc memini, huncin modũ verba fecit. Ego exiſtimo præcipuum opus eſſe muſices reficiendi animos, magnarũ rerum tractatione feſſos, & a ſolicitudine abſtrahendi: hac de cauſa Iuppiter ille hominũ ſator atq; Deorũ (vt poëticè loquar) hanc artem ſuo magno munere ægris mortalibus (quantum ego ſentio) conceſſit, vt curarũ requiem, & laborum ſolatium: quãuis non deſint ſapientiſſimi viri, qui autument inuentam fuiſſe, vt humanos tẽperet mores, affectúſq; feros mulceat: vtrunq; eam efficere certum eſt, id tamen magis, quod dixi ſuperius, quod vel ipſi operarij viderunt, qui agreſti & incondito quidem cantu, attamen cantu, ſtudent diurnum eorũ laborẽ nocturnúmq; fallere: ſed & infantes ipſos videmus, ſicubi forte offendũt ploránt ue, vocis modulatione placari, & ſomnum his etiã conciliari, quaſi teſtificante natura non minimũ doloris eſſe lenimen muſicam, & ad eam homines ſuopte ingenio eſſe propenſos. Quamobrem ſi ſuũ eſſe duxerit Dionyſius, qui in arte præſtantior eſt omnibus, aures noſtras non audiendi quidem iam ſaturas, ſed tamen requiem aliquam affectantes, quò reliqua audire poſſint paratius, ſuauitate carminis cõmulcere, exiſtimabo Pollionem nihil temere feciſſe, ſed neſcientem quid ageret, Deo impellente huc deflexiſſe, lyrámq; huic operi attuliſſe. Pla-

liſſe. Placuit hæc ſententia omnibus: cõtenderéq; cœpimus de Dionyſio, vt muſicæ aliquid ſuauitatis nobis impartiretur iam feſſis, & reſpirationem aliquam affectantibus. Cauſabatur ille primò imperitiam, & iniquè cogi aſſerebat, vt periculum artis a ſe nondum benè perſpectæ coram tali cœtu faceret: tandem quæ vellemus facturum eſſe dixit. Inde puerum lyram repoſcens, eiúſq; fides artificioſe contrectans, multa canere ad illam cœpit ex Horatio, Catullo, aliiſq; veteribus Poëtis. Ad extremum maxima & ſuauiſſima voce heroicum hoc pronuntiauit pulcherrimum ſanè: quo ab illo anni tempora, & præcipuè veris laudata ſunt,

Fugit hyems, redeunt primęui tempora floris:
Purior orta dies campis, auræq; tepentes
Aſpirant, viridi tellus ſe gramine veſtit,
Nudatæq; ferunt ſyluæ iam frondis honorem:
Iam gemmas trudit palmes, iam falce premendus,
Et duræ facies terræ renouatur aratro,
Nec non denſa comis arbos vmbracula tendit;
Lilia nunc commixta roſis, violæq; leguntur
Pallentes, nunc puppe ſecant immobile marmor.
Ecce autem gracili modulatus arundine carmen
Hirſutus paſtor niueas agit ante capellas.
Illæ per dumos pendent de rupibus altis
Arbuta tondentes, & concita flumina potant,
Quum ſol altus agit currum, nec dum imminet vndis:
Sub noctem nam cogit oues, numerúmq; reducit
Dux gregis, innixus baculo, vel ſtipite querno.
Nec minus interea cœlo volat ales aperto
Huc illuc pennis trepidantibus, & modò cantus
Ore premit dulces, modò ludit in æthera gyris,
Nunc fingit nidos, aut natis colligit eſcam.
Ac propriis vt certa forent ſignanda diebus,
Ipſe Deum genitor deſcripſit quatuor annum
Partibus, & iuſſit ſua per veſtigia verti.
Vndiq; ſe tollunt pubenti ſemina vere,
Fundit humus latè flores: mox ſtringit ariſtas
Torrida, próq; ſuis gratatur frugibus æſtas:
Nec pater autumnus non fœtu exuberat anni:
Poma manu carpunt, & lectas collibus vuas
Agricolæ exportant, nec non corilóſq;, nucéſq;,
Caſtaneáſq; ferunt ſyluis: iuſtiſſima donec
Ipſa ſibi reparet vires iam feſſa ferendo
Tellus, & gelidis requieſcat ſepta pruinis.

Poſtquam Dionyſius canendi finem fecit, ſummáq; auditorium permulſiſſet voluptate, lyrámq; poſuiſſet. Tum me vnum omnes intueri, vt facile intelligerem, reliquũ eos ſermonem repoſcere: multa enim adhuc reſtabant ex Dionyſij oratione, quibus cum nõdum fueram congreſſus. Ergo non expectata loquentium auctoritate, quorũ tacitam voluntatem perſpiciebam, me ad meum

penſum muniíq; reuocaui: atq; ita ſubſequutus ſum. MAR. Euaſiſſe mihi
videor o Dionyſi plurimas ſermonum tuorũ vndas: his enim, quæ dicebãtur
de labore, de morbis, de morte, de bonorũ malorúmq;, his proſpera, illis ad-
uerſa fortuna, de innocentiæ periculis, & incõmodis, deq; aliis pluribus reſpon
dimus, iniquum rati his & talibus procellis obrui ordinem pulchritudinémq;
mundi. Sed ecce alii non minus truculenti fluctus excipiunt: ſequuntur enim
quæ de ignoratione dicebas, quæ omnia (vt ais) noſtra occupauit. Aduerſus
quam aſſertionem præliaturus, ſi hanc cauſam in foro agerem penes iudicum
tribunalia vel in populi concione, inuocarem doctos quoſq; & eruditos viros,
vt memores ſtudiorũ & laborum ſuorũ adſint, faueant, atq; adeo opem ferant:
nec patiantur ſermonibus tuis opprimi ſciẽtiam vitæ ducem, & humanarum
mentium magiſtram. Idem etiã nunc peto, ſi forſitan diſputatio hæc noſtra ex
arborum harũ vmbris & huius luci ſeceſſu in ſolem & puluerem egrediatur.
Decet enim ſcientię referre gratiam, quæ illos ornauit, nec ſinere oratione tua
terreri iuuentutem, ne ſe tradat rectiſſimis artibus: multò magis hæc tempora
hortatoribus indigent: quanquam ſtudia omnino contemni nequeunt. Siue
enim verũ eſt ignorari omnia, id nemo rudis perſuaſerit rudibus, opus eſt do
ctore prudenti & auditoribus ſtudioſis: ſiue ſcientia eſt rerum omniũ vel pluri
marum, acriori etiam ſtimulo in ipſa ſtudia impellimur. Sed antequã his, quæ
a te dicta ſunt reſpondeam, pauca quædam de cõditione totius humani gene-
ris dicam, quæ mihi miſerrima videtur, ſi quidẽ nihil ſenſibus, nihil mente per-
cipimus, ſed omne ſcientiæ lumen extinctum eſt. Puderet me conditionis no-
ſtræ, imo naturam ipſam pudeat: quæ tantam ſciendi cupiditatem hominibus
ingenuit, quantam mox docebo, ipſam deinceps ſcientiã penitus abdidit. Vi-
demus enim in pueris, in quibus veluti in ſpeculis naturę voluntas perſpici po
teſt, vt velint cõmentari ſemper aliquid & diſcere, vt de ſingulis percontèn-
tur, vt audire iuuat, vt narrationibus, fabellis, ludis, ſpectaculis ducãtur, vt gau
deant cognita æqualibus oſtendere: & plærìq; eorũ ne verberibus quidẽ a cõ-
templandis perſpiciendíſq; rebus deſiſtunt. Hanc ſciendi cupiditatem a prima
ætate acceptam non deſerimus ſequentibus annis, ſed ad ſenectutem vſq;, quin
potius ad extremũ vitæ diem perducimus, vt de Solone traditum eſt, qui verſi
culis quibuſdã teſtatur ſe ſeneſcentem aliquid quotidie addiſcere: & Iulianus
noſter inquit, Etſi pedem in fouea haberẽ, adhuc ediſcere vellem. Sed quos la
bores, quas vigilias ſuſtinent homines in his diſciplinis pertractandis, e quibus
nullũ ſperant emolumẽtũ, vna capti doctrinæ dulcedine? quod his accidit, qui
aſtrorũ curſus, vel qui numerandi dimetiendíq; vim & rationẽ perſequuntur.
Nam ſi ius ciuile vel medicinã proponerem, dices homines his ſcientiis indul-
gere honoris illecebra cõmotos, vel ſpe quæſtus adductos. Sed, vt abeam ab
his ingenuis artibus, quis tam rudis inuenietur, & tam moribus aſper, cui ſi pro
poſita fuerit a Deo optio, vtrum malit ſtellarum numerũ ſcire, an ignorare, nõ
deligat ſcire, tametſi nullam vtilitatem ex hoc ſit capturus? Nam vtrum veriſſi
milius ſit earum numerũ parem eſſe, vel imparem docti quoq; viri exquiſiue
runt, quod forſitan abſurdũ videatur. Sed ita res ſe habet, quòd ſcientia ſpon-
taneo quodam animi motu omnes delectamur, tanquã luce: ignorationem ve
rò, non ſecus ac tenebras, perhorreſcimus. Oculos cariſſimos habemus (vt an-
tea dictum eſt) & propter vtilitatem quidem dixerit aliquis, quia ſine his ni-

hil ferè

hil fere agere valemus. At vbi nulla incumbit agendi neceſſitas, nos tamen ſponte ſua valde delectant, nullam aliam ob rem, niſi quòd colorem, figuram, ſitum rerum, & earũ inter ſe differentiam nobis oſtendunt, & variam cognitionem præbent, & quod de oculis dico, dictum quoq; ſit de reliquis ſenſibus, quos non propter vtilitatẽ tantùm, quæ de illis percipitur, diligimus, ſed quia ad cognitionem deducunt eorũ, quæ ipſi cõmonſtrare poſſunt. Deducunt autem quem? animum ſcilicet noſtrum ſcientiæ appetentem. Enimuero quũ intelligendi vis, quæ ſolũ ſita eſt in nobis, perficiatur, vbi res ipſas intelligere aggreditur & intelligit, hoc ipſum impellit, vt intelligentiam adipiſcamur: ſiquidem vnuſquiſq; id appetit, in quo proficere ſe poſſe exiſtimat, & abſurdum ſimul ſit, ſi quũ ex omnibus animantibus vnus homo ad intelligẽdum natus ſit, al.ò potius, quàm ad intelligendas res cognoſcendáſq; feratur. Quamobrem magna in hominibus meritò intelligendi ſciendiq; cupiditas, quam cupiditatẽ mihi etiam illud probè oſtendit, quòd vbi fabulam vel hiſtoriam cõtingit legere vel audire, ſi caſus aliquis interpellet, ne poſſimus vſq; ad finem vacare, dici vix poteſt, quàm moleſtè id feramus, ſuccenſemúſq; ſæpius ea de cauſa intempeſtiuè adeuntibus, & facultate oblata alterius loci, vel temporis illuc reuertimur, & quæ ſupererant perſequimur, & ad exitum feſtinamus. Nonnulli etiã in arcana irrepunt curioſius amicorũ, vel inimicorũ, & alienas cuiuſcũq; modi res ad ſe nihil pertinentes ſcrutãtur vnam illam ob cupiditatẽ, vt cognoſcant: quod etiã etſi vitioſo more fit, attamen intelligi datur, quòd iſte cognoſcendi amor non exorbitaret in quibuſdam, niſi iſtius rei antea ſemen natura mentibus noſtris indidiſſet. Quum igitur cõſtet impelli nos natura duce ad cognitionem rerum, ſi nihil percipi poſſet nec animo nec ſenſibus, quæ eſſet hæc natura? ſiquidem homines inuitaret ad ſcientiam, tanquã ad epulum, deinde inuitatos deſereret: verè nouercali vteretur tunc more, vt ipſe dicebas, ſi eripuiſſet cibum ſcientiæ, quem oſtentat, & ad quẽ ſui ſpecie allicit, & expeti fecit. Quæ deinceps eſſet hæc vita? arbores ſic viuunt, nihil intelligentes, & ſentiẽtes: par eſſet noſtra illis cõditio, vel deterior potius: ſi quidẽ optabilius eſt nihil, quàm falſa omnia percipere atq; ſentire. Inſtructa eſt & ornata decenter varijs artibus humana vita, quas ſi nulla eſſet ſcientia, exercere nõ poſſemus. Artes enim cõſtant ex collectione multorum præceptorum ad vnum finem tendentium. Hinc ſi quis hanc habeat vim diuinitus, ſiue homo eſſet ille, ſiue dæmon, vt ſciẽtiam deleat, artes proculdubio cunctas aboleret; remotis autem artibus homines quiduis potius, quã homines eſſent: ex quo intelligitur hoc ipſum, quòd homines ſumus, id ſcientię acceptum ferre oportere. Pugnant igitur hæc inter ſe, & homines eſſe, & ſcientiam non habere. At concedis eſſe homines, ergo & illud concedis eſſe ſcientes, ita ſcientiam relinqui neceſſe eſt. Quum præterea diſtinctio ſit in ipſis hominibus, quia alios eſſe vigilantes dicimus a ſomniantibus, alios prudentes a furioſis, quoniã furioſorũ & ſomniantium animi inaniter moueantur, & falſa pro veris teneant, ſi id haberent paſſim omnes, vt nihil apprehenderent veri, quì poſſent vigilantes a ſomniantibus, prudẽtes a furioſis differre? & ſi non differrent, quæ perturbatio illa eſſet rerum omniũ, quando vnuſquiſq; homo ad alium hominem ita accederet, tanquam ipſe ſomnians ad ſomniantem, vel tanquam furioſus ad furioſum? nihil intereſſe exiſtimet, vtrum cum negociante, an cum ſtertente loquatur? Quæ quoniam abſurda

ſunt,

ſunt, abijciatur illud potius, non eſſe in hominibus ſcientiam, quàm vt illa retineantur: ſatis ſit quarũdam rerũ, addo etiam (ſi placet) plurimarũ, notitiam nobis ablatam eſſe, ſed nõ omnium: non (ſi liceat iurare in huiuſmodi diſputationibus) per cœlum hoc, & terram, quã ſpecto, nõ per ſyluam hanc & arbores, non per fontem illum de rupe hac proxima ſcatentem, non per contentionem hanc noſtram, o Dionyſi, non per conſeſſum hunc veſtrũ optimi iuuenes gratiſſimum mihi atq; iucundiſſimũ, quem exiſtimo verba mea audire, nec in eo fallor. Naſcimur quidem (quod fatendum eſt) cum anima nuda atq; pura, & quæ tabellæ ſit perſimilis vacuæ ab omni literarũ figura: ſed hanc tabellam inſcribimus poſtmodum omnes, variiſq; literis obducimus, nec ceſſatur vnquam ab officio ſcribendi, quin quò quiſq; pręſtantior, eò cumulatius prolixiúſq; ſcribit. Scriptor autem eſt intus plurimos conficiens libros eorꝝ, quæ vel diſciplinis, vel vſu, vel ſenſibus percipiuntur. Ad hanc perceptionẽ ſumus omnes procliues, ferimúrq; natura: neq; eſt quiſquã tam ſtolidus, tam malus, tam fallere alterũ cupiens, vt falli ipſe velit: cuncti ignorãtiam propriam, errorem domeſticũ deteſtantur. An adduci poſſum, vt credam homines nihil ſcire, quibus etiam traditum fuit præſcire? quod vnum maximè ad diuinitatẽ accedit. Hinc non modo agricolæ pluuias tempeſtatéſq; venturas denuntiant, vbertatem anni, vel ſterilitatem præſentiunt ſignis quibuſdam cõmoti, & magno vſu rerum ruſticarum: ſed ciuilium quoq; rerũ periti, quæ in republica euentura ſunt, prædicere ſolent, veluti de Athenienſe Solone accepimus, qui tyrannidem exorientem multò ante proſpexit. Sed & Medici ſimiliter ægrotum ſurrecturum de morbo, vel in eo periturum pronuntiant. Nec Aſtrologi minus, imo certius ſolis & lunę reliquorúmq; ſiderum ortus, obitus, curſus, defectus, quo quidque eorũ tempore venturũ ſit, præfiniunt. Nam Anaximander phyſicus præmonuiſſe quoq; Lacedęmonios dicitur, vt excubãtes in agris vrbem & tecta relinquerent, propterea quòd terremotus inſtaret, quod non multò poſt contigit tota penè vrbe ruente, tum quũ e monte Taygeto extrema pars quaſi puppis auulſa eſt. Similiter Apollonius Tianeus illuſtris Pythagoræ ſectator peſtem mox venturam Epheſiis pręnuntiauit, aſſerens ſapientes viros ſerius quidem, quàm Deos, citius tamen quàm vulgus hominũ progreſſus rerum ſentire: id maximè aſcribens tenuitati victus, quæ admirabilem quandã tribuit perſpicuitatem ſenſibus, nec turbidum quidquã aut obſcurum circa ipſos manare patitur, efficítq;, vt tanquã in clariſſimo ſpeculo cuncta perſpiciant tam facta, quàm futura. Et per idem quidẽ tẽpus geſſit Apollonius aliud magis admirabile, dum peſtilentiæ morbum auferre ſtudens, malum dęmonem ſpecie mendico ſeni aſſimilem agnouit, & vt mali cauſam lapidibus obrui iuſſit. Sic & Corinthi lamiam idem philoſophus detexit, quæ ſe pro muliere cum ventoſis diuitijs oſtentabat: vt intelligas ab hominibus non ſolũ clara & aperta, ſed etiã ſubtiliter occultata & ſimulata cognoſci, eſſéq; penes nos deprehenſionem eorum, quæ ſenſus & rationem fallere & ludificare conantur. Sed prędicit etiam ventura humanus animus ſacro afflatus furore, & cernit quãdoq; ſomno ſolutus: quæ ſanè futurorꝝ præſenſio diuinationis nomen propriè obtinuit. Ego autem latius quancunq; futurorꝝ præſcientiam, quacunq; ratione factam diuinationem voco: nã eum, qui rectè conijcit futura, quid melius quã vatem vocare? ſicut vetus Græcorum habet prouerbium, quod talem virum

vatem etiam dicit optimum. Huic diuinationi altera ex parte reſpondet memoria, quoniam vtraq; temporibus abſentia intuetur, ſed altera gerenda, altera iam geſta. Abſurdum porrò eſſet hominem ſcire quæ ventura ſunt, & ignorare, quæ venerunt, cum certior ſit fides eorum, quæ iam præterierunt, quę nec reuocari vlla poteſtate poſſunt: hinc memoria data, quæ reſpiceret præterita, quemadmodū & diuinatio, quę proſpiceret futura. Quod cōſiderans videor poſſe dicere vnūquenq; noſtrum bicipitem effectum, nō figura, ſed vi, ſiquidē ante pōſtq; cernit, vt non multum inuidendū ſit ea de cauſa Iano, quem talem corpore nobis exhibet vetuſtas. Nā videmur quodāmodo auerſum alium habere vultum, dum ad tranſacta retro ſpectamus, quod vnum opus memoriæ, nec diſcrepat ſedes, quia memoria ipſa in ceruice, ideſt extrema capitis parte, dicitur ſedere: ingenium autē, cui ineſt prouidentia venientium, anteriora tenet: quòd ſi præteritorum & futurorum notitia eſt, quantò magis præſentium? nec malè pronuntiauit Poëta de quodam, quòd nouerat omnia,

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Sed vt intelligeretur id ſupra humanam eſſe facultatem, quia dixerat, omnia, id diuino aſcribit muneri. Ideo ſubdit,

Quippe ita Neptuno viſum eſt,

Nobis autem ſatis eſt, ſi horum trium temporū, antea, nunc, poſtea, ſcientiam aliquam habemus: nam omnia ſcire Dei eſt, vel eius, cui ille dederit. Tantum igitur abeſt nullam eſſe humanā ſcientiam, vt ne ea quidem anguſtis circunc ludatur finibus, ſiquidem & ea, quæ fuerunt, ſcimus & quæ ſunt, & quæ erūt, diuerſa tamen ratione: nam ſcimus præterita reminiſcendo, præſentia ſpeculando, futura diuinando. Quāquam non me lateat diuinationem quoq; circa præterita, & præſentia verſari: nam medici (vt de his exempli gratia loquar) non modo futura circa ægrotos pronūtiant, quæ ſcilicet aduerſa vel proſpera in morbo contingent, ſed & præterita enuntiant, quibus ipſi nō interfuerunt, & præſentia, quāuis ea ab ægroto nōdum audiuerint, & ſæpius ea dicunt, quæ ille perpeti ſe nō agnoſcit: diuinatio tamen magis ad futura refertur, quę incertiora videntur. Sed ne iam conqueraris Dionyſi me inuidiam aduerſus te ſermone concitare, populariterq; agere omiſſa ſubtilitate diſputandi, velleq; me vincere iureiurando, quod neq; ab accuſatore, neq; a iudice ſit delatum, videamus ea, quæ cōtra ipſe dixeris, & quid vnū quodq; illorū valeat conſideremus. Nam quòd plurima, attuleris ſcio, neq; id ingratum eſt mihi, quia ſi vicero, nō exiſtimabunt Callimachi, quorū ſententiam defendis, præuaricatione tua viciſſe: quin potius, ſi æqua facere volent, inualidam cauſam præſenti tua facūdia valde adiutam fatebūtur. Audierā antea id, quod multis incredibile videbatur propter ætatem, ſed tamen audiebam, quòd callidus erás in dicendo, vehemens, acer, ſubdolus, pugnax, ſæpe grauis & excelſus, nōnunquam facetus: in hac autē cauſa artes tuas omnes explicuiſti, nihil prætermiſſum. Eſt quòd gaudeant hi, qui ignorationis partes tuentur, quòd talē pro ſe inuenerint oratorē. Quāquam admiror aliquando homines diſciplinis deditos conatos diſciplinas ipſas euertere: iſtud enim eſt cōtra ſe oleum & operā impendere, & falce propria (quod aiunt) vineta ſua ſuccidere, quo quid poteſt eſſe ſtultius? ſed & quod de ipſarū artium & diſciplinarū facultatibus ſumpſerunt, vnde tanta copia, tantáq; ſubtilitate argumentorū artes ipſas diſciplinaſq; oppugnarent, nō

ſtultè

ſtultè modò, ſed nec minus impiè quis factũ dicat, quàm ſi quiſpiam in Apolli nem vertat ſagittas, qui ſagittandi artem inueniſſet, & cęteros docuiſſet. Accuſaſti naturã, quòd ignorationis tenebras nobis circunfudit, nihil eſſe aſſerens, quod non in cõtentionem ambiguitatémq; deducatur, & tanquam admonens quid faciendum fuerit, dicis oportuiſſe veritatem nudam ante oculos omnium conſtitui. Nunc, vt ait Democritus, natura veritatem in profundum demerſit: quod ſi ita verè factum eſſet Democrite, ne tum quidem male actum nobiſcũ: nam ſi veritas, vt corporis res, abdita ſub terris lateret, cuniculos ad eam egiſſemus, eruiſſemuſq; aliquãdo, quomodo etiam aurum eruimus. Sed hoc ipſum tamen de auro nos admonet, quòd natura pretioſa quęq; cõſilio occuluit, tum ne in promptu poſita vileſcerent, tum vt homines in his inueſtigandis & reperiendis ingenium, induſtriam, diligentiam excercerẽt. Non enim vita deſidiæ torporíſq; plena placebat, veritate nihil pretioſius: ideo laborãdum magis, vt eam, quàm vt aurum adipiſcamur. Vides quot & quanta ingenia ſe cõmouerint olim, vt illam perciperent: nec nunc etiam ceſſatur, ſemper nouos habet illa diſcipulos, ſemper vult eſſe nos ſui ſtudioſos: metus hic, qui aſſiduè impendet, ne pro uero vana aliqua ludat imago, veritatis ipſius amorem nõ ſinit langueſcere, ſed acutiorem facit, tum verò exuſcitat ingenij vigilantiam, tanquam cum falſitate bellum continenter geratur. Quamobrem non eſt, quòd naturã accuſemus, quòd veritatem non ſtatim protulerit, ſed in finitimo multa poſuerit, quæ pro vero fallerent: hoc enim factũ eſt, vt excitaretur induſtria noſtra, ne humanũ pectus nimis ſecurè, ne dicam ſupinè, iaceret. Ergo acuenda mentis acies, circunſcipiendum vndiq; huc illuc progrediendum, & cum his argumentis, modò cum aliis luctandũ: nunc confirmanda noſtra, & ab oppugnationibus aduerſariorũ defendenda: demum vbi ad exitum ventũ eſt, dulce eſt inueniſſe aliquid veri & tenuiſſe inter multorũ inſidias, & minitantia tela, & eò dulcius, quò duriorem impendimus laborem: quia perueſtigata res abſtruſiores habet cauſas, propter quod admirabilior videbatur: nã maior tunc incũbit certatio, & multa vtrinq; acuta proferri poſſunt, & iucũda eſt dicentis opera, non ſolum vbi vera aſtruit, ſed quando etiã falſa refellit. Fac nunc aliquem enuntiare nobis veritatem cuiuſdã rei nudam, nudíſq; verbis, nam talem optabas videre: quis noſtrum cõmoueatur vehemẽtius? atq; haud ſcio an id etiam ingratum futurũ ſit. At vbi ſententiæ plurium recenſentur ſe ipſas oppugnantium, argumentorúmq; ipſorũ veluti contrariæ acies explicantur, pugnatúrq; acriter & repugnatur, & vbi prorepſit aliquod lepidè & argutè, quod oſtendebat ſe pro vero, nóſq; falſam illi perſonam non minus feſtiuè detrahimus, oſtẽdimúſq; quale id ipſum ſit, quod fallere nitebatur, tunc auditorũ animos tenet oratio, tanquam admirabilis, & iucunda delectat. Quamobrem vbi in iuuenum grege proponitur aliquid diſſerendũ animi cauſa, ſi cõtradicturus ſit nemo, quia res forſitan non præbeat contentionis anſam, tamen ſubornatur aliquis e cętu, qui vel ioco cõtrarias partes ſuſcipiat, eáſq; tueatur pro viribus: ſic ad certamen deſcenditur, in cuius exitu animis occupatis ad multã ſæpe noctem vigilamus: remotis autẽ his verborũ contentionibus & partium ſtudijs incumbendum fuiſſet ſomno, vel quod eſt turpius, lagenæ. Venuſtum illud Cœlij oratoris, qui quũ clientem epulo excepiſſet, ille autem in omnibus ſermonem eius ſequeretur, tandem diutinæ illius aſſentationis pertæſus Cœlius, dic quan-

dic quandoq; (inquit) aliquid contra, vt duo eſſe videamur. Sed quid iſta tam multis narro? inſpice ſummatim ludos ipſos, qui animorum relaxandorum gratia inſtituti ſunt: hi nempe in pugna & contentione verſantur, in qua alter alterum ſuperare nititur, vt eſt videre in alea, pila, diſco, curſu, palęſtra, & reliquis talibus. Ergo cõtendere habent ludorum amatores, qui adeo abſq; cõtentione arbitrantur luſum iacere, vt cunctantem irritent aduerſariũ. Atq; hæc ij faciunt, qui voluptatem tantũmodo aucupantur. At quibus veritas eſt cordi, ipſius veritatis gratia eadem agunt, quia eius maximè intereſt aduerſarium habere. Nam quemadmodum album inter fuſca multa magis apparet, & igneus fulgor inter tenebras manifeſtior videtur, ſic melius ſe prodit & certiorem ſui fidem facit veritas, ſi cum falſitate contendat. Hoc vel ipſi legum latores viderunt, & in ciuilibus cauſis ſeruandum mandarunt, quia non accuſatores tantùm, aut reos tantùm, ſed vtroſq; pariter audiendos iudicibus tradiderunt, cenſentes iudices percipere verum neutiquam poſſe, niſi contrarias orationes audirent, & quaſi veritatem cum falſitate pugnantem viderent. Vnum eſſe mundum ſtatuebant veteres, poſt quos fabricauit Leucippus infinitos, ſequutiq; ſunt plures: tunc mundum vnicum eſſe & ſingularem firmius teneri cœptum, poſtquam apparuerunt contrariarum partium defenſores: nam confutatio rationum illarum, tanquam falſarum, veritatem magis corroborauit. Eodem modo quum inane illi ponerent, vicit eorum ſententia, qui omne eſſe plenum, nihil vacuum in mundo, nihil ocioſum aſſererent, quia hæc pars viſa firmior cognita imbecillitate contrariarum rationum. Hoc conſiderantes nõnulli philoſophi non ſimpliciter aliquid proſequebantur, ſed aſſiduè oratione, quid pro vtraq; parte dici poſſet, exprimebant: quia aliter verum inueniri poſſe diffiderent. Illud etiam animaduertere licet, quòd non quies, ſed motus, agitatio, pugna claritatem facit, & ſermones cõmouet. Vnde Argiuæ Helenæ pulchritudo celebris reddita, niſi ex Aſiæ & Europæ contentione? At tenuis fuit illa pulchritudo. Quid? pręfulgida virtutis pulchritudo quando magis innotuit, & per ora hominum cœpit volitare? nonne poſtquam oppoſuit virtuti voluptatem Epicurus, Ariſtippus, & plærique alij. Non poſſum dicere virtutis ſplendorem nõ antea celebrem, ſed non tanta erat celebritas, quanta poſtea contigit, multorum literis, ſtudijs, ſermonibus, pro eius dignitate aduerſus voluptatis illecebras prælíantibus. Non igitur ingratus ero aduerſus naturã, quæ ambiguitatem propoſuit in rebus: propoſuit enim non vt ea vinceret, ſed vinceretur: voluit in hoc ambiguitatis campo ingenia hominum equitare, nec nõ collatione contrariarum cauſarum veritatem magis illuſtrari atq; celebrari. At te illud commouet, quòd multa, quæ prioribus ſeculis recepta fuerunt, poſterioribus ſunt poſtea improbata: dubitas ſcilicet ne poſtmodũ nouæ exoriantur opiniones, quæ has falſas oſtendant: quam dubitationem ſanè eximere tibi id poteſt, quòd infinito tempore, maximis ſtudiis, a clariſſimis quibuſq; ingeniis multa iam tractata diſputatáq; ſunt, vt videatur cognitio naturalium rerum poſtremam manum ſuſcepiſſe, & ad apicem perueniſſe. Quemadmodum enim in vulgi eſt ore, quòd nemo naſcitur magiſter, ſic videor poſſe dicere, quòd nulla vnquam artium nata eſt magiſtra: omnes nanq; artes ab initio ruditer & incõpoſitè proceſſerunt: expolitæ ſunt poſtea, & diligentius elaboratæ venientibus ſeculis

ribus,qui veluti per ſucceſſionem a primis quibuſq; ſuſceperunt, adijcere, & coaptare conſequentia,& commutare præterea,ſi qua minus recte poſita vide bantur. Illud etiam in illis veteribus magno æſtimandum,quòd periculo ſuo id opus aggreſſi: periculum autem erat non leue, ne fruſtra ſeipſos & tempus contererent, ſi nihil inueniſſent. Hæc conſiderantem non oportebat te inſectari acrius nonnullos e vetuſtis ſapientibus, quia in quibuſdam lapſi eſſent, ſed potius commendare, quòd poſteros ſui exemplo incitarint ad iſta inueſtiganda,& quòd ipſi priores,quicquid habuerunt de re dicere, in medium attulerunt: vt enim verum non inuenerint, inueniendi tamen ſtudium laudabile fuit, probariq; debet, quòd præſtiterunt, quantum in ipſis fuit, ne communi vtilitati deeſſent: non enim opinor ſubiiceres eculeo philoſophum, quia verum contineat, & ſciens mentiatur. Eſſet autem ridiculum factum, ſi tyrannico quiſpiam iure quæreret fidiculis & per tormenta de philoſopho, vtrum terra media pendeat, an in ſuiſmet iaceat fundamentis, vel num inane ſit in omni mundo: quanuis ipſe philoſophus tunc (vt opinor) ridentibus cæteris non rideret. Sed ais diſſentire inter ſe philoſophos ſæpius, nec poſſe de ſapientum opinione iudicare te, qui inſipiens ſis: quod concedo, dum inſipiens adhuc es, non ſi progredi in arte cogitas, & ſapientiam adipiſci. Homo nanq; ad ſapientiam duplici fretus eſt potentia, vna, qua homo natus eſt, quia humanum genus ſit tale, vt percipiendæ ſapientiæ ſit idoneum: altera, qua iam ſapiens effectus poteſt vti ſapientia, quum voluerit, niſi forſitan externum aliquod impediat. Tu igitur ſi in primo es potentiæ huius gradu, atq; ita inſipiens es, habilis tamen ad ſapientiam, ſupereſt vt in ſecundo conſtituas te gradu, vt quando velis vti poſſis ſapientia, & ita commuteris per diſciplinam,& in contrarium vertaris habitum, & ex inſipiente ſapiens reddaris: nam ipſi etiam philoſophi veteres non ſunt nati caſu ſapientes, nec fortuitò in ſapientiam inciderunt, ſicuti nonnulli quandoq; in theſaurum: ſed meditando, perſcrutando, legendo, audiendo ſcientiam acquiſiuerunt, & poſtmodum ſuffragiis populorum ſapientes vocati. Idem tibi faciendum, ſi ſapientiam non habes, vt eam adipiſcaris; ſin autem conſtitutus in altero potentiæ gradu iam ſapientiam adeptus es, ita vt pro arbitrio ea vti poſſis, nemo tibi iam conſulet aliud, niſi vt ex ocio & vacuitate quadam agendi transferas te ad agendum & ſapientia ipſa vtaris. Quo in negocio ſi cogitando melius aliquid inueneris, quàm ſuperiores, licebit tibi, vt ſapientum collegę, ſententiam tuam oſtendere,& pro viribus tueri, in hoc enim ſcholæ inſtitutę videntur, vt compertius illic ſemper aliquid afferatur. Quòd ſi nihil eiuſmodi inueneris, aliorũ ſequeris placita, non omnium tamen, ſed eorũ, qui certiora dixerunt: non enim ſi mirificæ ſunt inter philoſophos digladiationes, & demum nihil ferè conuenire queat inter hos ſapientiæ auctores, de quo nõ eorum armis vtranq; in partem diſceptari poſſit, ieccirco æqualem omnia recipiũt probationem, ſed quæcunq; vera ſunt, & natura præualent, multò aptius concluduntur, & facilius ſuadentur. Incendimur (mihi crede) & quodammodo natura protrahimur ad naturalium rerum cognitionem: ideo multi ea tractare aggreſſi ſunt, quorum quũ nemo fuerit, quin illa tractando profecerit, & verum in aliqua parte non viderit, id indicat de veritate non eſſe deſperandũ. Quòd verò errores in nõnullis numerari poſſunt, & interceſſerint contentiones inter ſe eruditorũ virorum,

admonemur, ne contemptim, & oſcitanter, & curſim negocium tangamus, ſed adhibeamus diligentiã omnem, curã, & induſtriã, & remis, veliſq; (vt fertur) eo incumbamus: non enim vile quid quæritur, ſed naturæ ipſius vis, cõſilium, opes, copiæ, potẽtia, maieſtas, beneficentia demum & liberalitas indagantur. Nec inueſtigandi ratio omnis ſublata eſt, ſed quædam permanet, cui rectè inſiſtere valemus. Nã ſi quis rectè inueſtigare ſciat, a notioribus procedet ad minus nota. Notiora autẽ voco, quæ ſtatim primo occurſu vel ſenſibus vel intelligentię apparent, ita vt in illis omnes conſentiant, niſi ſi qui perdito ingenio & amentes ſint. Ex his licet deinceps ad reliqua ſermonẽ protrahere, vt hæc per illa innoteſcant. Nam quod nõ ſtatim mente aut ſenſibus cernitur, id cõtrouerſum eſt, & demonſtratione eget, quæ ſumenda eſt ab his, quę facillima ſunt cognitu, & naturalibus iudicijs oſtendũtur. Veluti ſi probare voluero animam hominis eſſe immortalem, id primũ aſſumam mortem nihil aliud eſſe, quã diſtractionem partiũ earũ, quę ex his quatuor elementis cõponuntur, quũ aliud eorũ alio diſcedat: hoc in confeſſo eſt omnibus. Deinde ſubijciã animã noſtrã, qua ratiocinamur & intelligimus, non eſſe ex illis cõpoſitam: nihil enim terrenum, aqueum, aërium, igneũ continet tantã vim intelligendi & ſciendi, quantam illic cernimus. Si nõ eſt cõpoſita ex elementis, nullã aliunde cõpoſitionem accepit. Vnde hoc enim? Ergo quũ ſimplex ſit animæ natura & vniformis, ſequitur, vt effugiat mortem, quã ex partium diſſipatione cõſtare diximus. His gradibus fit fides & perſuaſio, quũ ex euidenter notis ad dubia peruenitur: nõ autẽ obſcuris (vt dicebas) obſcura declarantur. Quòd ſi nulla euidenter nota eſſe dicimus, impudenter perſpicuitatem e rebus abducimus: ſimul & artes omnes tollimus: nullã enim artẽ a principijs incertis & controuerſis proficiſci conuenit, ſed ea ſolida & ſtabilia, & inconcuſſa ponũtur. ſic (vt de alijs artibus taceam) Iuris ciuilis principia certa & indubitata ſunt, & quę naturali rationi reſpondeant. Quæ nã hæc? Honeſte viuere. Alterũ non lædere. Ius ſuũ cuiq; tribuere. De his principijs dubitauerit nemo, quin vera ſint, & rectè fuerint cõſtituta. Itaq; quæcunq; legibus ſtatuuntur, ad principia iſta naturæ referri debent: ſin aliter quandoq; fiat, non illud iuris inſtitutũ fuit, ſed libidinis. Quid? quòd coniectura, plurima nituntur, & negas veriſimilibus ſignis rem diffiniri oportere, quia fallere poſſunt? quod equidem concedo, vbi vnum tantummodo, aut alterum ſignum colligitur, idq; tenue, infirmum, obſcurũ, non ſi plura eodẽ faciant rem tangentia, ac ſibi ipſis inuicem chori inſtar concinnentia: quẽadmodũ dictũ eſt a te de eo, qui cædẽ feciſſe arguitur, propterea quòd in loco viſus ſit, vbi cædes facta, & auarus ſit, & de morte illius magnũ emolumentum ad eũ peruenit: iſtis ſignis non putas dãnandum eſſe, vt homicidam. rectè: ſed adde eodem, quòd ſemper audax, quòd perditæ vitæ, quòd mortui inimicus, quòd minatus ſæpe mortẽ, quòd in loco cędis viſus ſolus, & illinc pallens, tremẽſq; aufugiſſe, cũ telo etiam cruento, quòd poſtridie de occiſione illius titubanter & incõſtanter loquutus. Hæc nõ ſuſpitioſam iam rem faciunt, ſed perſpicuam: nec credi poteſt, quòd tot & tanta argumenta ad maleficiũ ſpectantia caſu concurrant. Idem puta in naturalium rerum inquiſitione: nam illic quoq; vero conſentiunt omnia, tam quæ in ipſa re ſunt, quã quæ præcedunt & ſubſequuntur: falſitas autem diſſonum ſemper quidquam trahit, ineptũ, & abſurdum, & tamen tanquã nulla adſit vis ingenijs noſtris ad res aſſequẽdas, ais

neminem in cœlum ſubuolaſſe, vt potuerit renuntiare cæteris, quæ illic fiant.
Non dubito, quin etiam exiſtimes, ſi quiſpiam Caucaſum, vel Olympum, aut
quemlibet alium altiſſimũ conſcenderet montem, poſſe melius indagare cœle
ſtia, quàm ſi in depreſſa ſubſtiterit conualle: cœlo enim tunc vicinior: ſic aues
melius aëra, per quem feruntur, melius nubium tractus, ad quos propius acce
dunt, tenerent: Aquila omniũ optimè ſolem noſſet, quòd aduerſus eius radios
ſola, oculos figit. Sed non modo beſtiarum vlla, ſed ne homo quiſquã ob loci
altitudinem ſapientior factus: tales enim ſpeculæ cœlum forſitan magis cæru-
leum, & aſtra paulò maiora, & ſolem citius e nocte emergentẽ oſtendent, & ad
hæc inſpiciẽda quilibet idoneus. Sed ſiderum & orbium motum, & cœli iter,
& vtrum animata ſint, vel inanima illa tot ardentia cœli ſigna, & quis ea cõpe-
gerit, & quando, quibúſue rationibus, num exiſtimas id quemlibet verè nobis
oſtendere poſſe, etiã ſi propius inſpexerit? nimis tribuis nunc ſenſibus hæc exi
ſtimans, quum tamen de illorꝫ fallacia poſtmodum cõquideraris, & tamen par-
ua adhuc quædã per illos percipimus, quando ſunt maximè veraces, puta figu
ram rerum, colorem, ſitum: quid autẽ vnũ quodq; ſit ratio nobis tradit, cuius
pennis altiſſima quæq; penetramus. Ludebas igitur, dum illã proponeres ſimi-
litudinem, Eſt quidam, qui dum ad magnam nobilémq; acceſſiſſet ciuitatẽ, &
ad portas eſſet, & ingredi cuperet, repulſus, nec intromiſſus, contemplatus tan
tùm mœnia & ſitum vrbis narrabat nihilominus ad ſuos reuerſus, quæ intra
illam fierent, de habitu moribúſq; ciuium, de legibus, de ædificijs, & aliis, tan-
quam ſi vidiſſet, impudens videtur. Sed quid habet iſte ſimile philoſophis ea
tractantibus, quæ tum ſenſuũ teſtimonio, tum firmis rationibus, validiſq; ex-
perimentis vera eſſe cognouerunt? Solem hunc nemo tetigit manibus, nec tan-
get: attamen eius magnitudinem dimenſi ſunt, nec ſolis modò, ſed reliquorũ
ſiderum, & eorũ orbium, circum quos voluuntur, nec dici poteſt temere id il-
los facere, quod tanta faciunt ſubtilitate, támq; perſpicuis demõſtrationibus,
vt pudor ſit erudito viro diffiteri. Nam terram ponunt ſumma ratione ad vni
uerſi cœli complexum, vt centrum, quod medium tenet in rotundo locũ, pun-
cti inſtar: hanc autem dimenſi facile deinceps potuerunt magnitudinem totius
circuitus reliquarúmq; eius partiũ reſpõdentem proportione centro deſcribe-
re. Traditum eſt Anaxagoram Clazomenium prædixiſſe, quibus diebus de
ſolis orbe lapis decideret, ídq; factum memoratur interdiu in Thraciæ quadã
parte: & tamẽ id ſcire potuit etiã ſi ſolem ipſum nunquã intrarit. Eſt profectò
diuinum quiddam in nobis, quod ſupra hanc terrenam caliginem, in qua volu
tamur, efferẽs ſe, multúmq; ſibi permittens, in ardua quæq; & inacceſſa cogni
tione intelligentiáq; penetrat. Quã multò antea defectus illi lunæ & ſolis no-
bis præfantur, ídq; tutiſſimè, nullo errore diei, aut horæ? quod ſatis indicat rẽ
teneri. De muſico cantu, quem cœleſtium orbium conficit inter ſe conuerſio,
aliquid etiã protulerunt, quãuis non percipiatur auribus: addita etiam cauſa,
cur ſenſum audiendi lateret. Sed quid admirabilius, quàm quòd Dæmones
eſſe quoſdam aërios deprehenderunt? rem (vt ita dicã) euanidam, & inanem,
ſi ſenſibus metiamur: hinc habentes illos ſæpius proximos, nõ cernimus, ac ne
alio quidem vllo corporis ſenſu percipimus. Attamen ne id quidem illorum
effugit ſolertiam, qui mihi oſtendiſſe videntur hominis tantũmodo corpus eſſe
terrenum, animum verò, quo illa peruestigabant, cœleſtem, atq; diuinum. Iam

verò hæc inferiora melius pernoſcere potuerunt, in quibus tantũ abeſt, vt ſenſi bus vtantur ducibus, vt multa contra eorũ fidem aſtruant, ad quæ tamen illos ratio firma conſtánſq; perduxit, veluti hoc, Terrã omnem eſſe globoſam pilę inſtar, quod ſi ad oculos referas, mirabile ſit in tanta montium altitudine, & vallium humilitate: ſed hanc inæqualitatem nullam eſſe portionem totius rotunditatis collegerunt. Iam verò in hoc globo & orbe, vt vocamus, terrarum circunfundi vndiq; homines docuerunt conuerſis inter ſe veſtigijs, quod ineruditis ſuaderi vix poteſt, quærentibus cur nõ decidant illi, qui ſubtus nos ſunt, tanquam capite deorſum pendeant. Attamen oſtendit ratio nullũ illis eſſe caſum metuendũ, nec magis pendere illos, quàm nos, cœlo vndiq; circunfuſo. Præter hæc quàm ſubtiliter? quàm perſpicuè oſtendunt terram ipſam medio mundi locatam, & aëre vndiq; circundatã permanere immobilem, æqualitate ponderum libratam? Oceanum præterea ipſum includere tellurem nõ decidentibus extremis aquis, quoniã ad centrũ cõuergant, & rapiantur ad mediũ, ideo per ſe ſubſiſtant nullo muro vallatæ? Hæc & alia multa oſtendũtur ingenioſe & eruditè, quæ ſi quis audiat remotis rationibus, fidem nõ adhibeat: mox illis auditis, ſi docili fuerit ingenio nõ fabulas, vt antea, & ſomnia cenſebit eſſe, ſed oracula, & tam firmiter credet, quàm antea non credebat. Nec abſurdum debet videri, ſi quum multa credibilia ſint falſa, nonnulla incredibilia ſint vera: quocirca hæc vulgo ignota eſſe dicenti tibi non aſſentior modò, ſed addo etiam incredibilia: nec verò vt dij inter homines habiti horũ inuentores, ſi cuilibet aperta & expoſita fuiſſent. Fateor eam eſſe humani ingenij vim, atq; præſtantiam, vt audientes multi quæ efficiat, poëticum ſibi aliquod & fabuloſum narrari credant: quin ipſum philoſophum Ariſtoteles dixit fabularũ eſſe amatorem, eò quòd fabulæ ex mirandis conficiantur. Hanc tu tantam humani ingenij præſtantiam non diffiteris in plæriſq;, quin potius ſuſpectam habes. Dixiſti enim verendum eſſe, ne quis vafer vir & callidus ingenio, idémq; ſermonum artifex fictum aliquod obtrudat pro vero; conquereris quod capi a tali poſſumus. Recta querela, ſi nulla eſſet cautio, vel ſi qua eſſet, adhiberi nefas haberetur. Ego vt antea ſæpe, ita nunc quoq; euigilandũ eſſe dico, & agendum, vt prudentia malitiam vincat: nam quemadmodũ neminem decipere, iuſtitiæ: ſic a nullo decipi, prudentiæ eſt: nec minus hoc, quàm illud præcipitur. multi conantur ſolerti artificio elaboratum vitrũ pro gemma obtrudere: ſi tu tamen, cui aliquid eſt aceti in pectore, emeres pretioſam illam gemmam, non prius dares pretiũ, quàm bene & diligenter, ante retróq;, & ab omni latere ſpectaſſes, hanc fidis quoq; artificibus ſpectandam permitteres, omni deniq; ratione tentares, ne qua ſubeſſet captio. Idem in diſciplinis effice, ne capiaris: nõ enim dicimus ſine iudicio debere eſſe ſapientiæ ſtudioſum: nec irrationabile animal idoneum facimus philoſophiæ: ſi quis autem diligentiam mentíſq; lumen adhibeat, intelligit tantum veritatis eſſe robur, vt nullo humano ingenio nulla dicendi facultate valeat ſuperari. Nõ enim alia ratione ſummi oratores, ſunt quãdoq; a mediocriter dicentibus deiecti, niſi ipſius veritatis vi, quæ ſimplex atq; nuda apparuit luculentior, quàm comptum expolitúmq; mendaciũ. Poteſt tamen callidum, ſolers, acutum ingenium, adhibito dicendi vſu, ſtultitiam quorundã capere, vt contra veritatem pugnans verè dicere videatur: prudentibus autem viris videbitur ſuſpitioſè & cauillatoriè dicere, quos facilius

poterit

poterit oblectare, quàm decipere. Quanquam Carneadem Academicũ mihi narras, de quo non idem ſentio, quod tu: hunc enim ego arbitror viuentẽ paucos ſuaſiſſe, a plurimis tamen cũ voluptate auditum: hoc autẽ ex eo conijcio, quoniam eorũ, quæ defendebat, nihil ſponte ſua honeſtum, nihil turpe: ius non natura, ſed opinionibus & inſtitutis conſtare, nullos eſſe Deos, nõ oracula, nõ diuinationem inter homines verſari, & cæterarum talium ſententiarũ ſatis ſuperq; abſurdarũ, non habuit ſucceſſores, qui ſequerentur, diſciplináq; eius de omnibus ambigendi, & nihil certum efferendi, a poſterioribus relicta. Huius ingenij monumenta eloquentię lumine fulſiſſe credibile (ita enim traditũ eſt) attamen quoniã nunc non extant, de tanta illa dicendi facultate ex propinquo iudicare non poſſumus, & niſi poſteriores hominis meminiſſent, hunc vt alios multos vetuſtas obruiſſet. Hoc autem intelligi volo difficile eſſe prudẽtibus viris verba dare populo autem facillimum: illi enim circunſpiciunt vndiq; in rebus obſcurioribus, nec niſi adhibita multa rei conſideratione pronuntiant: ſed populus ſequitur quodcũq; probabilitatis habet faciem, & primo aſpectu occurrit: & quemadmodũ multa ignorat, quæ ratione comperta ſunt, ſic e diuerſo multa putat ſe noſſe, quæ non nouit. quale illud id, quod a te quoq; allatum eſt, in quo ipſe itidem fallebare, de leui, atq; graui: nã quid ſit leue vel graue exiſtimat ſe cognoſcere vel manu tractando vel ponderando: at hoc modo quid ſit leue & graue: alterum, ideſt quid aliud alio leuius aut grauius, perpendi poteſt, non autem quid in ſe ipſo ſit tale, cauſas præterea leuitatis & grauitatis ignorat: nam de magnitudine & paruitate corporeæ molis leue & graue determinat: res autem aliter ſe habet, nã maior ignis ſurſum celerius fertur, quã paruus: ſic & aër, vbi plurimus, illic velocius aſcendit: lignum inſuper librarũ centum leuius erit plumbo vnius libræ in aqua, quũ in aëre ſit grauius: abſurdum porrò eſt eandem rem alij comparatam, nunc grauiorem, nũc leuiorem videri. Ex his perſpicuũ eſt, quòd vulgus rationem leuitatis & grauitatis ineptè tenet. Similiter ſcire ſe exiſtimat, quid ſurſum ſit, quid deorſum, & tamen quid conſtituat differentiam horum duorum locorũ, vt alius ſupra, alius infra eſſe dicatur, nemo tibi explicabit. Sed populum iam cum bona venia dimittamus, & ad philoſophos redeamus, qui ſi nulli fuiſſent, hoc tam præclarũ naturæ artificium nos lateret, nihil naturalium rerum ſciremus: ſiquidem ſcire dicimur ea, quorũ cauſas tenemus, cauſæ autem quatuor numero, A quo fiat, Ex quo, Quomodo, Propter quid: prima reſpicit artificem, ſecunda materiam, tertia formam, quarta finem. Has cauſas illi perſequuti ſunt diligenter: & quãuis in plurimis diſſentiant, tamen ipſorum deſſenſio viam ſternit veritati, quæ tum maximè prodit ſe ipſam, vbi contraria audiuntur, & iudicantur. Inuenire difficile, inuenta iudicare haud difficile ſit erudito viro: quòd ſi aliquis id putat difficile, at illud facile, videre quò plurium ferantur ſententiæ, & id ſectari: non enim id fortuitò accidere putandum, ſed veritatis illic aſſiſtere ſplendorẽ, qui ad ſe omnium ferè rapiat mentes, eáſq; detineat: hac enim ratione diſciplinæ conſtitutæ confluentibus multorũ ingenijs & ſtudiis in vnam penè ſententiam, fractis atq; reiectis opinionibus paucorum, qui cõtraria docere nitebantur. At opus (inquis) pluribus diſciplinis, vt hæc vna naturalium rerũ aprehendatur. Quid tum? quia vigilandum eſt valde & laborandum. Hoc te igitur deterret? an non noueras nihil gratis acquiri? nunquam mihi viſus deſes:

nunc ita loqueris, quaſi id ames, quod nunquam fuiſti. Enimuero neceſſe video, vt qui rem quampiam non habet, ſi habere cupit, confugiat ad trium horum aliquid, vel roget habentem, vel importunè flagitet, vel violenter rapiat. Eſt autem lex non ab homine lata, ſed a maiore quadam poteſtate cum multis aliis in rebus, tum de ſcientiis, vt is, qui rogat, parum aſſequatur: qui importunè flagitat, multum ferat: qui violenter rapit, plurimum ditetur, Subiicit eadē lex ambiguum diſcutens ſermonem, quòd vulgaris diligētia rogat, mediocris importunè flagitat, ſumma, violenter rapit. Quamobrem ſi ſcientia rerū, Dionyſi, ditari volumus, ſummis & violentis vtendum laboribus, & quod amatur, veluti impreſſione facta, rapiendum: nulla lex hanc vim prohibet: quin lex ea, de qua modò dixi, & quam a Deo profectam puto, adhortatur, quoniam ſine alicuius iniuria, magno raptoris commodo, hæc rapina procedit. Mercatores, agricolæ, venatores quos perferunt labores? quantas exorbent moleſtias? imo quàm immenſa ſubeunt diſcrimina, vt ad concupita perueniant. Nos verò delicias cogitamus, qui pulchriora concupiſcimus? atqui turpe erat non plus adhibere nos ſtudij in adipiſcenda ſapientia, quàm illi in colligendis pecuniis, & perſequendis voluptatibus: quantò turpius ne tantundem quidem præſtare? preſertim quū in illis nimia animi inductio vituperetur, in iſtis tantùm abeſt, vt nimia diligentia fraudi eſſe debeat, vt ne vlla quidē ſatis eſſe poſſit. Itaq; nō me conturbat illa tua veriſimilitudo, per quā aſtruis capi homines ſolere, quoniam adhibenda cura eſt, ne ſimilitudine aliqua, quāuis probabili & arguta capiamur, idq; magni & præſtantis viri. Plures autem viæ traditæ ſunt a maioribus deprehendendi ſimilitudines falſas: ſed illa pręcipua, quæ in diuidendo cōſiſtit: nam quicunq; rectè diuidere norit, aſcendendo a ſingularibus ad ipſa rerum genera gradatim, vel cōtrario modo ab ipſis generibus deſcendendo ad vltima vſq; indiuidua, ſecernendo ſemper vna ab alteris, donec id, quod quæritur, purum, & ſolum, & ab omni alterius cōmunione ſegregatum relinquatur, is omnem captionem euadet, & vnum pro alio ſe illi fruſtra offerre conabitur. Hunc duplicem partiendi modum in idem tendentem miris laudibus effert Plato, & in omni diſputatione adhiberi dixit oportere, nec dixit modò, ſed ipſe quoq; in Philebo, Sophiſta, Politico, Phędro, & in libris de republica, & aliјs locis fecit pluribus, exempliſq; nos ſuis inſtruxit: facilis doctrina quomodo id fieri poſſit, ſed vt fiat, exercitatione opus eſt nō parua. Hæc igitur aſſumenda nobis exercitatio, & inſueſcendum procedere ſecundum ſectionem ſingulorū generum in proprias differentias, vt ſimilitudines diſſimilitudineſq; rerum agnoſcamus, & deceptionem euitemus, quæ plæriſq; cōtingit, dum vel diuidere negligunt, vel non norunt, exceſſu, vel defectu in generibus enumerandis. Quidam enim in primis, & ſupremis manent generibus, alij diuidūt vſq; ad aliquid, nec vſq; ad finem perueniunt, nonnulli etiam vitioſis vtuntur diuiſionibus: quamobrem, nec genera rerum, nec differētias, nec proprietates nouerunt: ex quo efficitur, vt vbi plura in finitimo ſint poſita, aliud pro alio ſuſcipiant. Ille autē, qui rectè vtitur hac diuidendi facultate, quatuor, vel quinq; (exempli gratia) intelligit eſſe finitima, nec poſſe plura his, nec pauciora eſſe, & in quo conſonent differántue perpendit, atq; ita nullo errore, quodcunq; in diſceptatione verſatur, explicat. Hæc magni laboris eſſe non ambigitur, qui tamen leuior videbitur, vbi veritatis inſano amore (vt par eſt) flagrauerimus.

Et vide nihilominus, quò deſcēdam, quum omnem curam, diligentiam, induſtriam adhibueris, quum pluribus & grauioribus quibuſq; inſtruxeris te diſciplinis, quum plurima videris, legeris, audieris, plurimo tempore, acerrimo ingenio, maximo ſtudio, quum omnia feceris, adhuc in nonnullis errabis, quia Platonem & Ariſtotelem huius ſcientiæ ſummos duces in aliqua parte erraſſe & tu dixiſti, & ego etiam te non dicente ſcire poteram: homines illi etiam fuerunt, id noueram. Quin, vt iam apertè tecum agam, quemadmodum amicū decet, fateor in multis adhuc nos hærere, multa etiam nos latere. Cogita latitudinem orbis immenſitatémq; naturę: cogita quoruncunq; inanimorum animatorúmq; infinitam multitudinem, tantam artium varietatē, quibus poſterior quæq; ætas ſemper adiecit plurimum, & adijciet, tum demū intelliges, quàm vaſtū pelagus rerū, quámq; anguſta ſit noſtra cognitio. Tu omnia ſidera, animantia, herbas, virgulta, flores, lapides, marmora noueris? & magis intrans horum naturam, vim, proprietatem expones? quū te dico, curioſum inquiſitorem dico: tu enim peregrinationibus (vt ais) nō delectaris, ob eámq; cauſam tranſmigrationem illam animarum de aliis in alia corpora a Pythagora inductam minimè approbas. Sed quis eſt tā curioſus inquiſitor, qui inuenerit quęcunq; in omnibus oris & littoribus exiſtunt. Nuper ſummi quidam & excelſi viri, ab Hiſpaniæ Regibus miſſi, vetus referentes exemplū luſtrandi orbis, per inacceſſum olim Oceanum nauigijs inuecti, vrbes, agros, littora, inſulas, nationes deniq; innumeras ſub alio cœli axe poſita nobis aperuerunt, quas nullę antea literæ, nulla vox, nulla fama notas fecerat: nouas hominum formas, nouos ritus, noua rerum genera viderunt, pluráq; ex illis domū retulerunt, non ſine compendio atq; quæſtu. Sed gloriantes ſæpe audias, ſe nouū orbem ſeculi ſui hominibus oſtendiſſe: Alexandrum magnum deſpiciunt, qui terreſtri itinere primos Indos ingreſſus pedem retulit ratus præter eos nihil eſſe: ipſi autem in huius ipſius Indiæ interiora claſſibus penetrarint. Quot verò ſubierint diſcrimina præliorum, tempeſtatum, locorū, beluarum, & quas gentes ſubiecerint ferro, quas amicitiæ iure comprehenderint, longū eſſet commemorare ad alia properanti. Illud quidem conſtat regiones nuper indagatas, ad quas frequenter nunc mercium cauſa commeatur, non minori incluſas eſſe ambitu, quàm Europa ſit tota. Ergo illa ignorauerunt innumerabilibus penè ſeculis quicūq; ſupra hanc ætatem fuerunt: nondum occupauerant illi orbem cognitione ſua, nec nos occupauimus: plura poſteris inueſtiganda relinquimus: non enim finem fecimus inueniendi: multa reſtant, & adhuc quibuſdam inuentis alia reſtabunt. Sed iam ad orbem veterem noſtrúmq; reuertamur. Quàm multa noua paulò ſuperior inuexit ætas? veluti bellicum illud inſtrumentū, quod pilas iaculatur ferreas, & a bombo, quod tum edit tonitrui inſtar, Bombardam vocant: ſed hic forſitan dicetur pernicioſum illud inuentum humano generi fuiſſe: quod an ita ſit inquirendum nunc non eſt, ideo nec illud obiici oportet: non enim quæritur, quod inuentum pernicioſum ſit, & quod vtile, ſed de nouis agitur inuentis: hoc autem nouum eſſe, palam eſt. Sed auerſantur quidam hoc inuentum: nec eſſe id putant, eo quòd melius lateret. Dabo igitur duo alia fœliciora, nulla conqueſtione digna: & in primis præſtantiſſimum hoc & vtiliſſimum inſtitutū imprimendi literas ęneis formulis, ex quo tam expeditè, & tam magno numero libri conficiūtur. Campanas item has æreas, quæ in ſummo tur-

mo tur-

mo turrium faſtigio poſitæ populos ipſarum ſono conuocant ad diuina. Hæc neceſſe eſt anterioribus cunctis ſeculis ignota fuiſſe: ſunt enim paulò ante inuenta, nec vlla horũ prius extant veſtigia & argumenta, nec ideo nos fœliciores antiquis puto, quia plura illi habuere ad vſum vitæ, quæ vetuſtate obliterata ſunt, nomine tantũ nunc cognita, plæraq; alia credibile eſt eos quoq; habuiſſe, quæ ne nomine quidem ſuperſunt. Deniq; effici non poteſt ingeniis inuentiſq; noſtris, quin poſtmodũ inuenienda neſciamus, quæ forſitan meliora fuerint & vtiliora, quàm ea, quibus nunc vtimur. Quemadmodum enim infinitis ſeculorum ſpatiis ante Cæſarem Dictatorem decurſis, ignorarunt illorum temporũ homines anni conſtitutionem, quam ille rectiſſimam poſterius induxit: ſic nos, qui nunc ſumus, ignoramus neceſſariò ea, quæ poſtmodũ ſequentibus ſeculis acutior aliquis, vel peritior, vel fortunatior inuenerit. Quamob rem non abſurdè Thales Mileſius tempori ſapientiam aſcripſit: nam interrogatus quid eſſet omnium ſapientiſſimũ, Tempus, inquit, quoniam & alia multa inuenit, & alia inueniet. Hæc & alia cogitans exiſtimo, ſi fieri poſſet concedente Deo, vt noſtrũ quiſpiam partes duas faceret, vnam ignorationis humanæ, alteram ſcientiæ, liceretq; vtraſq; in conſpectu poſitas metiri, vel ponderare, cogeretur tandem illud vetuſtiſſimum & vulgatiſſimũ proferre, maximã partem eorum, quæ ſcimus, minimam eſſe eorum, quæ ignoramus. Atq; haud ſcio, an idem accidat, quemadmodũ quũ proficiſcimur ad nũdinas, vel alium quendam magnum mercatum, quò infinita hominum confluit multitudo: nã illic ignoti plures, quàm noti occurrunt, atq; vt non ſuccenſemus tunc, quia nõ omnes nouerimus, ſic nec conuicior modò naturæ, quia in tanto cõfluentium rerum agmine támq; vario mũdi apparatu, aliorum obſcuram cognitionem, aliorum nullam eſſe voluerit: ſed gratias habeo, quòd quorundam reliquerit. Enimuero humani ingenii faſtus comprimendus fuit, qui nimis intumuiſſet, ſi perluſtrare cuncta, vímq; ſuam rerũ omniũ cauſis æquare potuiſſet. Nunc arrogantiam quorundam vix ferre poſſumus, qui pauca ſciunt: quid? ſi omnia tenerent? memini Gigantum prælium, turrem Babylonis: maius quid iſti molirentur: ordine igitur plurimarũ rerum ignoratio nobis relicta. Itaq; nihil eſt, quòd colligas cunctationes doctorum hominum, nec rixas diſſenſioneſq; philoſophorum: hæc enim tua ſunt iacula, quibus naturã inceſſis, tanquam in tenebris deſertus. Sed vbi pudor? nullum ne tibi beneficiũ collatum exiſtimas, quod ſcientiam aſſequutus es quorundam? mihi magnum videtur, ſcire hominem aliquid. at non omnia (inquis) ſcio. ideo pœnitet etiam eorũ quæ noſti? num vires dimenſus es tuas, vt ſcias te omnium cognitionem ferre poſſe? qui ſcis etiam an expediat te ſcire omnia? Nam quũ nunc paruus irruas in naturã, terruiſti, ne plura traderet, timuit contumaciam tuam, atq; ſuperbiam. Ergo quum infinita noſtram notitiam effugiant, non iam (opinor) mirabere, quòd multorũ, quæ fiunt, cauſas incognitas habemus. Quãquã de Echeneide tam paruulo piſce, quomodo nauem moretur turgidis euntem velis, Plutarchus explicet in conuiuialibus libris: & de magnete lapide, vnde ferrum ad ſe trahat, idem Plutarchus in platonicarum quæſtionum libello cauſam afferat, & antè illum Lucretius Epicureus poëta verſibus. De fulmine quoq;, quod liquefacit gladiũ integro illæſóq; inuolucro, cur id eueniat, Ariſtoteles in Meteoris oſtẽdit. Sed nihil opus eſt litibus: nulla ſit iſtorum & aliorum plurium penes nos

ratio:

ratio: voluit natura magna quædam peragendo occultiſſimis de cauſis vim nos eius admirari, ſuſpicere, venerari. Tacēdum eſt (inquis) in talibus. Minime vero, nemo eſt hic imperator ſilentij: loquere, ſi libet, vel potius exclama, O potentiam, o naturæ numen: video a piſciculo retineri nauem ventis in aduerſum impellentibus: video duriſſimam materiam ferri trahi a lapide tam inani: video fortiſſima leonem pectora trepidare ad Galli cantum: conſpicio in mari Polypum, in terra Chamæleontem, quibuſcūq; adiunxerint ſe rebus, earum colorem referre. Quis iam naturæ poteſtati modum imponat? quis nouit numerum tantæ prouidentiæ? Et talia quædā prædicare licet verè, nec minus verecundè: nec tamen illorum ignorantiam arripere debemus, veluti anſam ad deſidiam & cunctationem, ne perſequamur quæcunq; noſci potuerūt & poſſunt: non enim cōfundendá ſunt vna ignorationis nota omnia: nec tanquam inciderimus in mali poëtę librum, qui nihil habeat cognitione & oculis eruditis dignū, totum abiicere poëma, ſed videre & diſtinguere oportet, ſi quę ſunt, quæ inexplicabiles habent cauſas, ab his quæ humana prudentia poteſt rectiſſimè explorare, vt admiremur altera, altera cognitioni noſtræ ſubdamus: ſicut doctiſſimi veteres fecerunt, qui hoc iter priores ingreſſi, veſtigiis nos ſuis excitauerunt. Illi neq; ob cognita quædam ea, de quibus nondum compertum erat, aſtruebant: nec rurſus propter nonnullorum ignorationem cognitis fidem abrogabant. Inter cætera verò, quæ certa notione teneri poſſunt, illud pono, quòd quos populi olim & nationes colebāt pro Dijs, non eos fuiſſe Deos, ſed impuros Dæmones: nam, etſi magnam oſtenderent, vt dicebas, poteſtatem, nihilo tamen minus malitiam eorū perſpicuam faciebant, dum obſcænis ritibus, improbiſſimis ludis, turpiſſimis poëtarum carminibus gauderēt, dum humanis ſæpius hoſtijs ſibi immolari peterent: hoc dilucidè oſtendebat non eſſe bonos, ergo nec Deos: ſiquidem Deis bonitatem cōuenire putamus: homines autē non tam ad poteſtatem aduertere, quàm ad iuſtitiam debuerunt, quæ quum illis deeſſet, ſatis intelligi poterat, non eſſe illic diuinum, vbi improbitas regnaret. Hoc viderunt quoq; eorū philoſophi, ne a Chriſtianis tantùm putes detectam fraudem, qui dixerunt illos eſſe Dæmones, ideſt medio quodam gradu inter Deos & homines ſedere, & cum vtroq; genere habere quod dam cōmune, cum hominibus perturbationem affectuum, cum Dijs poteſtatem: & tamē quum hæc ſcirent, illis ſacra facienda arbitrabantur, ne irati nocerent, quod etiā illi magnopere expetebant. Et hoc magnum videri poterat argumentū fuiſſe illos amentes & perditos ſpiritus, dum ſibi cultum arrogarent ſoli, vero, & æterno Deo debitum. Et tu hic naturam potius accuſabis, quàm hominum inſaniam? qui quū ab his, quæ creata perſpexerant, aſcendiſſent, veluti quibuſdā gradibus, ad principem rerum omnium cauſam, hánc q; Deum eſſe intelligerent, eiúſq; prouidentia mūdana regi cuncta cognoſcerent, tamen hoc omiſſo illos potius colere voluerunt. Sed ecce exoritur aliud de ſenſibus: putabam illorū nomine contra naturam nihil obijci poſſe: fefellit opinio, nihil tutum eſt a calumnia. quid fiet homini inter homines, ſi natura rerum omniū parens, tot eximiis ornans hominem muneribus, effugere calumniantium ora non poteſt? Sed illuc redeo. Poſtulas nouos quoſdam alios & inauditos ſenſus: nam de his, quos nunc habes, non bene exiſtimas, quanuis integros incolumésq; habeas. Ego tamen quum conſidero, quòd per ipſos ſenſus videmus, audimus,

audimus, olfacimus, tangimus, guſtamus, ne dicere quidem habeo, qui iſtis optare quiſpiam ſibi poſſet meliora. Quòd ſi illorũ quopiam eſſemus orbati, magnum detrimentũ illatum putaremus, & rarus eſſet, qui non aduerſam deploraret fortunam. Ex quo colligi poteſt, quanta in vnoquoq; ſenſuum vtilitas ſit & iucunditas: non enim concedi poteſt, vt lugeat, qui amiſerit, tanquam magno bono fuerit ſpoliatus: contemnat, qui habeat, tanquã nihil habeat. Etenim ipſi ſenſus, præter id, quod officio exhibent vitæ in multis magniſq; rebus, meliorum cogitationum initia attulerunt, & (vt Plato inquit) per illos philoſophia maximum & vberrimũ Deorum munus introducta eſt. Illud quidem in promptu eſt, quòd natura non fruſtra illos dedit, nec fieri vllo remedio poteſt, vt corpore non egeamus. Neq; ſanè video, quomodo cognitio eripi poſſit ſenſibus: nam qui ſentit aliquid, patitur: & qui ſentit quod patitur, eam paſſionem profectò cognoſcit: ſenſibus igitur quandam ineſſe cognitionem fatendũ eſt, & ne tenuem quidem cognitionem, ſed magnam eſſe dicendum. Quem enim earũ rerum, quæ ſenſibus ſubiectæ ſunt, meliorem habere iudicem poſſumus, quàm ſenſus ipſos? nam ignem eſſe calidũ, aquam frigidam tactus clarè iudicat, vel nos ipſi potius iudicamus tactu renuntiante, nec quiſquam vnquam, qui ſani eſſet cordis, aliter dixit. Quòd ſi nõ tollimus ea, quæ ſtatim intelligentiæ nullo errore manifeſta ſunt, nulla eſt cauſa, cur non etiam relinquamus ea, quæ ſenſibus apertè patent: oportet autẽ relinquere principia ipſa cognitionum, vt in omni deinceps diſputandi & iudicandi ratione habeamus, vnde progrediendum ſit quóue reuertendum. Quamobrem ridiculè vel ſtultè potius veteres quidam, qui ſenſuum vim funditus repudiauerũt, nihil illis tribuentes: tribuendum equidem cenſeo, ſed videndum quatenus: nam non omnia aſſequi poſſunt, plura tamen aſſequũtur. Hæc vt mediocris eſt ſententia, ſic etiam vera, quæ non adimit ſenſibus quod poſſunt, nec concedit vltra quã poſſunt. Dicis mendoſos eſſe, & fallaces omnes, quia renuntiant ſæpe rem aliter, quàm ſe habeat. Quid tum? non enim veritatis iudiciũ natura ſenſibus, ſed rationi dedit: hæc tum de omnibus, tum de ſenſibus etiam iudicat: ſi non rationem fallunt, quid refert, qualia renuntient? quos tu quare infideles voces, neſcio: quandoquidẽ præſtant quantũ poſſunt & debent. Nam ſi exiſtentibus cauſis remus ſub aqua curuus videri debet oculis, ſi tuis rectus videretur, falſos oculos haberes, quia viderent aliter, quàm videre debuerunt: idem de ſole dico, poticu, voce, & alijs, quæ memoraſti. Hoc igitur eſt illud præclarum, quod moliris? nam accuſans ſenſus falſitatis, cõmutari illos deſiderans, id agis, vt quos nunc veros habemus, poſtmodum falſos habeamus. Ergo credis (inquies) ſenſibus? Credo equidem quod nuntiant, id illis ſentiri: cur enim mentiantur? quamobrem ne habeo quidem, quod illis ſuccenſeam: nam quantũ in ipſis eſt, non fallunt, referunt quæ acceperũt. Quòd ſi anteſtantibus cauſis rerum illis ſtatus aliter ſentiatur, quàm ſit, hoc me non lædit, poſtquam rationẽ habeo, quæ ſenſuũ viſa diſcernit: nihil enim refert, vtrum nulla deceptio ſubſit ſenſibus, vel ſi ſit aliqua, id norim: idem enim vtrobiq; ſequitur, quòd non fallor: non enim fallitur, qui falſa videt, ſed qui falſo aſſentitur. Acquieſco igitur libenter ei, quo me natura donauit, idq; faciens primũ illud aſſequor, quòd non ſum impudens, quia nõ plus exigo a ſenſibus, quàm ferre poſſint: deinde intelligo, quàm præſtãs bonum, quãq; ſublime ſit ratio, ſoli hominum generi

diuino munere præbita, quæ ſenſibus præſidet, déque illis iudicat. Id non habent beluæ, quæ quicquid ſenſus dat, id accipiunt, nec diſquirunt quale ſit, & quorſum tendat: nos illis præſtamus intelligentia, iudicio, agnitione. Quòd ſi omnem ſummam collocare placet in ſenſibus, nos illis cedere neceſſe eſt, quia acriorem vim habent in ſenſibus: nam aquilæ clarius vident, vultures ſagacius odorãtur, lepores liquidius audiunt. Honoremus igitur beluas, & illis deferamus, tanquam a natura pręſtantiora acceperint. Sin autem id faciendũ non putas, quia vna ratio longè quinq; ſenſibus præcellit, cur tanti eos facis, vt ſi alicubi tardiores fuerint aut obtuſiores, malè actum nobiſcum putes? quaſi neſcias ſeruitium illis tributum, non principatum: miniſterium, non iudicium: vbi enim quidquam illi renuntiarunt falſò, præſto eſt ratio, quæ non illos arguat, vt imbecillos & obtuſos, nihilo enim fierent meliores: ſed vbi, & vnde error ſit, agnoſcit, gratulatúrq; ſibi, quòd tantam vim conſequuta fuerit, vt decipi nequeat. Quiſquis igitur nihil erroris cupit eſſe in ſenſibus, quã tum illis addit dignitatis, tantum detrahit rationi, quam ſpoliat hoc præſtantiſſimo iudicandi munere, & id bonum, quod nobis commune eſt cum beluis, corroborat, quod ſolus homo ex animantibus habet præcipuum, id efficit vilius. Huius autem cogitationibus neutiquam reſpondere voluit natura longè (quantum ego ſentio) prudentius, quæ rationi omnia ferè detulit, ſenſibus multa detraxit. Quid? quòd ſenſuum errorem ipſis etiam ſenſibus adiuuantibus ſæpe refellimus? non ne hoc etiam indicat iniquiorem aduerſus illos noſtram eſſe querelam? magnum eſt enim, & vix accidere poteſt, vt omnes fallantur tot numero, veluti ſimulatum pomum, effigiem, & colorem, & pondus referens veri pomi, fallet oculos & tactum; at vbi ad olfactum ventum eſt, vel palatum, odor ipſe, ſeu ſapor prodit deceptionem. Et remus ille tuus flectens ſe ſub aquis oculorum iudicio, intelligitur tactu rectus permanere. Pſittacus humanam effingit vocem imitando, adeo vt tranſiens in via ſæpius aliquis putet hominem loqui, & quandoq; interroget quis homo loquatur: ille autem, qui rem tenet, ridet, & vt detegat errorem, deducit ad pſittacum, vt videat: ſic deceptionem aurium oculi eleuant. Similiter ille veteris Hebręæ legis pater fallebatur tactu non auribus: nam vox indicabat nõ eſſe primogenitum illum, quem tactus primogenitũ renuntiabat. Quid? negociatores, vbi explorant nũmum pro mercis pretio datum, vtrum aureus ſit an inauratus, vno ne ſenſu contenti ſunt? ac non potius tres ſimul adhibent? nam conſulunt de colore oculos, de ſono aures, de mollitie tactum: cõfugiunt etiam nonnunquam ad pondus. Demum variè res tentatur, vt ſi in vno ſenſu aliquis obiectus ſit error, alter aduerſus errorem opitulari poſſit. Aduocanda igitur tota ſenſuum cohors, ne fallamur: nec longo abſunt interuallo: ſunt autem illi omnes in capite, ideſt circa rationis arcem locati, tãquam ſatellites: his illa vtitur, quomodo viſum eſt: ſæpe etiam remouet, vbi tanta res eſt, vt nequeant illò accedere, vel difficulter arripere poſſunt: tunc nullo internuntio ipſa ſecum rem diſcutit, & inquirit. Sed hęc forſitã leuiora. Illud verò grauius (vt dicis) & durius, quòd non modo in his, quæ ad ſenſus pertinent illudimur ſenſibus, & naturæ rebus acie mentis hebeti vtimur, ſed quòd in vitæ negotijs maior etiam obſcuritas ignoratioq; verſatur. Affers ante omnia illud, neſcire nos, vtrum quidquam in ſomno vel vigilia agamus: quod prolatũ riſum mihi

mouit. Ita videlicet neſcis nunc lucere? neſcis in his hortis te manere? nõ verè aſpicis me, qui quũ loquebare? nec hos æquales tuos? ſed aſpicere videris? non itẽ tibi homines, ſed hominũ imagines ſumus? ſomno enim es inuolutus. Sed non ſuades: oratio enim tua, cui nunc reſpondeo, non ſomniantis hominis eſſe videtur: imo nullius eſſe poſſet, niſi qui accerrimè intenderet, &, tanquam pro ſtatione caſtrorum poſitus, vigilandum ſibi cenſeret. Itaq; quouis pignore cõtenderim a vigilante habitã orationem: eadémq; opera intelligo vigilem me illam audiuiſſe: nec falli vereor: cui enim ſomniãti occurrit tam copioſe, támq; ornatè dicentis imago? Habes notam, qua te meq; vigiles fuiſſe dico. En illud eſt, quod modò dicebam, nihil tam eſſe manifeſtum, quod impudẽs os non inuadat. Quod ſi (vt ait Euripides) verba emere oporteret, parcius loqueremur multò & circunſpectius: nunc impunè linguæ motu licet aëra verberare: itaq; garrimus quodlibet. Vt reliqua omittam, quum inter ſomnũ & vigiliam tantum interſit, quantum ferè inter vitam & mortem (nam ſomnum parua aiunt eſſe mortis myſteria) quid impudentius, quàm hæc confundere, & velle indiſcreta videri? Quum autem cogito non quoslibet de plebe homunculos hæc protuliſſe, ſed philoſophos etiã maximis ſtudijs ingenijsq; affluentes horũ ſermonum patronos extitiſſe, nõ iam me riſus, ſed pudor occupat. Adeóne ipſos ſomniculoſos fuiſſe, & cæteros putaſſe? nam proprium ſomniculoſi eſt ambiguum eſſe, vigilet ne, an dormiat: a quibus ſi quęram, quod obijciunt nobis de ſomno, num id ſomniantes obijciant, an vigilantes, quomodo ſe explicabũt? ſi ſomniantes dixerint, nõ operę pretiũ fuerit illis reſpondere, quid enim diſputem cũ dormiente? At obijciunt vigilantes. Ergo vigilare ſe norunt, ergo ſomni vigiliæq; diſcrimen apprehenderunt: quod ſi aſſeuerarint neutrum ſe poſſe reſpondere, quia neſciant, vigilent an dormiant, quid curandum nobis de illis, qui tanquam ſtipites ſenſu carent? hoc ipſum etiam, ſint, nec ne ſint, ignorãtes? Enimuero, vt ſomnians careat exacta rerũ notitia, quieſcentibus ſenſibus, animóq; quietis dulcedine perfuſo, tamen vigilãtis diſpar eſt ratio: ſomnus nec ſe, nec vigiliã agnoſcit, vigilia verò ſui ipſius & ſomni iudex eſt. Hæc eadã de furore dici poſſunt, ſanitatéq; mentis: nã in furore nemo quidquã nouit, ne ſe ipſum quidem, quòd furioſus ſit: ſanus autẽ mente tum ſe valere animo, tum ſi furioſo occurrat, furere illũ intelligit. Quæris quibus ſignis vigilia a ſomno diſcerni queat? quaſi verò vigil quiſpiã ſit, qui non intelligat ex ipſa rei perſpicuitate ſe vigilare. Signa ſcrutamur ambiguis in rebus: perſpicuitas ſe ipſam prodit: & tamen plurima ſunt argumenta vigiliæ, quia non ſimilia patitur dormiens, ac vigilans, in gaudio, ſpe, metu, mærore: ſed illa in ſomno adumbrata vix commouent, hæc autem in vigilia maximè. Enimuero ſi traheretur aliquis ad ſupplicium tyranno iubente, putás ne talem habeat is vultum, qui verè trahitur ad ſupplicia, ac ſi illud ſomniaret? quid in gaudijs? num talia ſentiunt ſomniantes, ac ſi vigilarent? Non ſuaderes hoc adoleſcentem illum comicum, qui ſomniarat amicæ complexum, & conqueritur poſtmodũ expergefactus, non ſatis prolixa & cumulata gaudia habere ſomnũ. An ne hoc quidẽ relinquis, vt expergefactus ſtatim a ſomno intelligat ſe ſomniaſſe? nec internoſcere, ſomno vigiliáq; iuxta poſitis, quid inter vtrunq; interſit? Verè autem omni tempore intelligere poſſumus, quæ in ſomnis contingunt per rerum imagines ſopitis ſenſibus carere illuſtri illa ſpecie, quam exhibent res ipſæ vigilãtibus: hic

enim clara, & certa videri omnia, illic incerta, obſcura, turbida, confuſa, & veluti per nebulam cerni, quibus animus, vix ſibi aſſentiri videtur. Quanquam de his mihi videor plura effudiſſe, quàm oporteret: nemo enim incertitudinē vigiliæ & ſomni obiecit, exiſtimans & opinione ſua colligens ita eſſe: ſed hæc hi proponunt, qui contentioſè cupiunt litigare. Sed his ne tu quidem confidis, ideo alia adducis, quæ magis ignorantiam noſtram oſtendant. Neſcimus (inquis) quis amicus inimicúſue ſit, quia natura, hominis cor in fronte non collocauit, ſicut oportuit. Quaſi verò ſi id feciſſet, cogitationes etiam humanas peruidere potuiſſemus. Neſcimus etiam, qui iuſti ſint & iniuſti, ideo in his opinione labentes, dum exiſtimamus eos, qui iuſti ſunt, eſſe iniuſtos, & qui iniuſti, eſſe iuſtos, amamus quos odiſſe, & odimus quos amare oportebat. Vera dicis: nam etſi non erramus in ſumma rerum, quia neſcimus virtutem honorandam, vitia repudianda in hominibus, tamen quales ſint moribus, ſæpius erramus: & eò magis, quia non decet in aliena vita delatorum more curioſum eſſe. Sed hic error nullam nobis infligit turpitudinem, quia diligimus vel auerſamur in homine, non quod, ipſe eſt, ſed quòd eſſe creditur. Si diuitem coleremus virum, turpiter id fieret, ſiue talis ſit ille, ſiue non ſit: quia videbimur oſtendere ſeruilem animi habitum paratum obſequi pecuniæ gratia. Sin iuſtum obſeruamus virum non ſuo, ſed iuſtitiæ nomine, iſque mox iniuſtus deprehendatur, honeſta deceptio: nam oſtendimus quanti faciamus virtutem, quam in hominibus etiam perſequimur, etſi non ſint virtute præditi, quia tales exiſtimabantur: etenim in exiſtimatione falſa, recta fuit animi affectio. Econuerſo ſi auerſamur quendam opinione vulgi & noſtra iniuſtum, iſque poſtmodum iuſtus cognoſcatur, facilis emendatio: non enim illum, ſed iniuſtitiam, quæ in illo putabatur, oderamus: itaq; beneuolentia ſuccedat neceſſe eſt, quum cognitum ſit abeſſe id, quod odio dignum faciebat. In ſumma non modo non obeſt, ſed etiam prodeſt amare iuſtitiam, & odiſſe iniuſtitiam in hominibus, ſiue illi ſe ita, ſiue aliter, quàm creditur, habeant. Natura autem voluit eſſe tectas hominum cogitationes, vt maior eſſet libertas illis vtendi, quomodo vellent, vt in hac quoque parte meriti peccatíque ratio conſtaret: addo etiam, vt prudentiæ eſſet locus, quò fraudes aliorum euitaret, & improborum quoque conſilia bono dolo affligere poſſimus: non enim omnis dolus in vituperatione, eſt etiam aliquis in laude ponendus: nam laudamus eos, qui prudenter ſtultitiam ſimularunt, quò fraudes ſuorum euitarent, vel capto tempore reipublicæ magis prodeſſe poſſent. Sicut de Bruto Solonéq; accepimus: hi enim ſtultitiam ſimulantes cæteros omnes magis fuiſſe ſtultos oſtenderunt. Laudatur quoque enixè Themiſtocles, qui prohibentibus Lacedæmonijs publicos Athenienſium muros bello Medico dirutos refici, ipſe aſtu perfecit munitionem Athenarum, dum nihil tale agi illi exiſtimarent: nota res eſt, multorum literis celebrata. Hos ego muros de eius ſententia ſtantes magis probo, quàm victoriam Barbarorum illo duce partam: illic enim fortuna plurimum contulit, hoc autem totum a conſilio eſt profectum. Deinde, vt dicam quod ſentio, qua in re cupio te meæ ſententiæ habere adiutorem, me plurimum delectat, non vbi vim vi, manum manu, corpora corporibus perſpicio repelli; immane id enim & ſimile be-

ſuarum: ſed vbi dolum dolo, tanquam clauum clauo video retruſum, quia id fieri patitur humanitas, & ſimul in eo elucet ingenij ſolertia. Quamobrem illud Ventidij perplacet. Is bello Parthico aduerſus Pachorum Regem ſolicitus, ne Parthi tranſirent Euphratem ante legionum aduentum, quas de Cappadociæ finibus vltra Taurum adduci iuſſerat, non ignarus Pherneum quendam vnum ex ſociis cuncta, quæ apud ipſos gerebantur, Parthis renunciare, cœpit adhibito hoc Pherneo, tanquam amico, diſſimulata eius perfidia oſtendere, nihil ſibi eſſe magis in votis, quàm vt Parthi per Zeugma traiicerent exercitum, quà breuiſſimum iter eſt & Euphrates omiſſo alueo decurrit: nanque ſi illac venirent, ſe collibus vſurum ad frangendos ſagittarios: omnia autem vereri, ſi ſe in patentes campos proieciſſent. His eius vocibus Phernei opera ad Parthos relatis, illi inferiore itinere per circuitum deduxerunt exercitum, dúmque latiſſimas ripas operoſioribus iungunt pontibus, inſtrumentáque ad traiiciendum comparant, quadraginta amplius dies impenderunt, quo ſpacio Ventidius ad contrahendas vſus eſt copias, eíſque triduo ante Parthorum aduentum receptis ſigna contulit, hoſteſque ſuperauit. Credo id conſilium probari quoque tibi, quo proditoris perfidiam in rem ſuam opportuniſſimè vertit. Non minore vafricie vſus Hanno Carthaginenſium imperator: nam in Sicilia bellum gerens aduerſus Romanos, quum comperiſſet Gallorum mercenariorum auxilia conſpiratione facta tranſire ad hoſtes velle, quòd aliquot menſium mercedes non receperant, animaduertere autem in eos non auderet metu ſeditionis, miſit familiarem quendam ſuum ſpecie transfugæ, qui nuntiaret Octacilio conſuli nocte proxima Gallorum quatuor millia, quæ prædatum miſſa forent, poſſe excipi. Conſul rem nòn dimittendam ratus diſpoſuit in inſidiis lectiſſimam manum ſuorum, quæ tranſeuntes Gallos confecit. Sic quod cupiebat Hanno aſſequutus eſt, quòd & plures ex Romanis cõmiſſa pugna ceciderunt, & necatis transfugis hoſtium copię adauctæ non ſunt. Sed quid cęteros commemoro? ipſi medici, quorum vnum eſſe opus videtur reſtituere valetudinem collapſis, attamen illud quoq; ad ſe & peritiam artis pertinere arbitrantur, ſimulantes morbum deprehendere, idq; quemadmodum fieri poſſit præcepta etiam tradiderunt. Hæ callidæ prouidæq; cogitationes vbi nam eſſent, ſi, quemadmodum volebas, natura nuda hominum & aperta pectora conſtituiſſet? quem haberet ſolertia campum ſe proferendi? quid inter ſtultum prudentémque intereſſet? nam prudentis eſt præcipere cogitatione, quid quiſque habeat in animo, quídue acturus ſit, quantum rectiſſimè committi alteri poſſit: ſed & ſtruere aduerſus ſceleratos inſidias, ſtructáſque in ſe ab iiſdem vitare, prouidendo ne ſcelere quidquam illi ſuo perfidiáque proficiant, non minimum opus prudentiæ. Demum cogita, quòd ſi nulli eſſent in humano pectore interiores receſſus, nullæ fraudes, nullæ inſidiæ, nullæ ſimulationes, quomodo res rediret nobis ad illud aureum ſeculum, quod ante finximus ſub Saturno fuiſſe, idq; improbauimus, tanquam illic eſſent omnia ignauiæ, deſidiæ, ſocordięq; pleniſſima. Sed pergis adhuc & proponis mihi aliud de iudice. Iudex quãdoq; torquet innocentem reum ſuſpicionibus cõmotus: occidit etiã teſtimoniis fidem habens mendacibus. Fateor id cõtingere poſſe, vel quandoq; cõtigiſſe, nec admiror tamen: eſt enim in poteſtate fortunæ, quo velit mali genere, vnum

quenq;

quenq; mortalium affligere. Si hæc me prædonibus obieciſſet, ijq; fatentes innocentem occiderent, fortiter ferrem nullo profuſo gemitu, nullis lachrymis demiſſis, eáq; fortitudo animi ab ipſis etiam prædonibus probaretur. Quòd ſi eadem fortuna imponens nocentis ſpeciem tradat iudici, qui nocentem exiſtimans eadem faciat, quæ prædones, nõ ne hic pariter caſus in fortuitis numerandus, & ferendus? Mihi verò factum huius iudicis tam fortuitum videtur, quàm Adraſti Phrygis. Ille (vt eſt apud Herodotum) dum in uenatione eſſet, iaculo in aprum vibrato nõ illum, ſed Atym Crœſi filium apprehendens interemit. Hic pariter credidit legitimo ſupplicio ſceleſtũ hominẽ percutere, tanquam beluam quandam, & veluti aberrans manu innocentem, quem nõ petebat, percuſſit. Noli enim exiſtimare me imprudẽtiam inſcitiámq; hominũ inficiari: quin apertè aſſero illã in pluribus vitæ partibus maximíſq; verſari. Veruntamen ſi qua mala immiſſa nobis ſunt hominũ ſcelere, ea ferenda ſunt placidè: cur non etiam ea, quæ imprudentibus effluunt? nã errori debetur venia, ſceleri pœna: tantúmq; abeſt, vt inuoluntaria imprudentia acerbius inſectanda ſit, vt mites nacta iudices innocentiæ loco haberi poſſit. Intelligendũ eſt autem non omnes artes participes eſſe ſcientiæ, ſed paucas tantùm, quarum cõſtant præceptà ex his rebus, quæ neceſſariò ſemper eodẽ modo eueniunt: propterea in numero, menſura, pondere certum habere poſſumus: nec timẽdum, ne peritus fallatur, quia ab harum artium regulis nõ eſt exceptio, vt dici queat poſſe aliquando aliud cõtingere: itaq; fidenter figimus gradum, & in illis perſiſtimus. Reliquæ verò artes, quarũ ingens eſt multitudo, quæ ſequuntur, non id, quod euenit ſemper neceſſariò, ſed quod euenire plærũq; ſolet, hæ fallunt artificem ſæpius. Nihil illic tutum eſt, quia omnia ſub exceptione ſunt: niſi aliter præter conſuetudinem obſcuris de cauſis & vi fortunæ cõtingat. Licet antiquorum admirari prudentiã & diligere induſtriam, qui in rebus obſcuris & difficilibus ſibi ipſis & aliis auxilium ferre conati ſunt. Etenim quum vidiſſent duo tantùm rerum genera ad artem redigi poſſe, vnum eorũ, quæ ſemper eodem modo euenirent neceſſariò: alterum huic proximum, eorum ſcilicet, quæ frequentiſſimè caderent certo modo, etſi nõnunquã contrario, vtrunq; genus perſequuti ſunt diligenter, & ex his artes cõpoſuerunt. In primo genere ſcientiam, in ſecundo opinionem verſari dixerunt. Eſt autem opinio habitus animi aſſentientis cum aliqua titubatione. Et primo quidem generi artes ſubiiciuntur, quæ Mathematicæ nuncupantur, & præter artes Mathematicas reliquæ, quæ menſuras & pondera ſequuntur, veluti architectura, & cæterę fabriles. Secundi autem generis ſunt medicina, res militaris, rhetorica, agricultura, & plæraq; alia, in quibus cõiectura probabilis, & in alteram propenſior partem exercetur: quod enim in plurimis reſponderat, animaduerſum, & notatum, & ad præcepta redactũ, etſi fallat, tamen quia raró fallit, neglectum eſt, ſicut paucitate neglecta in populo multitudinis magis ratio habetur: & nemo illud non videt, quantò magis præſtet in paucis errare, ſi ſors ita ferat, quàm in cunctis temere vagari. Etenim ſi quis in centũ (vt ita dicam) actionibus vel meditationibus ſequens regulas artis, ſemel aut bis exciderit a fine, in reliquis autem tenuerit propoſitum, nõne iſte melior eo, qui in pari actionum vel meditationũ numero vigeſies aberrarit? quantò autem melior eo, qui quinquageſies fuerit prolapſus? Rurſus compara mihi hunc ad eum, qui octogeſies eluſus fuerit,

nonne iſte peritus & artifex ob rarũ lapſum, alter ſtultus & inſipiens ob multiplices errores dicetur? Hæ artes igitur hoc præſtãt, vt in plurimis rectè ſuccedat, rarus ſit caſus, quoniã ſequũtur id, quod plærunq; fit, & ratio magis ſuadet illo modo, quàm diuerſo fieri oportere. Si quæ verò ſunt huiuſmodi, vt argumenta habeant vtroq; pariter ſpectantia vel tenues & obſcuras cauſas, & quæ inducere tantũmodo poſſint ad ęſtimandum aliquid & ſuſpicandũ de re, de his artes componi nõ potuerunt, quia fluctuantem animum, & nutantem, & planè inſcium relinquunt. Talia ſunt ferè, quæ in vitæ negotiis verſantur, & deliberationibus proponuntur, in quibus nõ quæritur quod volumus, ſed eo poſito, vt fine, quæritur, quid nam eò deducat, ſiue vnum ſit, ſiue plura, & de pluribus, quod nam eorũ facilius & cõmodius: veluti cum deliberatur in ſenatu Romano, vtrũ Scipio traiicere debeat in Aphricam relicto in Italia Hannibale, vel in ipſa Italia contra Hannibalem conſiſtere: quærebatur enim vtrũ eorum magis conduceret, vel ad victoriam cõtra Pœnos, vel ad liberationem præſentis belli magni atq; difficilis: in quo Fabio maximo cum ipſo Scipione maxima fuit diſſenſio, vtroq; variis cõiecturis pro ſe agente. In talibus prudentia quidem locum habet, ſed tenuem admodum & anguſtam: maximam verò partem (vt inquit nobilis Orator) quaſi ſuo iure fortuna ſibi vendicat, & quicquid proſpere eſt geſtum, id penè omne ducit ſuum. Oportet autem eum, qui doceri appetit, hæc conſiderantem catenus in vno quoq; genere probationes exigere, quatenus eius rei natura recipit. Nam ſtultũ ſit, ſi quis a Mathematico ſuaderi ſibi quærat de menſurarum & numerorũ habitu, ac nõ certas ab eo potius & ineuitabiles rationes requirat. Rurſus non ſit ſani hominis ab oratore qui de his, quæ fortunæ ſubiacent poteſtati, diſſerit, immutabiles demõſtrationes petere, ac non ſatis habere, ſi probabili ratione vtens veriſimiliora, quã quiſquam alius, attulerit. Eſt recti & curui deſcriptio: ſed aliter ea faber, aliter geometra vtitur: nec iccirco faber geometram, nec geometra fabrum viciſſim irriſerit, quia eadem de re diuerſa pronuntient, quoniã eorũ quilibet aptat reſponſum diſciplinæ, quam ſequitur. Nam alter tantum inquirit, quantũ operi ſuo neceſſarium eſt & vtile: alter veritatem ipſam nudè contẽplatur. Hæc indicant exactam diſcuſſionem nõ eſſe in omnibus eodem modo appetendam, ſed quatenus ſubiecta fert materia, & diſciplinæ cuiuſq; propriũ ſit. Quamobrem (vt illuc redeam) nemo Ius ciuile noſtrũ damnauerit, quia ſtatuat capitali ſubplicio afficiendum eum, contra quẽ plures & graues teſtes de crimine dixerint: non enim, quia vnus aut alter periit quãdoq; iniquo oppreſſus teſtimonio, ideo non infinita eſt multitudo reorũ, qui iuſtè & ſanctè veris teſtibus conuicti pœnas dederunt: ideo rectè illud ſtatutum fuit ad multitudinis delicta coërcẽda. Quod ex eo magis etiã perſpicies, ſi cogitare cœperis, quid futurum, ſi contrarium ſtatuatur, videlicet propter paucos falſis oppreſſos teſtibus, nullum in capitali iudicio teſtem audiendum: quantam tunc maleficiis hominum patefaceres feneſtram? & haud ſcio an huiuſmodi vigente lege vrbs vlla incoli poſſit. Hoc dico, non quia Ius noſtrum velim tantũmodo defendere: ſed poſtquam illata eſt mentio ignorationis humanæ, tuq; huius artis exemplis vſus es, oſtendendum fuit per tua incedenti veſtigia, illud, quod ſtatuerit, rectè ſtatuiſſe. Hunc tamen ſermonem vnum, ad plura velim pertrahere, ſicut pertrahi poteſt; nã ſimiliter oſtendit, non modo artes eas, quæ ſcientiam profitentur,

tentur,

tentur, ſed has quoq; opinabiles vtiliter inuentas, pulrimumq; caliginis ab ocu lis mortalium abſtuliſſe, eaſq; ab hominibus ſanę mentis ſequendas, quũ rarò fallant, proſint ſæpiſſimè: idq; ipſum quòd fallant, non ab ipſis eſt, ſed a fortuna, quæ mortalia cuncta pro arbitrio flectit, & moderatur. Si plures (inquis) percuſſerint aliquem pluribus vulneribus, inter quæ vnũ tantùm ſit letale, & ignoret iudex illius vulneris auctorem, cunctos necat, vt homicidas. Cur non necet? (quãquam de hoc inter iuris peritos magna diſſenſio eſt: ſunt enim plures, qui cunctos a crimine cædis putent liberandos) ſed præualeat ſentẽtia ea, quam poſuiſti: an non capitali ſupplicio tibi dignus videtur, qui ſocium ſe prębuit alteri? qui cædem fecit? nonne cogitare debuit, dum vulneraret, hanc ſibi lege cõditionem impoſitam, vt occiſorem oſtendat? quod ni faciat, ipſe quoq; vt occiſor trahetur, tanquam mortiferum illud vulnus inflixerit, vel ad id ſocium impulerit. Quòd ſi veteribus legibus ſtaretur, quibus ſanciebatur eum, qui cum telo fuiſſet hominis occidẽdi cauſa, teneri, ac ſi occidiſſet, animũ enim non euentum eſſe ſpectandum, poſſet ne capitalem euadere pœnam? Quæ ſanè leges hodie ſi ſeruarentur, minor eſſet in vrbibus humani cruoris effuſio, minus in corpora ciuium gladijs peccaretur. Non reprehendo (inquies) legũ ſanctionem, ſed iudicis ignorationem, qua cogitur de vno homicida plures facere: nam vnum tantùm liquet eſſe homicidam vno duntaxat illato mortifero vulnere. Quid ais? ſi lex iuſtè ſanxit, vt vno illato motifero vulnere, incerto auctore, cuncti, qui vulnerarunt, rei ſint cædis, & iudex inquirens auctorẽ reperire non potuit, quid accuſas iudicem, qui legem ſequitur? nam quod ignorat, hoc factũ eſt, quia non affuit ipſe rei geſtę, nec a præſentibus docetur, quis fuerit ille, qui letiferũ intulerit vulnus, nec hoc ipſe diuinare debuit, vatis enim id munus non iudicis. Nec incuſari quoq; poteſt natura, quod ignorationẽ iudici non abſtulit: quoniam reſpondeat ipſa ſe non iuſſiſſe cædem, non vulnera mandaſſe, & ignoratione iudicis terreri rectè potuiſſe, ne plures ſimul ad delictum properarent. Hic tu etiam vrges, & ais magnũ in hominũ vita errorem verſari propterea, quòd veriſimilitudines ſequuntur: veriſimilitudines autem ſæpius fallunt. Hic ego, quas tu veriſimilitudines voces, quæro? Si enim manifeſtas probationes, quæ de teſtiũ dictis & publicis documentis ſumuntur, non fortioribus rationibus labefactatas, vis eſſe veriſimilitudines, has ſequẽdas eſſe iudicibus cõmoſtrauimus, quibus enim credetur, ſi hæc reijciũtur? ſin autem veriſimilitudines in ſuſpitionibus & ambiguis collocas coniecturis, rectè ais has fallere, nec eſſe ſequendas. Et ſunt tamen qui ſequuntur: nam exempla inducis eorũ, qui in ſuſpiciones vocati falſo crimine damnati ſunt: & ſubdis plura etiam adijci poſſe, nec mentiris: nam ſtultorũ infinitus eſt numerus, & ſtultos multa ſtultè facere non eſt mirandum. Prudentes autem viri non adducuntur veriſimilibus ſignis, vt finitè quidquã pronuntient, niſi certa ſint, & indubitata, & multis ex partibus concurrentia, & vndiq; cõgruentia, & acriter rem tangentia, vt oculi tantùm teſtium defuiſſe videantur, quò res ſit manifeſtior. Sed rarò hæc in controuerſiis cõtingunt: frequentius autem tabulis, teſtibus, quæſtionibus de re edocemur, quorũ fides veriſimilibus illis ſignis vel confirmatur, vel eleuatur: non eſt enim veritas veluti mulier quædam, quam oculis videre poſſis, ſed quid geſtum ſit & non geſtum, tum probationibus argutis, tum multis ſignis & coniecturis colligendum venit. Qua in diſquiſitione difficilę

ficile eſt ſapienti iudici verba dare: quamuis iſti Rhetoricæ artis doctores admirabilia olim quædam diſcentibus pollicerentur, ad vberiorem ſcilicet ſpectantes mercedem. At teſtes (inquis) ſibi ipſis, vel alijs contraria dicunt. Ideo opus eſt iudice non ſtulto, qui peruideat, quid in teſtimonijs a cupiditate, metu, gratia, præmio, inimicitia profectum ſit, qui cuiuſq; teſtis, vitam, fidem, mores examinet, quid famæ & rumoribus, quid negocio, de quo agitur, conſentiat, & ex his ſtatuat quid credendum ſit, vel quid ſibi parum probatum opinetur. Nec multitudinem teſtium ſemper reſpicit ille, vt dicebas, ne conſpirationem in iudiciis valere putes, ſed ea ſequitur teſtimonia, quæ honeſtiores dixerint, & quæ rei aptiora compererit, & quibus lux veritatis potius aſſiſtit. Multa difficilia atq; adeo impoſſibilia videntur homini imperito, quæ artifex facile explicat nullo errore. Audeo hac in re affirmare vix falli poſſe iudicem, qui legum peritus & vſu in iudicijs detritus acrem inquiſitorem ſe præbeat. Sin autem vides quandoq; iudicatũ aliter, quàm veritas ferret, ſcito id hominũ contigiſſe vitio, qui in ſententiis ferendis iniuſtè litigatoribus gratificari voluerũt: horum ego improbitatem non defendo, ſed reprehendo: nõ excuſo, ſed accuſo. Vnde autem tibi venit in mentem dicere virtutes a vitiis diſcerni vix poſſe, quum latiſſimo diſtent inter ſe limite, quanto ſcilicet a malo bonũ? At ſimilis eſt (inquis) crudelitas ſeueritati, luxus humanitati, adulatio amicitiæ, temeritas fortitudini, auaritia frugalitati, pertinacia conſtantiæ. Sed & lupi quoq; canibus ſimiles, & apibus fuci, & oleæ oleaſter, & albis corporibus ſimilia ſunt pallida, plenis turgida, gracilibus macilenta: nec tamen alteros pro alteris accipit quicunq; animaduertere curat, quãuis proximè ſimilitudine accedant: habent enim iſta inſignes alias notas, quibus diſtinguantur. Quod etiam contingit hac in re: nam quod geritur quomodo oportet, & vt ratio præſcribit, id in virtute habendum: ſin aliter geſtum, id geſtum fuerit vicioſè. Reſtat modò, vt diluam ea, quæ de miſerijs humanæ vitæ in calce orationis tuæ poſuiſti: quãquam etiam antea de hoc plura dixeras: veruntamen diſerti oratoris more idẽ ſæpius repetens & perſequens acrius in extrema parte, vbi plurimũ pollere debet oratio, diuidis hominem in manifeſtiſſimas partes duas, animum ſcilicet & corpus, & ais ſecundũ vtranq; malè compactũ. De corpore minus eſſet laborandum: quãquam de illo quidem videbimus mox: ſed diuinã illam partem, in qua mens viget, ingenium, ratio, memoria, altiſſima in homine naturæ munera, vituperare quì poſſumus? An illo nomine, quòd animus varijs concutitur motionum fluctibus? quaſi verò oportuerit hominem fieri veluti marmoreum ſignum: hoc enim intus non cõmouetur, vel ſatis fuerit illum arboris in morem vel oſtrei viuere creſcendo, atq; decreſcendo? Quid enim relinquitur nobis ſublatis affectibus, qui ſunt interni animi motus? nam in lætitia diffunditur animus, in mæſtitia contrahitur, in cupiditate progreditur, in metu recedit. Forſitan nõ affectus omnes tolli vis, ſed quoſdã. Quos? nullus enim affectus non vtiliter a natura animis impreſſus, modò rectus vſus accedat. Iracũdiám ne tollendã putas? At hanc fortitudinis cotem eſſe aiunt, quod ex eo patet, quia animalia illa maximè fortia ſunt & generoſa, quæ in iracundiam ſunt prona, vt in leonibus apriſq; videmus: in homine autem hæc iracundia addit rationi impetum & curſum. Virorũ fortium eſt dura quæq; & aſpera adire, & ſi ita contingat perpeti, quia honeſtum id ſit, & turpe contrarium. Hoc tam

excelſum

excelſum propoſitum a ratione inductum non eripit iracūdia, ſi fuerit addita, ſed auget feruorem: nam in bello pugnant acrius & vehementius concitati iracundia milites, idq; vnum potiſſimum moliuntur Duces, vt inflamment militum pectora. Quid enim aliud volunt cohortationes? quid curſus & clamor ſublatus aduerſus hoſtem? quid micantes gladij? quid tubarum cantus? ſedata autē illa, iudicia nō æquè proficiunt. Itaq; hæ gentes ferè indomabiles ſunt, quorū ingeniis innaſcitur iræ feruor, ſicut de Germanis & Scythis accepimus. Obiurgatio autem nec vehemēs poterit eſſe, nec grauis, nec fructuoſa illi, quē corrigi cupias, niſi iram præ te feras aduerſus delicti turpitudinē. Quid oratoris oratio? quantum valet, ſi acris & feruida fuerit, & iuſto dolore videatur incendi? quem autem commouerit, ſi lentè ferre ipſe, quod incuſet, appareat? Quamobrem boni oratores, ſi forſitan iræ motum concipere nequeant, attamen voce, vultu, geſtu ſimulant iratum: verentur enim ne aliàs iocoſa & ludicra ſit oratio, ſi in re atroci impetu careat. Ferunt olim ciuē Athenienſem conueniſſe Demoſthenem illum oratorū principem, vt eius patrocinio vteretur, & expoſuiſſe languido remiſſóq; ſermone ſe ab inimico verberibus cæſum. Cui Demoſthenes, Fingis hæc (inquit) nihil perpeſſus es, verberauit te nemo. Cœpit tunc ille iracunda voce & atroci inclamare, Quomodo id audes Demoſthenes dicere? egó ne verberatus non fui. Tum orator, ſi ſic (inquit) agis, vulneratus quoq; fuiſti. Sic iſte patrono penè caruit, dū animi ſibi demit affectum: reſtitutus autem in locum illo oſtentato. Sed huius oratoris quàm alta actio, quámque ardens ſolet eſſe oratio? tantū abeſt, vt languidè dicat, vt furere ſæpius & bacchari quodāmodo videatur: veluti illo loco, vbi ſua extollens in republica conſilia, iurat p eos, qui in Platęis, Marathone, Salamine pro liberate Græciæ animā profuderant præſtantes viros, quos omnes fato ſupremo exceptos ob pulcherrimum animi propoſitū publicis monumentis ciuitas decorarat. Et alibi idem orator accuſans Æſchinem, & quorundam exagitans improbitatem, qui exercitus & patrias ſuas pecunia accepta prodiderant Philippo, Neq; (inquit) reueriti ſunt ſolem talia faciētes, neq; patrium ſolum, in quo conſtiterant, neq; templa, neq; ſepulcra maiorum, neq; poſteritatis opinionem. Caius Gracchus Romanus orator, dum conqueritur quoſdā ex Italicis municipijs honeſtos homines cęſos virgis a magiſtratibus, leuibus aut nullis de cauſis, ita rē exponit. Palus deſtitutus eſt in foro, hic & ille adductus, veſtimenta detracta ſunt, virgis cæſus eſt. Purè & latinè narraſti; tantū abeſt, vt hæc audiens inflammer, ſomnum vix teneo. At quū idem crimen Cicero Verri obijcit, qua vehementia animi id agit? quo verborū ardore? Ipſe inflāmatus (inquit) ſcelere & furore in forum venit; ardebāt oculi, toto ex ore crudelitas emanabat: expectabant omnes, quo tandem progreſſurus, aut quid acturus eſſet, quū repente hominem proripi, atq; nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet. Cædebatur medio in foro Meſſanæ ciuis Romanus iudices, quum interea nullus gemitus, nulla vox alia iſtius miſeri inter dolorem crepitúmq; plagarum exaudiebatur, niſi hæc, Ciuis Romanus ſum. Hac ſe cōmemoratione ciuitatis, omnia verbera depulſurum, cruciatúmq; a corpore deiecturum arbitrabatur. Deinde poſt quædam, quæ ſubdit augentia rei indignitatem, ſequūtur illę pulcherrimæ exclamationes, O nomen dulce libertatis, o ius eximium noſtræ ciuitatis, o lex portia, legéſq; ſemproniæ, o grauiter deſiderata, & aliquā

do reddi-

do reddita plebi Romanæ tribunitia poteſtas: huccine tandem omnia reciderunt, vt ciues Romani, in prouintia Romanorum, in oppido fœderatorum, ab eo, qui beneficio populi Romani faſces & ſecures haberet, deligatus in foro virgis cæderetur? Et alia multa dicuntur in eandem ſententiam, vt iudices exardeſcere neceſſe eſſet in Verris improbitatem. Notus eſt tibi locus, nec opinor ſemel legiſti. Quum autem idem orator accuſat Catilinam parricidij in ſenatu, quæ ſunt illa quæſo verborum fulmina? Senatus hoc intelligit, Conſul videt, hic tamen viuit? imo verò etiam in Senatum venit? fit publici conſilii particeps? notat & deſignat oculis ad cædem vnũ quenque noſtrum? Et paulo poſt infra idẽ repetens, Quo ex ſenatus conſulto (inquit) confeſtim interfectũ te eſſe Catilina conuenit, viuis, & viuis nõ ad deponendum, ſed confirmandũ audaciam. Sacramento penè contendere auſim Ciceronem hæc nõ modo dixiſſe, ſed etiam ſcripſiſſe iratum: nõ enim mens ſe tenet, ſed rapitur earum ſententiarũ arbitrio, quas tractare cõtingit. Memento me tamen eam laudare iracundiam, non quæ exit in inſaniam, ſed quæ rationem antea iudiciumque ſuſceperit, & eiſdem pareat. Nam quicunque pro quibus, & contra quos oportet, iraſcitur, & præterea vt oportet, & quando, & quanto tempore, laudatur: vtilis enim hæc iracundia: ideo non hanc, ſed metum magis excindi velles, qui nõ vt iracundia effundit animum, ſed contrahit. At ſi metum tollimus, non erit quẽ pudeat: nam pudorem partem eſſe metus ſatis cõſtat: non affigemus poſthac liberis noſtris pædagogos probos & diligentes, ſicuti nunc facimus, veriti ne corrumpantur, in his etiã tuta timentes: artes concident omnes, quas nunc egeſtatis metus retinet: & quò non ſe effuderit libido ſublato legum & magiſtratuum metu? quis nauigia diligenter inſtruxerit gubernator? quis exercitũ imperator, ſi periculum nullum metuitur? Sed cur paruis immorari iuuat? quãdo quidem nihil vtilius ſit homini, quàm inferorũ metuere ſupplicia, & iniuſtitiæ dedecus, & peccati turpitudinem. Olim Lacedæmonii metui tẽpla ſtatuerunt, quòd exiſtimabant quendam eſſe vtilem ciuitatibus metum: quin etiã ipſam bellicam fortitudinem, ad quam præcipuè ſpectabant, non omnino vacuam eſſe metu crediderunt, ſed eam infamiæ, turpitudinis, iudiciorum metu contineri. Metum igitur retinebimus. At ægritudinem animi repellemus: quì fieri id poteſt, quum nihil melius ſit, quàm obiurgationibus morderi, & dolere in delicto? hoc enim præſtat, ne delinquere poſtmodum velimus, ſed effuſius adipiſci virtutem. Propterea eos, qui animo nihil doleant, auerſamur, atque id etiam exprobramus, vt Virgilianum illud oſtendit,

O nunquam dolituri, & ſemper inertes Tyrrheni.

Legimus Socratem, quum docuiſſet Alcibiadem nihili hominem eſſe, & inter ſe ſummo loco natum, & baiulum quẽpiam nihil intereſſe, illum ad lachrymas compuliſſe, ſupplicémque poſtmodũ Socrati fuiſſe, vt illam turpitudinem a ſe depelleret, virtutiſque cõpotem redderet. Hoc idem pluribus contingit quotidie, quiſquis anguntur in ſe nihil eſſe virtutis, nihil officii ad meliorem ſe frugem (vt dicitur) recipiũt. Rectè igitur hæc ægritudo animis noſtris inuſta eſt, auertens a vitijs, & conuertens ad virtutem. Eadẽ cauſa eſt miſericordiæ, quæ de alienis ſuſcepta calamitatibus impellit, vt illis opem, quam poſſumus, feramus. Sic etiam æmulatio eſt calcar ad capeſſenda ardua quæque & difficillima, quum moleſtè feramus in æqualibus plus roboris & neruorũ, quàm in nobis videri;

videri: quam ſanè æmulationẽ legum latores adeo probant, vt propoſitis præ-
mijs illam etiã acuant & incendant: nullum horũ aculeum natura non ſine ma
gna vtilitate humanis mentibus infixit. Reſtat, vt de cupiditate dicamus (vt
ſummatim de omnibus animi perturbationibus ſit dictũ) quam etiã amorem
vocare poſſumus, quæ niſi acrius verſaret pectora noſtra, quod præclarũ vn-
quam extitiſſet facinus? quæ res maior geſta? rectiſſimè dictũ eſt, quòd amor
opus perficit. Accipimus Pythagorã, Empedoclem, Democritum, Platonem,
Apolloniũ plurimas luſtraſſe regiones, multa maria trãſmiſiſſe, vt exilia poti⁹,
ꝙ peregrinationes viderẽt̃ ſuſcepiſſe doctrinæ acquirendæ gratia: vbicunq;
diſci aliquid poterat, eò veniendum iudicabãt. An cenſes id acturos fuiſſe, vt
rerũ cognitionem, tanquã fugientem, vndiq; perſequerentur, niſi eorũ pectus
doctrinę ardore vehementius incaluiſſet? Obambulabat noctu Themiſtocles
clamans ſe ſomnum capere non poſſe, propter Milciadis in Marathone victo
riam: itaq; nouo Barbarorũ bello conſimilia illi geſſit. Alexander adhuc puer
Philippo patre multa proſpere gerẽte afflictabatur animo, ne omnia ille ſubij
ciens nihil ſibi gerendũ relinqueret. Vides ex hac animi indole ad quãtam ge-
ſtorum gloriam peruenerit: nõ poſſunt magna ingenia magnos edere fructus,
niſi vehementius ferantur. Habet virtus præſtantem quãdam & eminentem
effigiem: quicunq; aſpexerit cõmouetur tã decenti ſpecie: ſed hactenus, vt pro
bet tantùm, atq; laudet, & intra verba ſolùm res vertitur. Quando igitur fit,
vt a verbis ad opus deſcendatur? vbi ſcilicet ardet pectus & incenditur cupidi
tate eius, quo delectaris, & adeſſe tibi expetis, & niſi aſſequaris, vitam tibi nul-
lam fore arbitraris. Hoc vigilias excitat, hoc periculorũ immemores facit, hoc
labores ſentiri non ſinit: quodcunq; cæteris durum, aſperũ, intractabile, arduũ
videtur, id amanti planum eſt, peruium, molle, ſuaue. Cõmemorauimus gen-
tium exempla, nõ deflexímus adhuc ad religionis noſtræ homines, quos initio
naſcentis Eccleſiæ immẽſas ſolicitudines, labores, vigilias, ſubijſſe ſcimus, nec
id modò, verũ etiam tyrannorũ minas ſuppliciaq; pertuliſſe. Hos tu ante regũ
& præſidum ora adductos cogitaſſe ita cenſes, dum impellerentur illorũ Diis
ſacra facere? Chriſti religio vera eſt & ſancta: deſerens hãc iniquè fecero: rectũ
eſt in ea ꝑmanere. Excuſſiſſent (mihi crede) has cogitationes & has ratiunculas
eculei, vnci, cathenæ, ſartagines, cruces, cãdenteſq; laminæ. Quid igit̃ inuictos
illos præſtitit viros? æſtus quidã & immenſus ardor ſummę cuiuſdam pulchri
tudinis in Chriſto ſpectatæ, hic ad medullas vſq; & oſſa pertingens quieſcere
non permittebat, donec ſe & Chriſto dignũ aliquid geſſiſſent. Ergo vbi ſup-
plicia proponebantur, tanquã amentes in illa ferebantur: & ea erat alacritas, is
ſermo, is vultus, vt alius quidam in illis membris torqueri videretur: quin quò
atrociora erant tormenta, libentius ſubibant, certantes aduerſus tortores, vt
priores illi deficerent, beneficiũ arbitrãtes pro amoribus delitiiſq; ſuis illa per
tuliſſe. Magna hæc & omnibus inaudita ſeculis: ſed tãti refert ſacro furore eſſe
percitum: ſana mens expaueſceret, quod cõmota cupiebat. Sed nõne alia etiã
oſtendunt animũ diuinitus concitatũ multò meliora agere, quàm ſui compo-
tem, prudentiæq; humanæ innixũ? ſcimus enim Sibyllas vateſq; alios pluri-
mos furentibus animis prædixiſſe ventura, & oſtendiſſe mortalibus, quemo-
do ingruentia mala effugerent, quibúſq; precibus & ſacris ſuperorũ iram de-
mulcerent: horum vbi furor reſederat, parũ profuiſſe, & ad nullas penè res vti

les fuiſſe. Quin etiam traditum eſt neminem egregium poëtam ſine inflāma tione animi exiſtere, & ſine afflatu quodam quaſi furoris: eos autem, qui artificio quodā conſequi id poſſe cōfiderent, inanem operam ſumere, quia neceſſe eſſet eos valde iacere, ſi cum afflati poëtæ carminibus cōferantur. Idem traho ad oratores, pictores, philophos, & alios ingenuarū artium opifices, quorū neminem extitiſſe ſummū, ſine aliqua mixtione dementiæ traditum eſt. Quā obrem cōmotio animi non eſt in crimine ponenda, quum maximorū bonorū auctorem eſſe contigerit. Attamen illud te cōmouet, quòd huiuſmodi cōmotionibus etiā abutimur, & ad mala quæq; per illas impellimur: nā inflāmat libido ad voluptates corporis perſequendas, ex quo ſtupra, adulteria inceſtúſq; gignuntur: incendit ira ad vltionem, hinc cędes, vulnera, parricidia, peſtifera etiam bella, & ſeditiones, & alia infinita malorū cohors. Hæc & his ſimilia verè dici cōfiteor: quæro tamen de te, quid faciendum cenſeas? ſi tollimus animi affectus, vitiorū præcidimus ſemina, ſed virtutū pariter retundimus aculeos. Quòd ſi eò delabimur, vt videamus, vtrum animi concitatio plura bona pariat, an mala, vt ſi maiora ſint bona retineatur, ſin mala ſint plura, abijciatur: ſi iudicamus id numero, enumerationem ſuſcipimus moleſtam atq; adeo puerilem: ſin pondus exquirimus, quis dubitauerit virtutes vitijs anteferre? maior eſt enim virtutum dignitas, quàm vt debeat propter vitiorū turpitudinē aboleri, præſertim cū altera ex parte adſit rationis præſidiū a natura nobis ad eam rem traditum, vt cupiditates animi temerarias, tanquā ferum & indomitum animal, frænis & flagello coërceat, & quanuis doleat & repugnet, parere tamen ſibi cogat. Nec ſpectare illuc debes, quòd multi tale relinquentes præſidium ſinant ſe ferri præcipites: id enim illis vitio verti debet, non naturæ, quæ hominem iraſci voluit, cupere, metuere, dolere, vt his animi motibus ad virtutis vſum cōmodius feratur. Quòd ſi, quia in ijs nōnulli peccant, tollendi ſunt, nihil prohibet eodem exemplo reliquas artes tollere: tollatur medicina, quia plures ægri medicorū vitio perierunt: tollatur muſica, quā tu amplecteris, quoniam a multis concentus nō ſeruatur. Sin autē minimè id fieri debere iudicas, ne in affectibus quidem id valere debet, ſed enitendum, vt quibus prauè vtimur, dirigamus in rectum: cogitandū enim, quòd quum ijdem animorū affectus aliis vtiles ſint, aliis contra, nō proficiſci ab ipſis, quòd proſint & obſint: non enim conuenit eandem rem vtilitatem ſimul in ſe & perniciem afferre, ſed indifferenter ad vtrunq; ſe habere dicendū: & diuerſa vtentibus ratione diuerſa contingere nihil mirum videatur. Itaq; vbi audiuerimus quempiam cupidū eſſe, vel timidum, vel iracundum, vel quolibet alio animi affectu teneri, ſuſpendere iudiciū oportet, nec laudare hominē, nec vituperare, donec nouerimus, in quam partem ille ſuis affectibus feratur: ſi rectā tenet, laudabimus: ſin aliter, aliter & nos iudicabimus. Et hoc eſt, quod dicūt plæriq; ſana vtentes diſciplina, non tam quærendum eſſe vtrum quiſquā iraſcatur, ſed quare iraſcatur: nec vtrum mœreat, ſed vnde mœreat: nec vtrum timeat, ſed quid timeat. Nam iraſci peccanti vt corrigatur, mœrere pro afflicto vt liberetur, timere periclitāti ne pereat, laudabile eſt, quia rectam hi affectus ingrediūtur viam. Enimuero ſimiles mihi videntur animi affectus quadrigæ acri & cōcitatæ, cui auriga aſſidens, ſi viam tenet, orbitæq; ſeruat veſtigia, nihil illi obeſt concitatis equis ferri: imo longè melius fertur, quàm ſi lentè & ſegniter graderentur: ſin autem

viam

viam deſerit, ſectans inuia quæque & confragoſa, tunc equorum impetu elatus præceps abit, & ſe ipſum, & currum, & equos diſperdit. Similis affectuum ratio, quibus, vt equis pernicibus, inſiſtentes, ſi rectam capeſſimus, nobis prodeſt illa equorum pernicitas, alacrius enim ducimur & rapidius, nec itineris tædet, aut laboris: ſin confragoſa perſequi iuuat & prærupta, labimur, diſtrahimur, laceramur, nec impetum tunc currentium equorum, ſed aurigationem noſtram incuſare debemus. Nec te ad philoſophos ire iubeo, vt illic accipias affectuum tuorum tanquã equeſtre frænum & hanc aurigandi rationem, quæ illi non poſſent tradere, ſi nobis nulla ineſſent natura: nihil enim faciunt, niſi quòd nobis indicant bona noſtra, quæ tamen facile erat animaduertiſſe: non enim in abdito res eſt, aut multis obtegitur inuolucris. Hinc plures e media plebe homines, nullo doctrinæ vſu percepto, natura tantùm admonente, cupiditatibus ſuis optimè conſtanterque imperitarunt: ad hos ego te dimittam: ſunt enim (vt dixi) non pauci, quorum probitatem quum perſpexeris, ſi ſuſpicari cœperis, ne philoſophum audiuerint, narrabunt tibi illi, atque adeo perſanctè iurabunt, ſi pertinax fueris, ſe quid philoſophus ſit, neſcire, & animal hoc ne pictum quidem ſemel vidiſſe. Sed quàm multa ſunt præterea, quæ rudium animos & imperitorum erudiant? veluti diuinum & humanum ius paſſim notum, mos patrius, conſuetudo, bonorum virorum vita, oratio, præmia fortibus propoſita viris, ſupplicia improbis, multorum præterea literæ, in quibus plurima ad bene viuendum præcepta collecta ſunt. Hæc & his ſimilia valent ſatis ad meliora conuertere, adeo vt iſta animaduertentes philoſophi nihil iam de moribus in ſcholis loquantur, ſed cauſas tantummodo naturales Ariſtotele ſignifero perſequantur. Hæc dixi latius, ne exiſtimans me regimen morum noſtrorum ad philoſophos transferre, illorum potentiam nimis magnam ſtatutam fuiſſe poſthac conqueraris, ſicuti antea conqueſtus fuiſti. Et hæc quidem ſic habent. Corporis verò fabricam (nam hæc quoque impetitur) quomodo defendemus? me miſerum, ſi hæc etiam defenſionis indiget, quum tam ſit præſtans humani corporis ſtructura, vt (quod aiunt) vel ipſis digitis ſentiatur. At enim (inquiunt) ſine armis prodimus, ſine veſte etiam: non enim veſtis ſicut capilli homini innaſcitur, ſed aliunde ſumenda. Iſtis ergo, qui de natura conqueruntur appellantes hominis nouercam, quòd ea feras melius munierit & armarit, opto cornua, vngues aduncos, cubitales dentes extra ordinem reliquorum duos aut plures, horrentémque villis cutem. Quid enim aliud quis faciat? nam ſic magis muniti eſſent (vt aiunt) & armati. Do illis etiam elephanti proceritatem, leonis robur, tigridis curſum, volucrum leuitatem: ſed ea lege, ne manus habeant, quaternis pedibus vehantur. Sed iſtorum nemo tam pecus eſt, aut belua, qui id velit: ſentiunt enim quantum ſibi venuſtatis decederet, ſi ferina illa haberent, & humanis his carerent. Miror etiam homines doctos non intellexiſſe agreſtia illa & horrida munimenta minimè nobis apta fuiſſe, qui rationis ſumus compotes, quum quotidie in quæſtionibus proponatur, cur homines carne molles meliori ſint ingenio, ita vt de re non dubitetur, cauſa tantùm quæratur. Sed cur accuſant naturam, quòd homini non addiderit pilorum ſegetem, &

cornua & huiuſmodi beluina? ac non illud potius, quòd non aliud affixerit caput in poſteriora conuerſum, vt quæ illic etiam fierent, ſpectare poſſemus? talem quondam fuiſſe Ianum Deorum omnium vetuſtiſſimum finxit antiquitas. Cur huic potius non inuideant, quàm feris? etenim magnificentius eſſet duplicia habere, oculos, naſum, aures, os, linguam, quàm hirci in morem hirtus eſſe & aſper. Ego tamen, ſi hæc mihi poteſtas fiat a Deo, renuam, nec vtar, tantúmq; abeſt, vt cupiam capite altero redundare, vt ne vno quidem digito plus habere vellem: adeo me hic naturæ ſtatus delectat, vt nihil mihi videar poſſe illi commodè detrahere, nihil etiam addere. Tu autem eadem poteſtate conceſſa quid ageres? an biceps eſſe malles, & pro oſtento circunferri, quia quatroculus eſſes, & bilinguis? vel num forſitan magis optabis corpus teſtudine circuntectum? quale ipſæ habent teſtudines, ne doleas verberatus, & ne cogaris proficiſcens mercede in alienis domibus pernoctare. Memini quondam amicum meum de media plebe hominem in multorum cætu expoſtulare cum natura, quòd non aliquos nodos ventri indidiſſet, quibus aperiri claudique ad arbitrium poſſet, ſicut diplois, & lorica ſolet: nam ſi quid noxium hauſtum fuiſſet, ſtatim manu conuelleretur, ſimúlque inteſtinorum quotidie nobis vis atq; conditio perſpecta foret. Id audiens ex aſtantibus quidam dixit, ſi id fieret, ſe tunc ventrem armarij vel peræ loco vſurum: riſus conſequutus eſt omnium. Quum autem illi priori contradicerem, oportuiſſe omnem illum locum tectum eſſe & clauſum ad continendum ſpiritum, & ſanguinis fontes, & reliquos humores, & lubrica inteſtina, & vt caloris plurimum conterendo cibo haberet, vtereŕq; illo argumento, quòd ſi cui ventris locus vulnere vel caſu eſſet patefactus, medicorum ſartus manu reſtitueretur: adderem præterea multa illorũ interiorum iniucunda eſſe aſpectu, ideo naturam prouidenter ea ab oculis auertiſſe, hæc & talia quum dixiſſem, tamen hominem a ſententia deducere non potui, relinqueréque illum mihi fuit neceſſe qualem acceperam: adeo diloricatio illa ventris placebat, & ſibi acutè excogitata videbatur. Alius quidam contra ſcalas poplite grauiter offenſo maledicere cœpit naturæ, quòd nõ ſuram potius anteriori poplitis parte collocaſſet, quia illa muſculi mollitudo nullo penè dolore incidẽtes caſuum ictus exceptura foret: vides quàm elegantem cruris ſpeciem habere voluerit? omnino inepti & ridiculi homines iſta dicentes, attamen tolerabiliora ſæpius mihi videntur dicere, quàm ij, qui ferarũ corpora putant noſtris præſtare, magíſq; venerantur: ſimul & illud intelligere te volo, calumniari naturæ opificia doctis pariter atq; indoctis eſſe commune: quanquam doctis hanc artem exercere minus conueniat: nam ſi ad rationem ſingula reuocare voluerimus, inueniemus eos, qui aliquid commutari cupiunt de humanis corporibus, quærere id, quod fieri non potuerit, vel non debuerit, quia deterius vſu opus & aſpectu deformius reddidiſſet. Quid cõmonſtrem hoc loco pulchritudinem humani corporis? aperta res eſt: hoc vnum ſolum, quòd natura figuram noſtram arrexit ad cœli ſiderúmq; cõſpectum, tantam habet pulchritudinem, quantam cogitando conſequi vix poſſumus. Et tamen cõqueruntur lugentque, vt funebrem diem, qui illis natalis fuit, quia tunc flere contigit, cúmque fletum auſpicato fluere arbitrantur, quaſi vlla ſit cura modò genitis auſpicij

ducendi:

ducendi: qui vagitum edunt, vel quia de calentibus alui materni viſceribus elapſi frigore aëris inſolito verberantur: forſitan etiam, quia luce noua exterrentur: ſeu quia tenerrima membra duro obſtetriciæ manus contactu lædun tur. Iſti autem non ſatis prudentes, qui, quod naturalibus fit de cauſis, portenti loco ducunt. Et tamen in eo non commendanda non eſt natura, quòd lachrymas homini dederit, tanquam humanitatis indicia, ſicut riſum etiam addidit lætitiæ teſtem. Cur autem prius flere, quàm ridere hominem voluit? nam riſum dicebas ante quadrageſimum diem nemini contingere. Arduũ eſt id ſcire, credo tamen, quia melius fuit a luctu incipere, & in riſum deſinere. At iam illa tragica, nudum hominem & inermem natali ſuo nuda humo iacere, miſerando (vt ais) ſpectaculo. Si id ſpectaculum tabella pictum circunferres, maiorem etiam miſericordiam captares, quia nemo tollere de terra pictũ poſſet infantulũ, eúmq́; veſte tegere, quod in verè genitis cõtingit. Si antea ignotum eſſet, an poëtas legeris, nunc manifeſtum fieret te legiſſe, & ab illis ſumpſiſſe, quod modò reprehenderes: quandoquidem ipſi vipereorũ dentium ſatu ſegetem armatorũ hominũ inuicémq́; prȩliantiũ e terræ ſulcis ſubitò eduxerunt: eodem modo galeatam Pallada cum clypeo & haſta de Iouis fœcundo capite. Hanc tantam fœlicitatem illinc conſpiciens accuſas naturam, quòd in animali fingendo progreditur numero, nec ſtatim ad ſummũ peruenit, paulatim adijcit, paulatim etiã detrahit: ſic animalia nata augeri voluit, aucta ſeneſcere, ſeneſcentia interire, idq́; præſtantius fore credidit, quã ſubitò perfici, ſubitò derelinqui. Nihil autem repentinũ naturæ placuiſſe videtur, ſed progredi paulatim ſuum eſſe magis duxit: & eò magis hac in re, quòd diutinus ille labor educandi & inſtituendi genitos in ætate tenera, magis liberos cõciliat parentibus, & liberis parentes, efficítq́;, vt ſibi ipſis viciſſim cariores ſint. Homines autem vȩſtis, tecti, alimenti egenos in lucem protulit, vt hæc ipſa ſibi pararent: nã hac de cauſa ingenium, induſtriam, mentem, & manus inſtrumentũ illis contulit. Quapropter cenſenda ſunt illa omnia dona naturæ, quæ ſumendi viã nobis aperuit, & ad ſumendum inuitat. Quòd ſi imbecilliora geſtamus corpora, quàm nonnulla animalia, quid refert? quum hominis præcipua vis in corpore non ſit ſita, ſed in animo, quo rectè vtentes beluis quibuſcunq́; fortioribus ipſi imbecilliores imperamus: vigent in nobis ingenium, ratio, memoria, conſiliũ, prouidentia: hæc arma ſunt hominis, hæc tela, hæc munimenta, quæ exercere iubemur: his, ſicut meliores ſumus cunctis animantibus, ita iiſdem quoq́; efficimur validiores. Nihil aſpectu truculentius elephantis, nihil corpore vaſtius: attamen tantam molem tantúmq́; robur non modò cõgreſſu capimus & ſuperamus, verùm etiã præſtitimus, vt hæ beluæ ludum prȩbeant & voluptatem, dum circunductæ per vicos, & in theatris oſtentatæ ſaltant, choreáſq́; ducunt, & iaculantur porrecta, genúq́; flexo ſupplices adorant. Hoc ergo non ad detrimentum, ſed incrementũ acceſſit potius humanæ laudis, & miraculi habẽdum vice, quòd tam imbecillus homo reliquorũ omnium animalium tam latè viribus pollentium ſit ſuperior, quòd humanitas noſtra beluarum omnium ferociam comprimat. Non habemus quidem cornua, vt tauri: nec vngulas, vt leones: nec dentes, vt apri: ſed gladios, haſtas pila, ſcorpiones, baliſtas, & alia tormenta bellica, quæ violentiora ſunt arma, & ad vulnus faciendũ promptiora, & quæ non cominus tantum, vt illa beluarum, ſed etiam eminus feriant. Hæc

tam varia melius fuit poſſe, quandocunq; liberet, ſumere, & deinceps ponere, & rurſus diuerſa ab his alia apprehendere, quàm vna tãtùm innata habere, & ea etiam inualidiora: ſi nõ velocitate æquamus ceruos & lepores, eos tamen canum leuitate & miſſilibus aſſequimur. Quamobrem ipſa hæc animalium vis & velocitas, ſi paruo æſtimatur, obijci non debuit: ſin magno, auctiorem etiã reddunt hominis dignitatem, quum ea humanis viſibus deſeruiant. Equus & celeritate pollens animal & viribus, vtroq; talis eſt nobis: ſimiliter & canum fides, & audacia, & curſus, & narium ſagacitas præſto eſt nobis ad famulatũ, mulorum terga oneri ferendo aptiſſima, taurorúmq; duriſſima colla aratro traijciendo idonea humano parent imperio. Itaq; quod olim Fabricius Samnitium reſpõdit legatis aurum pollicentibus, ſi bello aduerſus eos abſtineret, nolle aurũ habere, ſed habentibus aurum imperare, venit nunc mihi in ore, vt idem ferè dicam, melius eſſe homini non habere velocitatem & robur animalium, ſed animalibus ea habentibus imperare: vt enim bona, quæ penes victos reperiũtur, nõ cenſentur eſſe ipſorũ bona ſed eorum, qui vicerunt: ſic ſi qua bona ſunt in animalibus rationis expertibus, hæc cẽſeri debent in hominum eſſe peculio, qui ipſis beluis dominantur. Quid igitur? num etiã nunc cenſebis hominem a natura inermem deſtitutũ fuiſſe, quẽ armatiſſimum illa produxit, nõ ſolum his armis, quæ ipſe ſibi fabricauit, ſed illis etiã, quę in beluis reperiũtur? ſiquidem earũ vim, robur, calliditatem, leuitatẽ ad vſus ſuos adiungit. An armatiora putabis animalia, quia coriorũ teguntur denſitate, & hirſuta villorum ſegete? quum tamen homo ferream induat loricam, munimentũ magis impenetrabile, quàm illa ſint omnia. Quòd ſi id paruũ putas, at illud non paruum, quòd ipſis etiã animalibus coria detrahimus, vt noſmet illis armemus & muniamus. Et hæc quidẽ ad ea, quæ de inermi homine obieciſti, dicta ſint. De nudo quid dicã? Mirum ſi nudus videri poteſt, qui ſic armatus producitur. Sed, vt de armato omittam dicere, mirum etiã illud, ſi vllum animal melius indudutum homine videri poteſt, qui nõ vnam tantùm gerit ſibi infixam veſtem, ſicut reliqua animalia: ſed in horã quãlibet mutat ſibi veſtem, ſi ita videatur, & aliam ſuper aliam adijcit, & eam varij generis & coloris: non enim propriã vllam habet, quæ hæreat cuti: Sed quodcunq; viſum eſt, extrinſecus ſibi aſſumit, & in veſtimentorum vſum cõuertit, & id ei proprium, quod delectat, & vſibus ſuis aptare poteſt: nam paſſim ei, vt domino, vagari permitttitur, & decerpere quod in rem ſuã magis facit: hinc etiam gemmis, margaritis, auro ornatur, pecudum etiã velleribus & ſetis velatur. Et quomodo animalia dicere poſſumus eſſe hominibus in veſte potiora, ſi indumenta ab eis erepta nos deinceps eadem geſtamus? ac ne eadẽ quidem, ſi quidẽ mangonica, fullonica, textoria arte meliora reddita, alia videri poſſunt. Sicut autẽ dicebã modò de armis beluarũ, vt ea in noſtrũ vſum collata ſint noſtra: ſic idẽ ſermo reuertitur, vt nequeant exiſtimari fœliciores beluæ ob earũ indumẽta hominibus, quia hæc ipſa nõ tam ſibi habẽt, quã ea nobis ſubminiſtrant. Equidẽ quò magis hanc rem mente retracto, eò magis ignoro, quomodo dici poſſit nudum hominem relictum, niſi forſitan eum in balneo conſideres, vel in lectulo cum muliercula cubantem: ſed cæteris tẽporibus quomodo nudus tot veſtibus circunſeptus? qui quaſi parũ habeat, quòd ſit bene velatus, vnguentis etiã perfunditur, vt grauiſſimũ ſpiret odorẽ. Pudet iam ſermonẽ ad pyxides, & calamiſtros, & texturas, &

monilia,

monilia, & zonas, & inaures deducere: ſed non te prçterit, quot, & quanta ad
munditiem, elegantiam, cultúmq; corporũ excogitata ſunt, quibus homines
perfruuntur, & præcipuè mulieres, quibus maior ſeipſas comendi, poliendi,
lingendi licentia permittitur. Sæpe videas earũ aliquas tam ſumptuoſo támq;
magnifico prodire cultu, vt multarũ villarum pretia ſecum ferant, & tãto plę-
runq; teguntur ambitu, vt corpus ipſum mulieris minima ſit portio eorũ, qui-
bus ornatur. Sed non ſolũ veſtibus homo, ſed & tectis, & muris ſe operit, atq;
tegit aduerſus imbrium, grandinis, ventorũ reliquarúmq; procellarum vim,
frigoriſq; & caloris iniuriam. Hæc & his maiora præſtitit homini innata ratio
manuum inſtrumẽto, quas in ſolo hominũ genere videre licet. Non enim Ana
xagoram ſequor, qui hominẽ ſapientiſſimum omniũ animalium dixit propte
rea, quòd manus haberet: ſed quia ad ſapientiam percipiẽdam genitum erat,
ideo donatę illi manus, velut inſtrumentũ, quod ſapienti animali adeſſe oporte
ret: non enim manus aliquid hominem docuerunt, ſed ratio illum ad ſapientiã
perduxit, quæ vſa eſt manuum inſtrumẽto, vt ea fierent, quæ rectè fieri poſſe
videbantur. Inſtrumentum ſanè hoc prçclarum atq; magnificũ, ad apprehen-
dendum natum, paci & bello idoneum, quàm enim hæ aptæ? & quã ad omnẽ
habiles motum, propter digitorũ diſtinctionem, & molles in ſingulis articulis
flexiones? Nullius tantũ ingenium, tanta cogitandi vis, quę manuum noſtra
rum ſtructura ſubtiliter inſpecta non defatiget, qui cõſiderans particularum
omnium ſitum, magnitudinem, figuram, numerum, connexionẽ, non in maxi
mam fabricantis naturæ admirationem rapiatur. Sed, vt rationem ſtructuræ
omittamus, & vſum contemplemur, illud, quòd manibus ſcribimus, quantum
eſt? nam quicquid ſcriptorum beneficio cõſequimur, quod certè eſt maximũ,
id quadam ex parte manibus debemus. Video humana penè omnia negocia
in vrbibus & opidis quibuslibet de ſcripto tractari: nã leges, pacta, fœdera, cõ
tractus, teſtamenta, iudicia publicis & priuatis tabulis mandamus. Ergo ciui
lis hominũ inter ſe vita & ſocialis concordia hoc manibus noſtris debet, quòd
earum operis facilius adminiſtratur. Notitia item artium omnium & diſcipli-
narum, quam ſcribendo homines retinuerunt & auxerũt, manuum eſt opus.
Similiter memoria nominis rerúmq; geſtarum, quæ literis cuſtoditur, & in ve
nientia ſecula propagatur, manibus quoq; aſcribetur, vt videatur vetuſtas tẽ-
poris rerum omnium cõſumptrix atq; deletrix virtute manuum noſtrarũ ſupe
rari. Viuunt nunc etiam manuum miniſterio, tot poëtarum, oratorum, phi-
loſophorum præclara ingenia: viuunt ſummorũ regum, ducum, populorũ am
pliſſima facinora: licet ductu manuum præterita ſecula & gentium omniũ &
animalium hiſtoriam cognoſcere. Sed quid non aliud manibus noſtris peragi
tur? manibus nanq; pingimus, ſcalpimus, teximus, ſuimus, ædificamus, neruo-
rum elicimus ſonos, pugnamus, fodimus, premim⁹, ſpargimus, iaculamur, ip
ſámq; naturã non modo æmulamur, ſed retroagimus, dum & vallium concaui
tatem implemus, & montium altitudinem cõplanamus, terras in maria immit
timus, a terris maria arcemus: imus in ipſius quoq; viſcera terræ, p̃cioſa quæ-
que illic metalla eruentes: his nauem, currum, rhedam, vehicula quæq;, his ly-
ram fiſtulam, tubam, his perpendiculum, his forcipem, his falcem, his ſerram,
his circinum, his tandem inſtrumenta omnia fabrilia compegimus. Præclarè
igitur Ariſtoteles, qui manum organum organorũ omnium eſſe dixit, quia per

eas illa effecta ſunt. Eadem æmulatione licet dicere rationem artem eſſe omnium artium, quoniã ab ea, tanquã ab radice, omnes artes demanarunt: & tamen hęc ipſa ratio, quæ plurimũ pollet, trunca ac debilis ſine manibus fuiſſet. Non egent manuum opera loquente lingua, ipſa enim per ſe loquuntur, quin ipſæ ſuis geſtibus manus linguã adiuuant loquentẽ, & ea tacente ſæpius illius exhibent vicem: idq; alijs manuum operibus poteſt, tanq; corollarium, addi, quòd per eas tacentes quoq; internos animorum motus ſignificamus. Melius forſitan fuerit hac in re Fabii afferre verba, quibus ille haud ignobilis eloquẽtiæ præceptor vtitur, & exiſtimat tandem hunc tacitum manuũ ſermonẽ omnibus gentibus eſſe cõmunem. His enim (inquit, loquens de manibus) poſcimus, minamur, ſupplicamus, abominamur, timemus, interrogamus, negamus, gaudium, triſtitiam, dubitationẽ, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiã, numerum, tempus oſtendimus. Eædem in demonſtrandis locis, atq; perſonis aduerbiorũ & pronominũ obtinent vicem, vt in tanta per omnes gentes & nationes linguarum diuerſitate hic mihi cõmunis hominũ ſermo videatur. Hæc ille quidem cenſuit. Veteres autẽ cogitantes omnia, quæ ferè in vſu vitæ ſunt, confici manu, manus nomine actionem denotabant. Hinc fortunã manu parãdam dixerunt, ideſt agendo & experiendo: quod etiã ad ſapientiam transferri poteſt, quia hæc quoq; opere & vſu paratur. Et hoc eſt forſitan, quod Anaxagoras ſenſit, quem nuper improbabam, dum ſapientiam hominis in manibus poneret: non enim ad verbum id, quod dixit, accipiendum, ſed quod ſignificabat intuendum: ſignificabat autẽ ſapientiam cõtingere opere, vſu, & exercitatione: idq; diceret, ſi cui cura eſſet loquendi apertè: obſcurius autem, ſed idem dicit, qui ſapientiam eſſe in manibus prædicat: erat enim ſapiens Anaxagoras, & ſapientium dicta tectiora ſunt. Sentio iiſdem de rebus me loqui ſæpius, & nunc fuſius, nunc anguſtius, prout hæc in dicendo occurrunt. Nam quid ratio poſſit in homine, & quid manus, dictũ eſt etiam (ni fallor) antea, & nunc repetere adductus ſum hac diſputatione: plura etiã de manibus dixi, vt oſtenderẽ quanto munere hominem natura donarit, quòd ei cõtulit manus, & quòd per eas nec nudus, nec inermis factus eſt, vt dicebas: vt enim ſemini ineſſe dicendum, quæcunq; vi ſeminis prodeunt, quod forſitan alio plenius dicetur loco, ſic quando natura homini manus dedit, tunc & veſtes & arma dedit & quæcũq; alia, quæ de eis tanquã de ſemine quodam eruuntur. Deniq; huc tendunt omnia, vt oſtendatur hominẽ præſtantiori conditione editum in lucem, quàm reliqua animalia. Si enim hominum cauſa illa procreata ſunt, vt nos dicimus & omnes antiqui philoſophi ſenſerunt, & res ipſa oſtendit, quàm ſtultum eſt ea quorum finis eſt homo homini non ſolum æquare, verũ etiam præferre: nam finis nobilior eſt omnibus his, quæ tendunt ad finem: niſi forſitan exiſtimas veſtem pretioſiorem eſſe humano corpore, propter quod illa fabricatur, & domum præfers habitandi vſui, cui illa deſeruit. Colligere autem iam licet ex ſuperioribus, quòd homo nec inermis, nec nudus eſt: & licet imbecillior ſit viribus, quàm reliqua animalia, hoc cumulat omnem laudem, quòd hæc imbecillitas ratione adiuta & manus inſtrumento ſuperat quancunq; beluarũ fortitudinem: quãquam adijci quoq; illud rectiſſimè poſſit naturam infirmiſſimas vires homini contuliſſe ad minuendum faſtum, deprimendámq; arrogantiã, ad quod potiſſimum animi libido impellit. A primordio orbis conditi (ſicut ſa-

cra refert hiſtoria, cui annales variarum gentium conſentiunt) natura gigâtes promebat in lucem & eorꝫ vitã in mille vſqꝫ annos propagabat, vt diſciplinas inuenirent, eáſqꝫ perciperent: pœnituit poſtmodũ feciſſe, quia exuerant omnẽ verecundiam, & in tantã eruperant licentiam, quòd carnibus veſcebantur humanis, & nefarios iungebant concubitus parentes cũ liberis, & cum ſororibus fratres. Itaqꝫ eluuies immiſſa terris diuinitus omne genus noſtrũ perdidit, praeter vnam Noë familiã, qui illo tẽpore iuſtus fuiſſe vnus perhibetur. Deinceps ſiccato ab aquis orbe natura ſtaturam noſtrã & vitam ad paruũ neſcio quid cõtraxit, vt nos etiam atqꝫ etiã modeſtiæ admoneret. Si recordari volueris, quinam ſint hi, de quibus ſit traditum monumentis, quod fas omne diuinũ & humanum peruerterint, cõtempſerint Deos, vel ipſis potius Dijs bellum indixerint, inuenies illos viribus valuiſſe. Itaqꝫ nõ expedit hominibus tantã corporis firmitatẽ, támqꝫ immẽſum robur dari: exemplis moniti ſumus, ſi id fieret, qui euentus ſequeretur: optimũ eſt de ſe modicè ſentire, & vnumquenqꝫ intra pellem ſuam (vt aiunt) ſe tenere. Et qua ratione factũ putas, vt parum quid ſcientiæ nobis ſubluceat? qua de re multa ſunt dicta antea, niſi quia hoc propoſitum fuit Deo, ne homo inſoleſceret: quã cauſam antea breuiter attigi, nunc quia locus admonuit, reprehendere, quod præteritũ tunc fuit melius fore cenſeo. Etenim ſi cogitare volueris diligenter, inuenies, quòd nihil tam incendit arrogantiam, & tam inflatum animũ tumidũmqꝫ reddit, quàm ſcientię opinio. Non cõducit igitur in vniuerſum humano generi omnia explorata eſſe, ſed ſatius eſt alia clarius teneri, alia quaſi per nebulam cerni, & tertia quædã penitus ignorari. Atqꝫ ita rectè hoc ſe habere vel illud indicat, quòd multis obfuit priuatim inſtructos fuiſſe maximis doctrinarum facultatibus. An nõ vides eos, quibus vberior affuit ſcientiæ vis, eadẽ feciſſe, quæ hi, quibus immenſum corporis robur obrigerat? Nam hi cõtemnebant Deos, dextram eorꝫ, gladium, vel quodlibet aliud telum, vt Deũ venerabantur. Iſti pariter confiſi ſibi ipſis ingenijſqꝫ ſuis Deos ſuſtulerunt, & nullum aliũ eſſe Deum, niſi corpus id, quod plurimũ conferret, exiſtimabant. Ergo hic ignem, ille aquam, alius aërem pro Deo ſibi habebat, & cæteris proponebat, prout vnuſquiſqꝫ opinabatur illud magis prodeſſe. Quidam ſolem omnibus præferebant: mundum natum eſſe fortuitóqꝫ regi iudicabant, vel ab æternitate ſic conſtare: qui ſermones impietatem valde auxerunt, effeceruntqꝫ, vt verus Deus ignoraret, qui tumido ſufflatóqꝫ animo inquirentes effugit, prodit verò ſe his, qui paruuli ſibi ipſis videntur. Arrogangantia igitur humana, non mediocria peperit gentibus mala, & in poſterũ pariet, & in hanc ne incideremus, multa machinata eſt natura. Inter cætera verò hoc quoqꝫ in cauſa fuiſſe dico, quòd morbis obnoxia dedit corpora: pertinet enim id ad cõtundendam arrogantiã: ſed ne altera ex parte ſequatur deſperatio, medicinam ad remedium cõtulit, non hanc, qua vtuntur iſti ex cõpoſitionibus & mixturis inexplicabilibus cõſtantem, ſed illam ſimplicem antiquiſſimã dico: qua ſemper omnes gentes vſæ ſunt & vtentur obſeruatis alicuius hęrbæ, vel radicis, vel fruticis, vel membri alicuius animalis viribus: qua in re nõ alibi magnificentius nec mirabilius natura opes ſuas oſtentauit: vndiqꝫ enim plena medicamentorꝫ omnia, nec mirum videri debet gẽtes id inueniſſe, quod etiam beſtijs cõmune eſt: ſiquidem illę quoqꝫ plura morborũ & vulnerum remedia ſibi inuenerunt: adeo medicinæ huius vſus latè patet. Quãquam ne illa quidẽ

cōmunia auxilia prætereunda ſunt abſtinentia cibi & potus, fricationes, vomitus, geſtationes, lauacra: quibus rite adhibitis ſæpius inſtans grauis morbus diſcutitur. Potiones verò iſtas nunc frequentes ſcrupulatim confectas mille rebus mixtis relinquamus his, qui ſibi tutum putant hæc ſumere, & alteri tradere: certè niſi ſumma vrgeat neceſſitas, his ſe cōmittere non eſt prudentiæ: ſunt enim pleraq; eorum venena, & ea maximè, quæ ad ſoluendam aluum ſpectant: quorum mali iam etſi contrarijs iniectis demoliri conentur, multū tamen adhuc ſupereſt, quod naturam humani corporis lædat: itaq; prudens quiſq; vel raro vtitur, vel præterit. Vniuerſam autem vituperare artem dementiſſimū puto: eſt enim maximè ſecundum naturā ipſa medicina, quę eò tendit, vt corporibus vel adducat neceſſaria, vel auferat redūdantia. Vidi ſæpe homines maximis liberatos malis, quibus ingemiſcentibus, & ſe affligentibus propter morborum vehementiam, & inſtantem iam mortē, ipſa medicina auxiliatrix præſto fuit, adeo vt non ſine ratione Herophilus inter vetuſtos medicos nomen cōſequutus dixerit medicamēta Deorum immortalium manus, quaſi diuino quodam cōtactu languentes omni dolore periculóq; poſito priſtinū robur conciperēt. Tu autem grauiter inuectus es in artem hanc, quia forſitan ægrotans incidiſti in medicum, cuius inſcitia lædere te valuit, non ſubleuare: atq; ita vituperatur medicina propter inſcitiam, quæ non artis eſt, ſed hominis artem profeſſi. Sed vide propter malum artificem artem affligere innoxiam temerariū ne ſit. Boni autem artifices dant operam, vt ægrotantibus proſint corporibus, ſi queāt, ſi nequeant, vlteriorem prohibent lapſum: in acutis tamen morbis, & ad perniciem trahentibus niſi occurratur, dubia & ancipitia adhibere remedia coguntur, nec de victoria ſemper ſecuri: non enim omnis morbus expugnabilis eſt: ſæpius etiam quod pluribus profuit auxiliū, id in vno aut in altero non reſpōdebit, ſiue repugnante quadam naturæ occulta vi, ſiue quia magna eſt inter ſe corporum varietas, quam in cunctis explorare humana nequit imbecillitas: nec ideo abijcienda omnino opera medici, quia non omnes profligat morbos: beneficium eſt, quòd plures expellit: quòd ſi reſtituere cunctos poſſet pro arbitrio, & hęc eſſet potentia artis, non ego hunc iam hominem, aut humana facultate inſtructum putarem, ſed Deum inter homines aſſeuerarem: huic, ſi talis fuiſſet vnquam aut foret, facile conſenſu multitudinis tēplum ſtatueretur: quāquam ſacerdotes Ægyptios auctor eſt Iſocrates ſumpſiſſe medicamenta tam tutò & iucundè, quàm cibus nunc ſolet: eam autem vim fuiſſe, vt propter illa magno cum corporis robore diutiſſimè viuerent: vtinam ea nunc haberemus. Nec diffiteri tamen poſſumus non fuiſſe plæroſq; ingenti vſos ſucceſſu in reſtituendis ægrotis: nam in collectaneis Suidæ memoratur Iacobus quidā Damaſcenus mederi ſolitus Leone imperante tāta auctoritate, vt ſi ægroto inſpecto cauſiſq; morbi pertentatis diceret illum euaſurum, omnes ſecuri eſſent de ſalute: ſin contra oſtenderet, præſtolarentur mortem. Eius erat hæc præclara vox, Debere medicum aut deſperare de victoria aduerſus morbum, aut ſi vinci poſſe ſperaſſet, manúſq; operi iniecíſſet, extemplo in melius inclinandū eſſe valetudinem decūbentis, nec ceſſandum niſi reddita ſalute. Nec in verbis illi erat res, ſed quod loquebatur, præſtabat: nam omne morborū genus vel ſtatim, vel paulo poſt de corporibus inualidorum ſuis auxilijs excutiebat: vulgo itaq; σωτήρ, ideſt Seruator nuncupabatur. De Aſclepiade verò Pruſienſi, quē

nomina-

nominatim tu quoq; quodam loco appellaſti, quid dicis? an non mirabilis ille, qui caſu obuius homini ad rogum elato intellexit viuere eum, qui efferebatur, iuſſúmq; referri ſeruauit? Idẽ pharmaca hæc remouens ſtomacho inimica fertur mollioribus remedijs languidos ad valetudinẽ perduxiſſe. Quin (vt Celſus ſcribit) luxuriæ cubantiũ ſubſcripſit: nam balnea, & vina eis cõcedebat, ſuſpendit lectulos, vt eorũ iactatu vel morbos extenuaret, vel ſomnum allice-ret, dicere etiã ſolebat, quod a te quoq; relatũ eſt, Officium medici eſſe, vt tutò curet, vt celeriter, vt iucundè: quod ille nunquã dixiſſet, niſi operam auxiliantem habuiſſet, quum verbis remedia nõ parentur, nec cõtingat eloquentia & dicendi facultate morbos ſuperari. Vetuſta hæc, ſed nõ multo ante audio e finitima hac nobis Pedemontana regione extitiſſe quendam Iuuenalem nomine, qui contraria ratione, quàm cæteri omnes, languentibus opem ferre ſolebat. Nam primis quoq; diebus epulari eos iucunde volebat, ne vires minuerẽtur, carnium eſu viniq; potu non interdicto: nec intra tenebras cõtinebat, ſed lucem excipere patentibus feneſtris iubebat: pharmaca omnia mirum in modum deteſtabatur, tanq; non minus ægris corporibus, quàm ſanis nocerent: miſſionem ſanguinis tanquã animæ, horrebat. Ipſe aliis excogitatis auxilijs febres intra paucos dies depellebat, aſſerens febricitantium neminem ſine medici vitio perire, vulnera inſuper manu illata omni magico cantu velocius & potentius reſtituebat. Et hæc quidem ille gerebat ſumma medicorũ omniũ, & pharmacopolarum inſectatione, quorũ inſidiis vita eius ſæpius veneno petita, quoniã veterem medendi rationẽ obtereret, & tabernas pharmacorũ tolleret, & mutato auxiliorũ vſu verebantur, ne vllæ ipſis in medicina partes relinquerentur. Hæc non dicerem, quia minus forſan credibilia, niſi niterer teſtimonio honeſtiſſimorũ propinquorum, qui hominem viderant & nouerant. Librum etiam vidiſſem mirabiliter ſcriptum, quantum ego in talibus intelligere poſſum, cuius præceptis ille adiutus tanta peragere exiſtimabatur. Nec mirũ ſane videri debet, quod de improbitate reliquorũ medicorũ aduerſus hunc hominem dixi ſuperius, ſi cogitare voluerimus quanta ſe perpeſſum Romæ Galenus ſcribit ab eiuſdem artificij hominibus, dum eorũ gloriã & auctoritatem magnitudine ipſe curationum obrueret, & quaſi altitudine ſciẽtiæ reliquorum luminibus obſtrueret. Erat enim vnus ex ijs Galenus, qui non verbis, ſed opere in ægrotis reſtituẽdis admirabilem ſe præſtaret: quãquã ne verba quidem huic viro deeſſent, quod multitudo librorũ prudenter ab illo ſcriptorũ oſtendit. Quòd ſi tibi nunc morborũ curatio minus fœliciter cedere videtur, quã antea, quum tales medicina haberet præſides, exiſtimare potes hominũ id cõtingere deſidia, liuore, imperitia: ipſius autẽ artis diſciplinæ ineſſe illa omnia, quæ olim cognita nunc minimè tenentur. Sic minus naturã culpabis, quæ ſatis largè vel prodigè potius opes ſuas ad incõmodorum remedia profudit. Fatendum eſt autem nullius artis ingenio homines effici poſſe immortales: non enim poſſumus rapidiſſimum illum generationis & corruptionis fluuium ſiſtere, qui non minus ineſt nobis, quàm reliquis omnibus: id ſi quis poſſet, immortali efficeret homines beneficio, ipſius ſcilicet immortalitatis: ſed ſi id fieri nequit, quis iure incuſet medicum, quod fluxam labilémq; materiã cupientem cõmutari, & properantem aſſiduè ad nouarũ indumenta formarũ non frænauerit? quòd cauſas corruptelæ, interitúſq; omni genito corpori innatas nõ abſtulerit?

ſtulerit? Et cauſas tu quidẽ aperuiſti, cur frequenter morbi graſſentur in corpora, ſanitas autẽ omni ex parte raro adſit, quæ omnia cõfirmare facillimè poſſum: nam nihil nocent propoſitæ quæſtioni, & ingenioſe dicta confiteor: quãquam non modica egent declaratione. Nam quod dixiſti ſanitatem in quadã temperatione æquabili humorũ quatuor, ſeu quatuor illarum qualitatum calidi, frigidi, humidi, ſicci cõſiſtere, laudo, tanquã & vera & antiqua dogmata ſequaris. Sed quod deinceps ſuppoſuiſti, nos in morbos facillimè incidere, quia difficillimũ ſit medium illum & tẽperatum habitum ſeruare, hic videndũ eſt, ne humanum genus perpetuis morbis ſubdas, ac neminem ſanum cõſtituas, ſi ſanitatem ipſam in quadam inſectili & indiuidua parte poſitam velis, a qua ſi mulac aliquis exciderit, ſtatim in morbo ſit: quis enim tam fœlix, vt id punctũ attingere, & in eo perſiſtere poſſit? Ego verò non ita in anguſtum ſanitatẽ traho, ſed habere latitudinem exiſtimo quandam, & eam quidem non paruã. Duplex enim proportio, quæ græcè συμμετρία dicitur: vna optima, perfecta, abſoluta, quæ verè tali digna eſt nomine: altera, quæ ab huius perfectione aliquantulum declinat, & nihilominus idem retinet nomẽ, quia modicũ defectum nec dij, nec homines (vt ita loquar) curãt. Itaq; ſumma illa & exacta humorũ proportio, quæ ſanitatem conſtituere dicitur, neſcio an alicubi inueniatur, intelligi magis & cogitatione informari, quàm re ipſa oſtendi poteſt. Hæc autẽ, quę ab illa eatenus deficit, vt animali non ſit grauis, paſſim reperitur. Hæc efficit, vt homines plærunq; ſani eſſe dicantur, & raro ægrotare: nam ægrotatio non perpetuò ſubſequitur, vbi ab illa temperationis regula exciditur, ſed non niſi plurimũ ab ea excidatur, tantò autẽ quiſq; eſt magis ſanus, quantò ſibi magis cum illa ſumma abſolutáq; proportione conuenit: tantò autem minus, quantò longius ab ea abeſt. Ex quo alterum altero ſaniorem fatemur: ſi quidẽ non quicunq; oculis ſunt ſanis, æquè vidẽt, ſed alius alio acutius cernit, & perſpicacius. Nec pari modo integris auribus audiunt omnes, ſed hic quoq; ſenſus magnam recipit diuerſitatem, alijs liquidò, alijs obtuſe audiẽtibus. Sed nec pedibus ſimiliter currunt, nec manibus apprehendunt, nec reliquorũ membrorũ officio vtuntur: ſed in his quidam cæteris fœliciores videntur. Hæc agendi diuerſitas, quæ ab ipſa corporis tẽperatione, quã ſanitatem vocamus, proficiſcitur, oſtendit, quòd etſi omnes ſint ſani, eos tamen magis eſſe ſanos, quorũ actio ad naturæ ſtatũ accõmodata, validior eſt & potentior. Itaq; in vniuerſum ſenibus iuuenes dixerim eſſe ſaniores, quoniã ipſi magis validè fungũtur naturali membrorum munere: illos etiã, quibus datum eſt, vt acutè videãt, aut audiant, aut velociter currant, magis eſſe ſanos, quàm eos, qui hæc eadem munia imbecillius obeunt: non enim imbecillitas functionum in morbo ponenda, vbi a naturæ cõſtitutione non recedit. Differt igitur ſanitas vnius a ſanitate alterius non ipſa cõmuni forma, vnde dicta eſt ſanitas, ſed maioris minoriſue diſcrimine: quo fit, vt non abſurdè dicatur, imo ita dici vera ratio cogit, quòd in hæc maior, in alio minor ſit ſanitas: & hac cogitatione pluris ſit hæc, quàm illa, quãuis vtraq; ſanitas ſit. Quod ex eo indicatur, quia ſi ſanitas in tẽperatione quadã conſiſtit, ſiue humorũ, ſiue elementorum, ſiue qualitatum illarum, quæ ab ipſis elementis proficiſcuntur (nihil enim refert quomodocunq; hoc dicatur) certè tẽperato tẽperatius aliud inueniri poteſt: quod in cithara animaduertere licet, quam ſibi aliquis ſæpe temperaſſe videtur, vt ea rectè cõcinat, & tamen ſuper

ueniens

ueniens alius magis exactè temperabit ad melioremq́ conſonantiã deducet. Ex quo colligitur eſſe in temperatione latitudinem quãdam variis diſtinctam gradibus, licet illa abſoluta & ad vnguem exacta temperatio vnica ſit & indiuidua: ſed non eſt ea vulgaris & popularis, & ad vitæ vſum minus aptari poteſt. Quamobrem ſi in corporibus variæ ſunt temperationes, variè etiã valemus: erit duorum pluriúm ue valetudo, in quibuſdã melior, in quibuſdam deterior. Nec tu hoc loco inuidia onerabis naturam, quaſi bonam corporis cõſtitutionem in anguſtum deduxerit, vt niſi quis ſummam illam & acrem temperationem fuerit conſequutus, vel ab ea paululum exciderit, cõtinuò ſit in morbo: non enim morbi naſcuntur, niſi vbi plurimus ſit defectus ab illa iuſta temperatione, ita vt altera pars manifeſtè alterã iam ſuperet & premat, & detrudere moliatur: hoc autem nõ ſæpe contingit. Quamobrem ſi generatim inſpexeris hominũ ſtatum, intelliges eos maiore vitæ parte rectè ſe habere, raro autem in ægrotationes incidere, quas tamen medicinæ beneficio plærunq́ depellunt. Optimam quidẽ temperiem in ætatibus adoleſcẽtia obtinet, quouſq́ ad ſummũ robur peruenerit, quod annis circunſcribere haud facile eſt: attamen a trigeſimo id contingit anno vſq́ ad trigeſimũ quintum. Poſt illa robur imminuitur omnibus, non tamen hi ſanitatem amittunt: tametſi minus hanc, quàm antea laudabilem habent: attamen habent, non vſq́ ad ſenectutis initium, ſed in ipſa ſenectute tota: quã tu, ſequutus vulgaria verba comicorum, per ſe ſolam morbum eſſe dixiſti, non rectè: nã ſi nec dolore vllo anguntur ſenes, nec vllam actionem earum, quibus ad vitæ munia vtimur, amiſerunt, aut omnino imbecillam habent, ſani ſunt ea ſcilicet ſanitate, quæ ſenibus congruit. Quòd ſi tibi ſenectus plurimis morbis tentari videtur, memento, quòd ne hos quidẽ adoleſcentia, quam optimã eſſe ætatum diximus, effugere poteſt: ſimul & illud occurrat animo, quòd turpis & intemperans adoleſcentia effœtum corpus tradit ſenectuti: itaq́ ipſa defectio virium & morborum fœditas adoleſcentiæ vitijs ſæpius efficitur: multorum autem cruda fuit & viridis ſenectus, eorum ſcilicet, qui quum ab initio valetudinario corpore nõ eſſent nati, omni poſtmodũ tempore ſanitatis tuendæ curã ſuſceperunt, quod etiam medicina præceptis ſuis præſtat: non enim hoc vnum tantũ medicinæ beneficium debemus, quòd morbos affligit, verùm etiã illud, quòd ſanitatem tuetur: natura enim id prius, & propoſito melius, præſentẽ tueri valetudinem, quàm amiſſam inſtaurare: vtrunq́ autem huius vnius artis eſt munus, quæ curando corpori præſidet, & ſanitatis cognitionem ſola profitetur. Contrario tamen hęc duo ab ea adminiſtrantur officio: nam in altero præſentẽ corporis ſtatum conſeruat, in altero immutat: quæ enim corpora ſecundũ naturam ſe habent, his ſeruari cuſtodirić ſuũ habitum decet, & quæ morbo aliquo premuntur, his contra turbari, & ad cõtrarium habitum trahi expedit. Ægrotant autẽ homines nõ ſolum ob proprium corporis ſtatum, ſed ob vicioſam victus rationem, dum aut in deſidia vitã exigunt, aut nimium laborant, aut in ciborum qualitate, quantitatéq́, aut tempore peccant, aut exercitium aliquod noxium obeunt, aut in ſomni modo, aut veneris immodico vſu offendunt, aut etiã ægritudine animi curiſq́ parum neceſſarijs afflictantur. Homines igitur, qui non ſunt in vitioſo corporis habitu, & tamen in morbos inciderent, niſi a ſuperioribus delictis cauerent, cõſeruat medicina illæſos, ſi eius præceptis paruerint: quãquam non ignoro philoſophos etiã

de iſtis

de iſtis ſcriptitaſſe, quos tamen magnificare par non eſt: nam quum ſint maximæ in corporibus varietates, maximæ differentiæ, ipſi ita de valetudine tuenda loquuntur, ac ſi omnibus eadem conuenirent, vel de vno tantùm homine in ſanitate tuendo ageretur, & quod deterius eſt, quum ne vnũ quidem oſtendere poſſint, quẽ morbis antea implicatũ ipſi deinceps multis annis doctrinæ eorum parentem omnis morbi expertem reddiderunt, nihilominus valetudinis tuendæ artifices videri volunt: & tamen cõueniebat eos prius, quàm ea ſcriberent, non vnũ, ſed multos in omni integritate ſeruaſſe, vt non ſermonibus, quos facile effundere potuerunt, ſed opere ipſo peritos ſe eorum oſtenderent. Ergo medicorũ hæc omnis eſt prouincia, qui naturales corporũ differentias tenent, & vnicuiq; ſalubrem victus rationem præſcribunt: non enim contenti ſunt cõmunia ſolum inſpicere, ſed propria quæq; ſpeculantur: nam quædã, quæ omnibus ferè proſunt, quibuſdam nocent: quædam certo adhibita modo iuuant, vel lædunt, quæ ſi paululum immutaris, cõtraria officia pręſtabunt, prout ſe habet corporũ captus, ad quem omnia aptanda ſunt. Nec, ſi qui medici ſunt, qui nec ſe in ſanitate tueri, nec a morbis protegere potuerunt, ideo oſtendi poteſt nullam eſſe huius rei artem, imo & ea eſt, & non prodeſt medico; vel quia ignorat id, quod profitetur, vel quòd ob intemperantiam præceptis ſuis parere neſcit: non enim ſola ratio aut cognitio probitatem morũ adducere poteſt, ſed contentione opus eſt & exercitatione non parua, vt animi partes temerariæ pręmantur, & tanquã extra ripam deffluentes coërceãtur: hinc mores dicti ſunt, quòd tales ſint, qualibus quiſq; aſſueuit. Turpe eſt autẽ audire medicũ, Medice cura te ipſum. Quòd ſi fatetur, quemadmodũ multi faciunt, ſibi ipſi poſſe auxiliari, ſed non poſſe ex artis regulis viuere, turpiſſimè ſe defendit, intemperãtiam profeſſus: nam turpe minus inſcitiæ crimen, quod euadere conatur. Et hæc quidem pro medicinæ defenſione affero, quã tu oppugnas: hanc enim hominibus vtilem exiſtimo: ideo in ipſa permanendum vita, poſtquã aduerſus eius incõmoda tot fulta præſidijs, tanta munita fauore ſalutiferæ artis, cuius inuentionem veteres Dijs immortalibus cõſecrarunt. Nec ideo fit tamen, quin inueniantur nõnulli, qui tam firmo corporis polleant habitu, & tam diligenti animaduerſione vitam eorũ cõpoſuerint, vt nunq; eguerint medicina, quãuis longius in ætate progreſſi, nec mirũ id in prouincijs cõtingere quibuſdã hominibus ſeparatim, quod in vniuerſo humano genere natura nõnullis gentibus generatim cõceſſit. Nam iugurtinæ auctor hiſtoriæ ſcribens vitã, mores, cultus Aphrorum, quibus ipſe præfuit, aſſerit genus illud hominũ ſalubri eſſe corpore, adeo vt ſenectus eos diſſoluat, niſi qui ferro aut beſtijs interierint, morbo verò haud ſæpe quenquã ſuperari. At dixit ſapiens quidam optimũ eſſe homini nõ naſci, proximũ quàm citiſſimè aboleri, hãncq; ſententiam pro magno munere neſcio cui regi obtulit, qui quanti munus id fecerit, ipſe viderit. Ego ſibi id munus habere iuſſiſſem, quia natũ me gaudeo, nec tam cito deleri vellem. Scio enim antequã naſcerer non fuiſſe: ideo quomodo optimũ mihi erat ſic eſſe, qui non eram? nã bonum ipſum & malum nõ proficiſcitur niſi a ſenſibus, quos qui nulli ſunt non habent: e nullo igitur aliquẽ fieri nonne in bonorum parte ponendũ? poſtquã autẽ natus ſum, hunc ſtatum tueri debeo, in quo me natura collocauit, donec eadẽ me ab illo abducat: & ſi quid aduerſi contingit, id placidè tranquilléq; ferendũ, tantùmq; abeſt, vt vanos horrere debeamus ſtre

mus ſtrepitus tanquam aues, vt ne ictus quidem ſint extimeſcendi: quin potius lætandum occaſionem tunc traditam oſtendendæ virtutis. Hac via proceres iere Romani, hac græciæ ſapientes, hac religionis noſtræ Antiſtites, quos pia, fidelis, conſtans malorum omnium perpeſſio Deo iam coniunxit. Vitam autem execrari, hominum eſt parum prudentium, qui ſpe & re deſtituti ſunt, vel qui animos adeo effœminarunt, vt nec laborem nec dolorem ſatis aſpicere poſſint, ſed & adſunt multa vnicuiq; in vita iucunda & ſuauia, quæ valeant intercurrentes moleſtias diluere & incõmoda ſubleuare. Enimuero vel hæc, quæ communia ſunt, erigere animum deberent cogitantibus, quòd non brutum quoddam animal, ſed homines ſumus rationis compotes, & (vt poëta inquit) cœleſti ſemine oriundi. Illud etiam cogitandum, quòd ſol iſte candentiſſimis lucis ſuæ radijs vitalem nobis calorem temperat, & colores rerũ aſpectibus noſtris incendit: luna orbem ſuum modò contrahens, modò dilatans, hanc tantam luminis ſui varietatem nobis miniſtrat, & alio atq; alio aſpectu ſe aſſiduè proferens nobiſcum quodammodo ludit: ſideraq; alia innumera lucis pleniſſima in noſtri gratiam toto cœlo diffuſa niteſcunt, & denſas noctis tenebras aliquo luminis ſplendore ſolantur: ſed diffindi ſe quoq; tellus inuertique patitur, ſuſcipitq; tum tritici, tum variorũ leguminũ benignè ſemina, eaq; reddit multiplici cum fœnore: arbores vbertate pomorum grauantur, fœtúſq; ſuos exhibent diripiendos, quos etiam profundunt diuerſos diuerſo tempore anni, vt nouitate ſemper cibi delectemur, & copia. Eodẽ modo cogitare poſſumus tantam multitudinem piſcium, tantam auium epulis delicijſq; noſtris ſubſtratam eſſe: beluas etiam quadrupedes, veluti equos, mulos, aſinos, ſues, boues, atq; oues, vſibus noſtris quotidie paratas, his vehimur, aramus, veſtimur, alimur: quin etiam in feras agreſtéſq; beſtias dominatum tenemus, quas ſæpius domamus, & depoſita feritate cogimus tanquam ſeruos bene inſtitutos dicto audientes fore. Adiice huc tantam aquarum vbertatem ex mari, ex cœlo, ex fonte, ex flumine, ex puteo, ex niue, ex glacie, ex lacu, ex palude, quibus irrigantur arua, abluuntur corpora, ſitis ſedatur. Hæc & infinita alia, quæ cogitationibus ſuis vnuſquiſq; ſubiicere ſibi poteſt, perſequi autem exactè ſermone nimis ocioſum eſſet, quum vitam hominum tantopere exhilarare valeant, neſcio cur ſimulac aliquis introductus ſit, aufugere feſtinet, tanquam ex incendio, vel tanquam ſi in auernum aut lernam aliquam perueniſſet. Contra videtur, quòd natura hominem huc induxerit, tanquam ad diem feſtum lætè fauſtéq; celebrandum: quæ enim pictura? quod nauigium? quæ ædificatio? quæ exercitus inſtructio? quæ auis, vel fera multicolor? quæ textura formarũ? quæ populorum pompa? qui regum apparatus? quod deniq; aliud natura editum, vel arte elaboratũ tantam habere poteſt pulchritudinem, tam egregiam diſpoſitionem, varietatem tam depictam, quàm vniuerſum hoc naturæ opus, ad quod ſpectandum contemplandúmq; inducti ſumus? nam & illa multa præclara complectitur, quæ miramur in partibus. Tum verò elementa ipſa, e quibus oriuntur omnia, & in eadem deſinunt, præter animos diuino munere nobis donatos, præſtantiſſima ſunt, & pulcherrimè diſpoſita inueniuntur. Forſitan ſi de mundi huius pulchritudine narrandum quidquam poſtmodũ fuerit (quãquam iam multa dicta ſint) illam ante oculos mentis qualicunq; ſermone ponemus, quò minus pigeat huc veniſſe. Sed & illud oſtendit, quòd natura

ad læta quoq; produxit, quòd vni ex cunctis animantibus homini riſum aſcripſit lętitiæ comitem, quódq; generoſum bacchum dedit, vt lætitiam augeret: addidit quoq; muſas, vt cantus ſui dulcedine mulcerent, ad choreáſq; & tripudia cum ſumma animi exultatione impellerent. Credo item tot florum colores & odores, quibus contextis olim conuiuas coronari mos erat, nobis ad iucunditatem fuiſſe propoſitos atq; donatos, non ad męſtitiam: nam nefas eſt in luctu coronatum videre. Quid feſtos perſequar dies? quos omnes gentes, populi, nationes aſſiduè in honorem Deorum celebrarunt, diuerſa quidem religione, eodem tamen propoſito, quo ſcilicet ſtatis determinatíſq; temporibus reuocantes ſe, liberos, familiam ab opere & labore, agant hilare atq; lætè cum ſuis, cum amicis, cum ciuibus, in epulis, ſacrificiis, canticis, atq; omni alia ſolemni pompa, quam mos patrius requirit. Hæc, quæ in memoriam celebrantur Deorum, impellente natura, Dijs ipſis iubentibus, implent mentes lætitia, atq; adeo peraguntur cum ſummo gaudio & cum ſumma gratulatione bonorum, quæ illi nobis dederunt. Cõmemorém ne hoc loco tantam, & tam variam rerum copiam humano ingenio repertarum? quarum etſi nonnulla faciant ad fulciendam vitam, veluti lanificium & agricultura, plura tamẽ creandæ eliciendæq; voluptatis cauſa excogitata ſunt: quò enim ſpectant ſtatuæ? picturæ? tot vaſa ex ebore, auro, & argento deducta, variè etiam cælata? tam lauta ſpatioſáq; ædificia? tot veſtimentorum genera, tam floridè contexta? tam frequens gemmarum & annulorum vſus? niſi ad oculorum voluptatem, dum hæc vel habemus ipſi, vel in alijs ſpectamus. Quid porrò ſibi volunt theatrales fabulæ, hiſtrionum motus, reliqua ſcenica ſpectacula ludorum, ferarum, gladiatorum, & aliorum certaminũ, niſi vt his ſpectandis lætitia afficiamur? At robuſtioris operis venatio quantam fert voluptatem, dum truculentas etiam beſtias ex ſuis luſtris, & latibulis elicimus, & conficere ſtudemus vel laqueis irretitas, vel venabulis tranſfixas, vel canum occurſu diſcerptas? Et hæc quidem peragimus cum voluptate in terreſtribus, aduerſus quæ cõſiſtere poſſumus. Aues verò toto fugientes cœlo, quò non datur aſcenſus, ſuauiſſimum eſt, quòd per alias aues edoctas captamus, & cantu quandoq;, vel viſco, vel quali bet alia arte fallimus. Nõne etiam multas ex his garrulas, atq; depictas caueæ incluſas animi cauſa domi educamus? Quid? quòd hoc venandi ſtudium adeo plærosq; tenet, & eos præcipuè, qui fortunis & opibus ſunt beati, & inter principes, vt moleſtiſſimè ferant & mulctæ loco habeãt, ſe ab hoc munere quãdoq; ad alia interpellãtibus negociis auocari? Iam verò quot muſica organa inuenta ſint ad lætitiã auriũ, tuũ eſt dicere, qui huius artis peritiã profiteris. Ego verò ad eas oblectandas varios elocutionis ornatus, nagnam diuerſorũ carminum vim, et plura in verbis & literis cõcinna ſcio ab ingenioſis hominibus excogitata fuiſſe: nec noſtra ceſſarũt ingenia in perquirẽdis dimenſionibus & numeris, meatúq; & ordine ſiderũ, vt his cõtemplandis tanquã dulciſſimo pabulo mens foueretur. Pudet reliquis inſiſtere, quæ voluptatis gratia machinata eſt hominum ſolertia: nã non modo ſuperflua, verum etiam periculoſa ſunt atq; adeo pernicioſa, niſi quis a nimio eorũ vſu cauerit: perſpicuũ eſt enim, quò iam lenocinia vnguentorũ atq; ciborũ proceſſerint, quoue cõtrectandorũ corporũ libido euaſerit. Et quomodo nõ eſt voluptuoſa vita, quũ in quibuſdã plus voluptatis ſentiat, quàm oporteret? Quum igitur tantas in hominum vita natura immiſerit

ſerit

ſerit voluptates, tantas ipſi homines inuenerint, protulerint, cur quiſquam, antequam eiuſdem naturæ imperio reuocetur, exire de ea velit? triſtium ne cauſa? ſed dicet natura ſe iucunda multa, læta, hilara propoſuiſſe, quæ detinerent. Et hæc quidem vniuerſorum ſunt. Priuatim vero: quis non habet cauſam lætitiæ? huic robur contigit corporis, illi nobilitas generis, alij gloria nominis, ſunt quibus affluant diuitiæ, quibus adſit vxor ex ſententia, quibus amicus fidelis: nemo nō habet aliquid præcipuum, plura etiam optanda cum multis communia. Vbi verò aduerſi aliquid infrenduit, tunc grauiter ingemiſcimus, damnatis etiam, quæ habemus, bonis, perinde ac pueri, quibus ſi dederis quædam ludicra, quibus delectentur, mox vnum eorum abſtuleris, vel leuiter ipſos pungas, omnia proſternunt, & in luctum clamoréſq; ſe conijciunt. Prudentes verò nihil minus, ſed obruunt moleſtias impendentium calamitatum recordatione bonorum, quæ habent, & quæ aſſequuti ſunt: ideo non pœnitet viuere, aut etiam vixiſſe: vt enim odoribus vtimur ad depellendam graueolentiam & tetrum halitum quarundam rerum aut locorum, ſic ad deturbandam ęgritudinem animi de malorum opinione naſcentem læta omnia noſtra & iucunda ex aduerſo collocare oportet: ſic fiet, vt illa moleſtia nihil, aut vix ſentiatur. Placet non mediocriter Antipater Tarſenſis philoſophus inter ſtoicos illuſtris, qui ſupremo eius die enumerans quę viuenti obtigerant bona, in illis proſperam nauigationem e Cilicia in Athenas retulit. Plato gratias agebat Deo, quòd homo, quòd in græcia, quòd Socratis natus eſſet temporibus. Noſtra autem ea plærunq; eſt arrogantia, vt nihil niſi imperia gentium, & triumphos in bonorum parte libeat collocare: & quum plærunq; ex indoctis docti, ex ignotis noti, ex inopibus opulenti redditi fuerimus, ſi aduerſi mox quid incidit, ferre nō poſſumus, tanquam omnia ſimul amiſerimus, & nihil antea boni fuerit collatum: propterea vitam nihil de nobis malè promeritam deteſtamur, iraſcimur etiam aduerſo caſui, quanuis illi ira noſtra nihil ſit curæ: melius eſt arte ipſum corrigere, vel vt minus noceat, vel etiam, vt proſit, atq; ita pro re nata vti præſentibus. Quod præſtitit Thucydides, qui bello peloponneſiaco imperator Athenienſium delectus, quum deinceps ab eiſdem exilio foret mulctatus ob rem malè geſtam, Æginámq; ſe contuliſſet, exilij ocio vſus eſt ad hiſtoriam eius belli componendam, cuius admiratione ciuium ſuorum ſuffragijs in patriam poſtmodum fuit reſtitutus. Si exilio iratus nihil ſcripſiſſet Thucydides, nec nomen apud poſteros vllū inueniſſet, nec calamitatem exilij depuliſſet. Haud diſſimili ratione Cicero noſter, quum ſub vnius Cæſaris poteſtatem recidiſſet Romana reſpublica, & iam vacaret ille a forenſibus ſenatorijſq; muneribus, quibus antea ſe exercuerat, ocium illud in id contulit, vt ſententiam diceret, & concionaretur in libris, ea ſcilicet tractando, quę ad philoſophiam pertinerent. Non malè Epictetus ſtoicus, qui vnumquodq; dixit habere duas anſas, vnam aſperam, duram, intractabilem: alterā habilem, lenem, aptam: ab hac præcipiebat rem eſſe capiēdam, & tollendam, relicta altera. Petens magiſtratum repulſam tuliſti, non eſt tibi capienda hæc repulſa ab ea parte, qua priuaris honore, vel aliquo alio ſperato commodo, ſed qua tranſmitteris ad honeſtum ocium, in quo viues vt velis ſine interpellatore: vel reuocaris ad curam rei familiaris. Imminet paupertas: præclariſſimam habes anſam, qua feras, ſecuritatem ſcilicet animi atque tranquillitatem, quia

nec ſeditionis tibi vlla erit cura, nec metues imperia principum, nec acerbiſſimas tributorũ exactiones, nec miniſteria in ciuilibus negotijs: deniq; inuidia, periculis, inſidiis carebis: præter hæc ſecundus id tibi flatus ad philoſophiæ portum & ad omnium rectarum diſciplinarum littora, quo quid contingere poteſt præclarius? Quum Romæ caſu Capitolium deflagraſſet, id ab ea parte accepit populus Romanus, vt exiſtimaret flammam illam extitiſſe diuinitus, non quæ templum deleret, ſed quæ magnificentius, ſublimiúſq; depoſceret. Et accuſare quiſpiam audeat naturam, quum nihil illa in hominum immiſerit vitam, quod non alicunde ferri tollíque poſſit? vocare libet nouercam, quæ tam benigna eſt mater, vt eos etiam, qui mallent non fuiſſe, eſſe tamen patiatur, & diem his miniſtrat, qui lucis huius conſpectu indigniſſimi ſunt, illorũ parcens amentiæ ingratitudinis oblita? Inter cætera verò huius beneficia hoc quoq; poſuerim, licet id tu vt maleficium incuſaueris, quòd huius ipſius lucis relinquendæ finem incertum eſſe voluerit, & nobis penitus incognitum: nam quoniam neſcimus, quando & vbi moriendum ſit, ſpe trahimur longius viuendi, pollicemur nobis ſenectutem & plurimos annos. Et in iuuentute quidem minus mirum: ſed ne vllus quidem tam decrepita ætate eſt ſenex, qui non ſperet ſe per annum adhuc victurum: ſic fruitur vitæ gaudiis hoc ipſo, quòd dies mortis incertus eſt, qui ſi præuiſus appareret, valde turbaret: anxius eſſet, & ſolicitus animus, proponens ſibi quotidie quantum abeſſet ab extremo. Quòd ſi etiam alicui durum & acerbum immineret mortis genus, quanto mærore hominis illius vita tabeſceret? an non is ante mortem ſæpius moriatur? Plæriq; autem prudentiores diuerſa ratione vtuntur: nam quia latet dies vltimus, vnũquenq; diem obſeruant tanquam vltimũ, & ſi non ſit ille, quia eſſe potuit: hoc autem egregium eſt calcar continendi ſeipſos aſſiduè in omni virtutis officio & munere, cogitantibus iam iámq; exeundum, & enitendum vt ab hac anguſta perituráq; luce ad cœleſte illud iubar clariſſimum & ſempiternum integri puriq; perueniant. Iſtorũ laudanda cogitatio: cauent enim ſolicitè, ne adueniens mors imparatos præueniat, quod nobis quoq; imitandum, nec differendũ in horas virtutum copiam capeſſere deſerto vitio, quum incertum ſit, vt dicebas, quid veſper ſecum vehat. Si præfixus mortis terminus præluceret, poſſet tunc aliquis cupiditatibus ſuis laxe indulgere, & vbi adeſſet extremum ætatis tempus, cum virtute redire in gratiam, & ſic ſaltem ab hoc ſeculo bonus diſcedere: ídque (vt opinor) vulgo fieret, virtúſque, quæ nunc raró cernitur, vix tunc appareret: nunc propter mortis incertũ diem procraſtinare non poſſumus: occaſio rei bene gerendæ rapienda, dum licet: nam ne in proximam quidem horam, an idem liceat, ſciri certum poteſt. Itaque latet vtiliter mortales vltimus vitæ dies, ſiue quia ſpem viuendi affert, ſiue etiam quia aufert. Vnde autem venit in mentem tibi dicere, quòd homines breuiorem nacti ſunt vitã, quàm beluæ? Imo hac in parte ſuperiores ſumus, niſi pertrahere rem vis ad coruos & cornices, quę aues aduolant quidem ad humana cadauera, & ea conſumunt, animas vero, quæ diruptis corporis vinculis incolumes euaſere, neutiquam attingunt. Quòd ſi immortalitas animarum manet, nec vllis futura vita circunſcribitur finibus, cur in viuendi ſpatio hominibus beluas vllas conferimus, quibus etſi longior vita, peritura tamen quandoque tradita eſt? His ego rationibus protectus mundi cauſam tueor, quæ mihi firmiſſima

videtur,

videtur. Multi nunc ſunt, atq; etiã olim fuerunt, quibus mundi ſtructura neutiquam probatur, aliquid improbantes & cõmutari cupientes: a quibus quærendum videtur, num totius ſtructuræ rationẽ teneant? ſciant cœleſtia & terreſtria omnia quò pertineant? vnde oriantur? in quæ deſinant? quorũ vſibus apta ſint? ſi ſcire dixerint, ridebimus arrogantiam: ſi neſcire, ſtultitiam: quàm enim ſtultum eſt diſputare de partibus eum, qui totius rationem ignorat? Rectè medici, qui quũ curare velint quædam corporis membra ad totũ prius corpus ſe conuertunt: ſic nos ſi volumus quædam in partibus introſpicere, naturam totius conſiderare debemus: nam nemo probus artifex vtitur ingenio & manu in partibus elaborandis, niſi proponens ſibi vniuerſi operis gratiam & decentẽ ſpeciem, huic inſeruit, dum ſingula facit, & hunc habet faciendi finem, nec totum particulæ alicuius gratia, ſed particulas omnes in totius gratiam diſponit. Itaq; quod diſplicet per ſe in partibus, id ſi ad totius ordinẽ referatur, placere poteſt, ſicut ſuperius multis exemplis firmaui, & nunc reſpicienti ad te, qui muſicam calles, occurrit in cantu ſeptima vox, hanc non ignoras, quàm inconcinna ſit & abſurda: attamen immixta cæterarum choro nimiam illarum dulcedinem ſua temperans aſperitate concentum efficit iucundiorem. Num igitur audiendus, qui ſeptimam abominatur vocem, præclare agi dicens in muſicis, ſi nunquã extitiſſet, aut perpetuò tacuiſſet? Quid excrementis humanis fœdius? attamen legiſſe memini hęc aduerſus morbos plurimis animantibus prodeſſe. Si fullonis ingrediaris officinam, inuenies illic ſordida multa, quæ ſi vituperaueris dicat fullo, Neſcis, cui vſui hæc deſeruiant: vel ſi nihil dicat, ſubſannabit tacitus vituperantis imperitiam.

Nec non & apes examina condunt
Corticibúſque cauis, vitioſæq; ilicis aluo.

Legiſti id carmen (vt opinor) a puero: quęro num vituperaueris tum ipſe vel præceptores tui poëtam? qui voluit probare, dum arbores laudas, in ipſis quoq; corruptis arboribus aliquẽ vſum ineſſe: an id potius habueris pro egregia laudatione, quòd corruptæ etiam prodeſſent? Nihil inutilius videtur ceruorum & caprarum cornibus, attamen his exuſtis vtuntur, tum ad candorem dentium, tum ad contrahendas mollitie fluidas gingiuas. Venena mala non prohibentur diſtrahi, quando alijs immixta materiis nocendi vim adeo deponunt, vt ex his etiam antidota & ſalubria medicamenta conficiantur: extátq; hac de re in libris noſtris vetus Caij iuriſconſulti reſponſum: cui adiecimus nos pura etiam venena in commercio eſſe, quibus imbuta tela feras perimant. Et hæc quidem lege & iuris prudentium reſponſis ſic conſtituta ſunt, rectiſſimè, vt ſentio: intelligebant prudentes homines non eſſe malam rem, quæ ad bonum conuerti poſſit, indignum eſſe humanam vitam his auxilijs ſpoliare, quæ de pernicie trahere quis poſſit: ſicut enim graui ſupplicio afficiẽdus videbatur, qui rem ſuapte natura bonam vertit in perniciem, vt is, qui vicini ædes igni corrumpit: ſic econtra cõmendandum eum & neutiquam prohibendum videbant, qui rebus nocentibus vteretur ad ſalutem. Hæc iſti iuris auctores non videntur a ſeipſis cõmenti, ſed edocti fuiſſe naturæ voce, quæ ita quodam modo nobiſcum tacitè loquitur, Ego quaſcunq; res genui etiam peſtiferas ad hominum ſalutem, meum auctius fore munus credidi & magnificentius, ſi non modo de ſalutaribus, ſed de peſtilentibus quoq; rebus & triſtibus, varia com-

moda vitæ, ſtatus incolumitáſq; vobis conſtarent: nihil eſt meorum, quod prodeſſe nequeat, ſi ſcienter, & in loco vti illis curabitis. Hæc naturæ eſt vox ad eós facta, qui percipere nutu & ſignis loquentes poſſunt. Quamobrem ſi quiſpiam improbare velit eorum aliquid, quæ in mundo ſunt, tanquam noxium vel inutile, oportet ante omnia ſciat quid ſit vtilitas, & quot vtilitatum ſint genera, & ea omnia in claſſes ſuas diſtributa diligenter notarit: deinde teneat, quæ ſint illa, quæ rerũ inter ſe efficiunt cõiunctionẽ, quæ impediunt, & ea omnia pariter in ſua genera haud ignauè deſcripſerit. Hæc vbi impleuerit, tunc omnia noſcat oportet, quæcunq; & cœlum habet, & terra, & mare, nullo prætermiſſo. Poſt hæc explicet, quæ res ſociare ſe poſſunt omnibus, quæ aliquibus tantùm, & ſi quod ſegregatum manet, quid vtile in eo ſit, eodem modo vbi alteri copulatur, & ita vnicuiq; rei coniunctę & diſiunctæ ſuum vtilitatis genus applicare. Hæc qui facere poterit, licebit ei tunc tutò trifariam res omnes diuidere, ſtatuendo alia quædam bona eſſe diſcreta, alia alteri adiuncta naturæ, alia vtroq; modo. Si præter hæc inuenerit aliud quoddam rerum genus, quod neq; ſolum neq; additum vllam vtilitatem ferat, tunc ſi illud reijciat, tanquam ocioſum, vel etiam malum, oportebit nos aliunde exquirere, vnde mundi cauſam tueamur, quia euerterit defenſionem hanc, qua nunc vtimur: ſin autem prætermiſſo hoc docendi modo vituperet quædam, quia dicat eſſe noxia in parte aliqua, illius ſermonem non magis audiendũ cenſeo, quàm pueri, qui verbera magiſtri clamet eſſe noxia: ideo flagellum auerſatur, & ſi in poteſtatem venerit, incidat, vel exurat, quũ tamen ipſum flagellum ſibi maximè proficiat ad diſciplinam: multa etenim grauia & infeſta, tum animis, tum corporibus, ſæpius vtriſq; profuerunt. Sed neſcio quomodo plærìq; ab initio quidem rectè aliquid cognoſcimus, ſed fit deinceps prauo errore, vt conſequentia non teneamus, veluti hac in re. Cognoſcimus quippe de his, quæ multa circumfuſa ſunt aſperitate, bona exoriri plurima, illis remotis ne hæc quidem fore: hinc in exhortationibus illud maximè eſt in ore, de triſti acerbáque radice dulces percipi fructus, & arduum iter & ſenticoſum ingreſſis illud poëticum commemoramus,

Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis. Tum illud eiuſdem,
Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.

Sic enim hoc habet, vt laborum & periculorum præteritorũ iucunda ſit recordatio, & gratiora quæ ſub onere ſudantibus acquiruntur. Hæc quum dicere ad alios, tum ipſum facere magni viri arbitramur. Et hactenus quidem noſtra rectè procedit ratio, ſed poſtmodum non rectè, quũ accuſamus naturam, quòd mala illa extulerit, quaſi alio fine extulerit, quàm vt prodeſſent. At intelligendum erat, ſi illa proſunt, naturam quoq; omnium artificem prodeſſe voluiſſe: non enim eſt imprudens, non inſipiens, vt benefecerit ſine benefica voluntate: extulit igitur dura multa, grauia, inamœna, vt vel ſola vel coniuncta vſui eſſent nobis multis in cauſis, ſed maximè, vt prudentiæ, fortitudini, temperantiæ, virtuti deniq; anſam præberent: nam nullis experimentis tentata virtus, aut virtus non eſt, vel inefficax eſt virtus, omni carens vi, gratia, dignitate. Cogitandum eſt autem, quòd non ſurdarum, ſenſúq; carentium rerum, non etiam irrationabilium animalium gratia mundus cum his, quæ habet, conditus eſt, ſed hominis tantùm cauſa: & ſi hominis, non propter corpus,

quæ

quæ in eo viliſſima pars eſt, ſed propter animum: ex illo enim, quòd in homine principatum tenet, quòd eum diſiungit a beluis, totus homo eſt æſtimandus: huius autem intuitu, propter quem generata ſunt omnia, nulla mala, nulla noxia mundus habet, quoniam quod nocere animo valeat, non inuenietur, nihil illum cogere poteſt, nihil violare, nihil frangere, non eſt in animum manus iniectio, non huic eripi inuito ſuum bonum poteſt: quomodo enim eripietur iuſtitia, pietas, fides, humanitas, religio, prudentia, charitas & quæ interius in ipſo verſantur animo, quando ne pudicitia quidem, quæ ſocia eſt corporis, violatis per vim corporibus imminuatur, ſed integra animo cuſtodiente relinquatur. Irruant licet beſtiæ, vincula, carceres, exilia, morbi, paupertas, fert omnia, ſi ſe obfirmauerit: ſuſtinet, patitur nihil illorum lædit, ſed ſubleuat, exercendóq; & exagitando meliorem reddit & ſplendidiorem. Et profectò ſi cuncta rectè expendere voluerimus, inueniemus homini magis cõducere aduerſa, quàm proſpera: nam aduerſa acuunt, erudiũt, exercent, probant: res verò proſperæ ad votum fluentes corrũpunt animos elatione, & nimia ſecuritate improuidos reddunt, & ex immoderato luxu ad vitia impellunt.

Tum quum triſtis erat defenſa eſt Ilios armis:
Militibus grauidum læta recepit equum,

Vt eſt apud Ouidium. Et virgilius idem tractans argumentum inquit,

Inuadunt vrbem vino ſomnóq; ſepultam.

Dardanus Parmenſis, vir bene literatus, & familiæ noſtræ amiciſſimus inducit pictorem effingere penicillo imaginem fauoris, vel ipſe potius carmine ſuo effinxit; nam facit cæcum, tumidum, ambitioſum, inſtabilem, circunſtare opulentiam, honores, iuris diuini humaníq; contemptum, & ſcelerum parentem omnium libidinem, hærere aſſiduè lateri aſſentationem, & a tergo ſubſequi inuidiam: ex quo apparet non eſſe illum rem præclaram aut optandam, ſi quidem ſponte ſua tot mala ſecum trahit, adeo vt, niſi animus firma conſtantiq; ratione ſe ipſum communierit, aduerſus hæc euadere incolumis nequeat: multóq; plures ſunt, quos proſpera, quàm quos aduerſa vicerunt. Ideo magis iſta adeſſe oportuit, & affluere vberiori copia, quàm altera: nam, vt eſt etiam penes alium quendam poëtam,

Fortuna quem nimium fouet, ſtultum facit.

Ideo ſeruare quæſita difficilioris eſſe putant operę, quàm quærere, quia fœlicitas nõ obcæcat, vbi nondum habes, ſed vbi habuiſti. Rectè igitur inſtitutum fuiſſe videtur, vt in rebus humanis proſpera & aduerſa alternarent: nam ſi ſemper adeſſent proſpera, inflarent animos: ſi ſemper aduerſa, frangerent atque deijcerent; modus eſt autem optimus nec nimis deijci, nec attolli: hoc in vniuerſum humano generi ſtatutum fuit vtiliter, hoc idem ſingulis contingere ſeparatim vtile quoq; eſt, vt moderatio illa teneatur. Illud verò æquiſſimè ſtatutum fuiſſe nemo negauerit, nihil turpe & pertimeſcendum poſſe contingere homini, niſi peccatum: nullum autem peccatum contrahi, niſi voluntate: ita ſitum eſt in nobis, an turpia admittamus, & iure metuamus, & dignè vituperemur, atq; plectamur. Eſt enim prauitas res voluntaria, quia de voluntatis noſtræ motu deſcendit: voluntatis autem noſtræ motus non ad aliud principium, quàm ad noſmet ipſos referre poſſumus. Ergo generamus ipſi prauas actiones quemadmodum honeſtas quoq;: nam hæc quoq; voluntatis noſtræ

ſunt. Nonne igitur pulcherrimo ordine vertuntur res humanæ, ſi in ipſorum hominum poſitum eſt arbitrio, boni ne, an praui efficiantur? hac in re vti poſſumus ſingulorum penè hominum teſtimonio, dum alios quoſdam ad virtutem impellunt, & a vitijs deterrent: in quod præcipue incumbunt legum latores cõſtituentes pro benefactis pręmia, & pro maleficiis ſupplicia: nemo enim hanc hortationem ſuſciperet, niſi videret honeſtatem actionum & prauitatem rem eſſe voluntatis: fruſtra enim quis hortaretur alium, ne inuoluntaria ſubiret, veluti ne frigeret, vel caleret: nam exhortatus nihilominus illa pateretur. Dixiſti tu quidem multa de ignorantia humana, ſed non trahitur commiſſum ex ignorantia in crimen, niſi vbi cõmittens ignorantiæ cauſam dedit: veluti ſi ebrius peccauit, quia in eius poteſtate fuerat, ne ebrius fieret. Culpantur & ignorantes aliquid eorum, quæ ſtatuta ſunt legibus, quæ non difficile erat ſcire. Eodem modo in aliis, quæ per negligentiam ignorant, quia in ipſis ſit, ne ignorent: poterant enim diligentiam adhibere: & ſi qui mandatam rem non impleuerint, non excuſantur ignorantia, quaſi ſuſcipiendo mandato pronunciauerint ſe ſcientes. Et demum hi, in quibus ſupina, vel affectata eſt ignorantia, vituperantur, non alij, niſi qui forſitan artificium aliquod profitentur: neque ab his exigitur ſcientia, niſi ea, quam ipſum artificium præſtare poteſt. Mirandum autem non eſt voluntariam ignorantiam increpari, quoniam vitia quoq; corporis increpamus, ſi voluntate ſuſcepta ſint: veluti ſi quis cæcus factus fuerit ob ebrietatem, & ſi quis de incuria & negligentia fœdus procedat. Quantò igitur magis ignorantia voluntaria damnatur, quæ maior eſt cæcitas & fœditas animi, quàm ſit illa corporis? inuoluntaria autem ignorantia metuenda non eſt, quum ab ea culpa abſit. Semper autem arbitramur bonum & ſapientem virum omnem fortunam decenter perferre, & optimè ſemper agere pro facultate rerum, quas præ manibus habet. Nam & bonus quoque Dux pro præſentibus copiis bellaciſſimè pugnat: & prudens Architectus pro materia oblata optimam, quantum poteſt, conſtruit domum: ſimiliter & alij artifices, quibus iſte in agendo non erit deterior. Hæc te Dionyſi probare conuenit, quanuis nonnulla aſperitate interſperſa ſint, aduerſus quam omne virtus ſuſcipit certamen: niſi forſitan vitam illam inertem & deſidem magis probes, quam commemoraui homines ſub Saturno olim egiſſe, cuius ſimillimam Ælianus in alijs gentibus producit auctore Theopompo. Ait nanq; Midæ Phrygiæ regi Silenum quandoq; congreſſum: erat enim Silenus nympha genitus, qui, etſi Deo inferior, homine tamen maior eſſet. Inter multos eius ſermones regi prolatus hic fuit, vt diceret errare nos, qui putaremus Europã, Aſiam, Lybiam totum terrarum orbem complecti, ita vt extra eas nihil ſit, in quo vt in ſolido veſtigium figamus, non enim ita rem habere, ſed terrã hanc, quam inſedimus, inſulam eſſe quandam magnã circunfuſam magno illo mari, quod Oceanum vocamus: eſſe autem vltra Oceanum terram, quæ verè ſit continens, infinita magnitudine, vbi animalia ſint plura, quàm apud nos, & ea prægrandia: ſed & homines illic eſſe ſtatura ad noſtram dupla, vitæ quoq; ſpatio geminato: ciuitates autem innumerabiles eaſdémq; maximas vndiq; videri, quæ habeant viuendi inſtituta a noſtris longè diuerſa: verum inter eas vnã præcellere, quæ Pacifica nominatur: eius incolas (ſicut nominis fert ſonus) perpetuam pacem ducere, afluentes diuitijs, vſq; eo, vt aurum & argentum

ſit ibi

ſit ibi vilius, quàm alibi ferrum: fructus colligere de terra non ſatos aut excultos, ſed ſponte ſua naſcentes: morbis nunquã tentari: demum decedere de vita cum riſu & voluptate: & ne multis te ducam, omnia ferè his contingebant ad fœlicitatem, quæ nuper dicebam Saturniis hominibus contigiſſe. Harũ fabellarum pictura a me inducitur, nõ fruſtra, aut ludendi cauſa, ſed vt oſtendatur, quàm turpis quámq; fœda vita foret hominum tam molliter támque ignauè degentium: quandoquidem nati viderentur, vt hominum tantùm numerum augerent, ſolem aſpicerent, ventrem cibo potúq; replerent: non enim illic in tanta proſperitate fortitudo animi oſtendi poteſt, non ingenij vis in artiũ perceptione exerceri, non prudentia in deligendo elucere. Hic de te quæro omiſſis iam cæteris (vt ad initia redeam defenſionis meæ) num Saturniorũ illorũ, & horum Pacificorum vitam comprobaturus? Noli te hoc clypeo protegere, vt dicas fabuloſa eſſe iſta. Quid ſi non fabuloſa, ſed vera eſſent, num probares? An non Callimachi tui iſta adeſſe ſibi exoptant, & ea votis omnibus petunt? num igitur vota eorũ & deſideria probas? ſi de me hoc idem quæris, dicam non probare: ego enim eam amplector vitam, quæ non vni vacat voluptati, ſed ſe ad agendum transfert, & propter virtutis ſtudiũ nec laborem reijcit, nec dolori ſuccumbit. Multos hæc mouerunt, vnde eſſent triſtia hęc, dura, aſpera, ęrumnoſa, quæ vitam humanã vexarent: facilis explicatio, nempe concedente Deo influere dicendum, vt virtutem animi intenderent, exercerent, proferrent, animúmq; ipſum, cuius cauſa omnia cõdita, redderent meliorem. Hæc dicere, atq; adeo ſequi potius conuenit, quàm ea, quæ Perſarũ Magi Zoroaſtrem auctorẽ diſciplinæ ſequuti finxerunt: illi enim quærentes vnde malum, inopia melioꝝ cogitationum eò proceſſerunt, vt ponerent duos quoſdam Deos æmulos inter ſe & contrarioꝝ operum effectores, horum vnum Oromazen, alterum Arimanum vocabant, & priorem quidem e ſplendidiſſima luce genitum, alterum e denſiſſimis tenebris: & illum quidem amicitiam, veritatem, iuſtitiam, ſapientiam, copiam, voluptatem: hunc alterum totidem numero contraria numina condidiſſe: pugnaſſe inter ſe bello, & neutros viciſſe, ſed modò hos, modò illos ſuperaſſe. Sic mala bonis permixta. Hęc ad libidinẽ conficta ſunt, & vt credantur, nihil explicant: quanuis ab iſtis Græci forſitan non admodũ diſſenſerint, numina dextra & læua & vtraq; colenda ſtatuentes, hæc ne nocerent, illa etiam vt prodeſſent. Democritum quoq; audio duos ſibi duntaxat Deos ſtatuiſſe reliquis ſublatis, Beneficium ſcilicet & Pœnam: quæ ſententia in idem ſpectare videtur. Paria Perſarum Magis olim penes Chriſti fideles garriebant Manichæi, atq; adeo in plæriſq; paria, vt credi poſſit ab illis iſtos mutuatos: & hoc eſt, quòd Auguſtinus cõtra hæreſim illam ſcribens ſignificat (vt opinor) dum aſſerit illos perſicam fabulam retuliſſe. Contra horum ſententiam non opus eſt pluribus pugnare: quantum enim malum eſt ponere, vt principium rerum, ipſum malum, quod cauſam non habet efficientem, ſed deficientem? conſtat autem malum priuatione boni, nec eſt malum aliqua natura, ſed naturæ vitium: nam quum accedit ad rem quampiam, non accedit natura quædam, ſed id, quod prius ſanum erat, atq; integrum, vitiatur & corrumpitur: quum detrahitur, non detrahitur natura quædam, ſed quod vitiatum erat atq; corruptum ad proprium ordinem congruúmq; ſtatum reuocatur. Ex hoc ſummum malum inueniri poſſe negant: nam ſummum malum

exclude-

excluderet omne bonum, vnde nõ ſubiicitur ei aliquid, quod vitiaret: nullum ergo habet fundamentum, igitur ne eſt quidem. Sunt autem alij, qui æternam quandam & increatam inducunt nobis mali molem, illam ſcilicet primam materiam rudem atque informem: hanc enim inordinatam fuiſſe, confuſam interminatam, tenebroſam aſſerunt, quam deinceps Deus diſtinxerit, formarit, ornarit, quemadmodũ potuit: non enim potuiſſe in omnibus vim illius monſtri euincere, atque edomare, quamobrem quicquid in rebus nunc cernimus perniciosum, infirmum, inquietum, inordinatum, obſcurum, id ab ea profluere, & econuerſo quicquid in rebus, ſalutis, roboris, ſtabilitatis, ordinis, lucis, id eſſe a Deo. Quæ ſane opinionis vanitas a te confutata non deſiderat orationem meam: ſtultum eſt enim cogitare aliquid, quod non crearit Deus: ſtultius eſt etiam aliquam impingere neceſſitatem ſupremæ illi æternæque ſubſtantiæ, cuius tantùm voluntas rerum eſt neceſſitas. Chaldæi verò, qui inter Babilonios ſapientiæ ſunt profeſſores, vim omnem ſideribus tribuebant: & e ſeptem quidem errantibus duo benefica humano generi, totidem peſtifera, reliqua vtriuſque ſortis ſtatuebant. Quæ vaniſſima ſunt omnino, & ſæpius refutata: nunquam enim hominibus ſanè aliquid mentis habentibus ſuaderi potuit, vitam noſtram, quæque hic cernimus proſpera & aduerſa, tanquam de aſtris religata pendere. Sed quoniã orationi tuæ reſponſum iam extitit, ſicut potui quidem, non vt volui, potes ne mihi dicere, quorſum iſta tam longo pertractata ſermone de pulchri cognitione pertineant? Hoc ex te audire volo. DIO. Opinor iſtud huc tendere, quia me & iſtos alios erudire voluiſti, harum ſcilicet rerum inſcios & ignaros. MAR. Intelligo, ſed illud etiam explana, qua in re vos erudiui. DIO. Vt cognoſceremus quid pulchrum ſit. MAR. Nempe pulchrũ inter nos amandum eſſe conuenerat. DIO. Conuenerat. MAR. Poſſes ne tu me amare, ſi qui ego eſſem ignorares? DIO. Nullo modo. MAR. Nec ego viciſſim te, ſi mihi ignotus eſſes, nec omnino quemlibet alium hominem, aut rem, cuius nulla cognitio penes me foret? DIO. Videtur. MAR. Sic nec pulchrum ipſum amari poterat ab ignorantibus, quid ipſum eſſet. DIO. Apparet. MAR. Exquirere ergo oportuit, quũ antea ignoraremus. DIO. Nos ignorabamus, tu ſciebas. MAR. Veſtri ergo cauſa exquirendum fuit. DIO. Maximè. MAR. Et exquiſitum & inuentum eſt. DIO. Opinor. MAR. Vt deinceps cognitum ametis. DIO. Sic eſt. MAR. Ergo pulchrum cognoſcere voluiſtis, non quia pulchrum, ſed quia amandũ. DIO. Sequitur. MAR. Et ſermo noſter, dum quid pulchrũ ſit, explicat, oſtendit etiam eadem opera, quid amandum. DIO. Opinor. MAR. Id autem vobis præcipuum ſedebat in mente, vt rectè amaretis. DIO. Scitè aduertis. MAR. Ergo ſuperior de pulchro ſermo non pulchri, ſed amoris gratia inſtitutus eſt, & hucuſque deductus. DIO. Vera proponis. MAR. Imo & ꝓpoſui, & aſſumpſi, & cõcluſi veriſſimè. DIO. Aſſentior. MAR. Sed meminiſti ne quẽ ſuperius amorẽ induxeris? DIO. Memini. MAR. Illum ſcilicet, qui muliebre amat corpus formę dignitate & lumine ornatũ. DIO. Rem tenes memoriter. MAR. Abſque tamẽ labe & ſorde earũ voluptatũ, quæ obſcęnæ & ſunt & habẽtur, has enim ne tu quidẽ probas. DIO. Quin potius deteſtor. MAR. Quippe de quibus etiã ſectatores ipſi erubeſcant, cęcis illas latebris inuoluentes, tanquã indignę ſint a die videri. DIO. Nimis pulchre narras. MAR. Sed num illum purum amorem

rem

rem vnius corporeæ formæ, quæ in muliere quapiam conſpecta foret, proba-uimus? DIO. Minimè. MAR. Plura allata ſunt ad eius reiectionem: ſed illud præcipuè, quòd inſtabilis illa eſſet pulchritudo, quanta eſſe poteſt in muliere, illas enim oculorum faces, illam genarum purpuram, illas dentium margaritas, illud pectoris ebur ipſa dies paulatim carpit, & tandem accedẽte paucorum annorũ ſpacio extinguit: ſi quis autem efficere cupit ſtabilem corporis pulchritudinem, ſiſtat temporis ipſius curſum, & id efficiet. DIO. Nemo mortalium efficere id poteſt. MAR. Ergo abſumitur breui temporis ſpacio corporis pulchritudo, & ingentibus animis nil breue optabile: iſta ratione amorem hunc reiecimus. DIO. Vera dicis. MAR. Sed aliud eſt etiam, quod maxime efficere poteſt, vt hãc muliebrem corporis pulchritudinẽ relinquamus. DIO. Videre id cupio. MAR. Vide nunc igitur quæ ſequuntur: nam quẽadmodum in mathematicis fieri ſolet, vt rudibus illius diſciplinæ ſimulacra figurarum picta vel efficta proponantur adhærentia corporibus, quò deinceps tollant ſe facilius notione ad figuras ipſas corpore vacuas, veritate pollentes, & longè illis corporeis pulchriores, ſic ſi quem vel ſors vel ætas in amorem talem impulit, ita vt ſe tradiderit mancipium vni pulchritudini, quam in puella quapiam viderat, illum aſſurgere aliquando velim animo, & cõtemplari, quãtò dignior & nobilior illa foret pulchritudo, quam miratur, ſi a corpore illo auulſa ſpectandam oculis ſe daret: nunc autem mancam & debilem fore rudi illi materiæ copulatam. Deinde ſic cogitandũ, non eſſe vnicam illam pulchritudinem, ſed multas eſſe ſocias atq; germanas; non enim ſola mulier peramata, ſed eodẽ in ſexu innumeræ aliæ pari pulchritudine ornatæ ſunt: plures præterea viri formæ dignitate pollent. Aurum argentũ, ebur, gemmę, lux, ignis, ſol, ſidera, pulchra hæc omnia & ſunt & habentur: & hæc quidem a natura edita. Illa autem artibus elaborata ſpecie etiam ſua placere ſolent, ſtatuæ, pictæ effigies, theatra, porticus, domus, delubra, vrbes, poëmata, orationes, leges: in his enim iam intelligitur pulchritudinẽ ipſam eſſe incorpoream, vt quæ prius in ingenio manſerit artificis, quàm in corpora ipſa fundatur. Horum omnium immenſam eximiámq; pulchritudinem crebra animi intentione euoluens, nonne veluti maiore lumine captus modicam illam lucem, quam in muliercula vna viderat, contemnet? Sed non contentus iſtis ad incorpoream iam ſcandet naturam, quæ claritate formæ longè ſuperat: & primum in hominum genere fulgentiſſimum, proſpicit ſplendorem, quem mens, ratio, ingeniũ, memoria, docilitas eiaculatur. Vt verò ad virtutes ventum eſt, & prudentiam cernit, iuſtitiam, temperantiam, fidem, pietatem, modeſtiam, fortitudinem, & eiuſdem generis cætera, tanta tunc ſe illi aperit facies pulchritudinis, vt veſtigium Dei reperiſſe ſe credat. At non adhuc ſe illis tenebit, ſed grandem illam pulchritudinem voluet pariter animo, quã ordo efficit, & is præcipuè, qui naturalium rerum ſtatum temperat vniuerſum. De hoc dictum eſt antea, nunc etiam iuuat repetere quædam, & quomodocunq; poſſum huius vniuerſitatis pulchritudinem, tanquam parua depictam tabella ante oculos mentis collocare: nam ſi omnia perſequi eſſet facultas, vix exitum inueniret oratio.

Circunfer faciles oculos vultúmq; per orbem,

Vt ait Manilius. Nihil eorum, quæ oculis adiacent, admirabilius mundo, nihil perfectius, nihil ue ordinatius, quem ex ornamenti nomine Gręci κόσμον,

nos

nos etiam ex abſoluta perfectáq; elegantia Mundum nuncupauimus. Ille ſi quidem pilæ in morem vndiq; rotundus, cœlo extrema ambiens medio ſpacio tellurem ſuſtinet mole ſua libratam, præcipuam hominum ſedem atq; domū: ex qua totum hoc opus vndiq; circunſpeximus, & quatuor tum cognouimus elementis conſtare inferiora omnia, Igne, Aëre, Aqua, Terra, quorū alia grauia, alia leuia, ſed leuia ponderibus inhiberi, quominus euolent: grauia ne ruant, leuibus ſuſpendi. Effectum eſt inſuper congruentiſſima ratione, vt hæc ipſa mutuò ſe reddant elementa: ignis enim ſpiſſatus in aëra ſe demittit: coactus aër aquam exprimit: & concreta aqua obducitur tellure. Qui ordo reuoluitur retroq; ducitur: rara enim tellus in aquā defluit: tenuata aqua ſpirat in aëra: purus aër in ignes candeſcit. Hanc cathenam, quæ per quatuor hæc mundi genitalia corpora ſurſum deorſum trahitur, nonne miraris? quæ partium iunctio magis apta, ac ſibi ipſi & toto magis cōſentiens, quàm hæc elementaris? Nam denſitas alterum alteri immutat deſcendendo, at leuitas aſcendendo: hoc non fieret, niſi cognatam & finitimam haberent naturam, qua cohęrent inter ſe ſe, & veluti quibuſdam amplectuntur vlnis. Nam terra ſicca & frigida, ſiccitate igni iungitur, frigore aquæ: aqua frigida & humida, frigore vergit ad terram, humore ad aërem: aër humidus & calidus, humore aquam, calore ignem contingit: ignis calidus, & ſiccus quà calidus eſt, accedit aëri, quà ſiccus terræ. Sic iſta, quæ vocant qualia, numero bis bina, ideſt duo paria inter ſe digladiantia, ſiccitas, humor, frigus, & calor, ita diſpoſita ſunt in ipſis elemētis, vt ad nexum eorum valeant & coniunctionem. Et quum hæ principes qualitates tot ſint numero, quot elementa, vnum quodq; elementum in vnaquaq; earum præualet. Itaq; igni aſcribitur caliditas, aëri humiditas, aquę frigiditas, terræ ſiccitas. Illud etiam pereximium, quòd vnum quodq; horum elementorū in globi ſpeciem formatum eſt, & aliud alij ſuperiniectum: quocirca quod ſuperius eſt elementum, ita ſubiectum fouet, et contegit omnibus ſui partibus, vt nihil vacuū, nihil inane, nihil hians relinquatur, ſed plena omnia, & repleta corporibus. Terræ nanque, quæ omnium eſt infima, circunfunditur aqua, vtriq; aër, aëri ignis, igni ſupera omnia. Quid hæc ipſa tibi nunc perſequar ſupera? quomodo de cœlo dicam? quod maiori etiam pollet formæ dignitate? multum enim differt ab elementis ipſis, quæ variabilia ſunt, & commutabilia, ex alio in aliud tranſeuntia, quæ tamen omnia ſeruiunt generationi corruptioniq; rerum, quibus hæc inferior mundi pulchritudo (vt iam dixi) perficitur. In cœlo autem nihil generatur, aut corrumpitur: itaq; cœleſte corpus nobiliſſimum, illuminatiſſimum, incorruptiſſimum, purgatiſſimum, nulli iniuriæ aut contumeliæ obnoxium: cui regendo atq; conuertendo aſſidet maioris alicuius poteſtas, qui (quiſquis ſit ille) ob huius muneris curam anima cœli quodāmodo dici poteſt. Magnitudo autem eius, cuius teguntur cuncta circunflexu, per ſe patet: ideo prętermittenda tibi (vt opinor) videtur. Sed num vis magis cœli ipſius deſcriptionem enarrari, quæ nouem orbibus conſtare dicitur? quorū primus, quanuis incredibili ſit magnitudine, cæteros ambiens, incitatiſſima tamen celeritate torquetur: ab hoc initium motus & vitæ ducitur. At qui illi ſubeſt ſecundo loco ignibus redundat: inde tot collucētium ſiderum oculi terris oſtenduntur. Reliquos ſeptem orbes ſua quenq; obtinent ſidera, quæ ab inceſſu vocamus errantia, quum tamen nulla errent minus illis ratos conſtanteſq; motus

ſeruantibus,

ſeruantibus,& in numerum ſe circumuoluentibus. Hic tu quanta iucunditate perfundi animum eius putas,qui cœlo vagatur? qui cogitationes ſuas ſideribus immiſcet? quorum ortus, obitus,progreſſus,reditus, figuras,magnitudines, interualla explorat. Nec verò putaueris vrbes,ac domos humanis inſtitutis commodius, quàm cœlum diuinis gubernari: nihil illic fortunæ: nihil temeritati licet:varietatem ineſſe fateor,ſed eam firmam,atque conſtantem: ex quo inſatiabilis inſurgit pulchritudo, dum aliis fixam agentibus ſtationem ſideribus,circunuagantur alia,quæ ſtatis temporibus determinatiſque curſibus, tanquam chorea duceretur,eunt, redeunt,conſiſtunt,aperiuntur,deliteſcunt. At ita ſunt etiam deſtincta,& his locis collocata, vt figuras exhibeant rerum apud nos notiſſimarum,ex quibus etiam nomina inuenerunt:alia videmus gelidæ frigentiſque naturæ, alia incenſæ atque flagrantis, alia clara & illuſtria media temperie teneri: hæc excitant pluuias, illa calores ingeminant, alia animantes ad conceptum extimulant: ſunt quæ humorem ſoluant,ſunt quæ contrahant,ſunt quæ ſemina terrarũ gremio excepta alant,foueant,ad incrementa perducant, quædam etiam a nautis obſeruata dirigunt carinas,eáſque ad deſtinati littoris oras prouehunt,nonnulla operum agricolis tempeſtates denuntiant. Duo etiam magna cœli lumina certis de cauſis nonnunquam deficiunt, ac ſpeciem quodammodo laborantium præbent,luna ſcilicet noctis temperatrix,& ſol,qui diem exercet:nullum autem horum ſiderum niſi numero mouetur. Quin etiam nouem illi cœli orbes, qui maximũ præbent conuerſi ſonitum,his interuallis circunferuntur,vt efficiant id,quod muſici Διὰ πασῶν harmonicam vocant,ideſt vniuerſitatem concentus:tametſi propter nimiũ fragorem,quẽ de tantę magnitudinis motu neceſſe eſt conſequi,humanæ aures non ſentiant,ſed ad hæc obſurduerunt. Dici vix poteſt,quã præclara ſit cœleſtium moderatio,ad vſus mortaliũ aptiſſima,ad oculorum aſpectũ & notionem ordinis pulcherrima. Proximus cœlo ignis præcipua caloris origo:de cuius dignitate & pulchritudine memini ſuperius per me plurima fuiſſe expoſita. Huic proximus aër,quo quid eſſe poteſt pulchrius? quid ordinatius? is fuſus & extenuatus in ſublime fertur,ſpiritu auget animantes, huc illuc effluens ventorũ aſpiratione nauiũ curſum impellit,calores nimios temperat, idem cõcretus in nubes demiſſis imbribus arua irrigat, atque fœcũdat. Sed dierũ noctiúmque ſpatijs idem quoque diſtinguitur gratiſſima viciſſitudine, veluti diſtributo tẽpore agẽdi & quieſcendi. Addi his poteſt,quòd aduerſo linguæ ictu percuſſus vocẽ effingit,& in tubas cornuáque inflatus edit clangorem,facillimus cedere vbi impellitur, & alterius corporis inania occupare: tam benefica eſt eius natura, támque ab iniuria procul. Illud magnũ eius atque elegans,quòd aptiſſimũ eſt luminis & caloris vehiculũ,quæ duo a vicino æthere,æterniſque illis ignibus ſuſcepta mirè terris impertit. Qui verò volucrũ ſecatur volatu nonne præclarũ? & eò magis,quòd in hoc animantiũ genere neſcias quid prius cõmendes,alarúmne remigia? an linguarũ garrulitatem? an multiplices lapſus? an depicta tegumenta pennarũ? Aërem tertio inſequitur loco mobilis perlucidáque aquarũ vis terram permeans intra,extra,ſupra:quarũ quãta in ſuo genere varietas? nam fontibus erũpunt,amnibus fluunt,lacubus ſtagnant,pelago inundant. At pulchritudo nulla. quis id dixerit? cogita quã ſpeciem habẽt inſulæ, quas circum vuidum ſe fundit elementũ; quã delectationem præbeant littora marinis eliſa

 fluctibus:

fluctibus: ipſius fluctuantis pelagi quàm grata facies? præſertim quũ variis induat ſe coloribus: nã modò ſe ipſum cærulea in veſte, modò in viridi, modò diuitis inſtar in purpurea oſtẽdit. Pone ante oculos tot egelidos amniũ liquores terras interſecantiũ, partim bibendi, partim lauacri gratia, quibus etiã muniũtur vrbes, quarũ ſæpius alluunt mœnia. Conſidera alios tepidos, aut etiã calentes latices in auxilia morboꝝ effuſos. Eodem refer molliſſimos ripaꝝ thoros, aurarũ blandam tẽperiem, infinitã piſcium multitudinẽ, eandémq; variam atq; diſparem, quibus, vt incolis, hęc aquarũ gaudet congeries. His cognitis credat quiſpiam mancã ac deformem aquarũ naturam, tanquã opus inertis artificis? ac non potius ſumma cũ elegantia & venuſtate perfectã? ſatiatos hoꝝ ſpectaculo gerere oculos poſſumus: nondũ tamen deflexims ad denſiſſimũ mundi corpus terram, vbi nos excipit alia forma rerum, alitérq; mirabilis: nõ enim ſi infra ſubſidet tellus, & in eam, tanquam omnium infimam, cuncta nutu ſuo ferantur pondera, quoniã & ipſa, quaſi pondus illuc quoq; delapſa eſt, poſtq; ponatur ob craſſitudinem materiæ cæteris elementis, ideo non etiam variè ornata eſt. An tu aggeres cernens & munimenta montium, fuſam camporum planiciem, decliuémq; vallium amænitatem, vniuerſam præterea terram floribus, herbis, virgultis, arboribus, frugibus, veſtitam, atq; adeò vrbibus & tectis hominũ manu innumeris locis quaſi cœlatam, nõ intelligas illam varijs ornamentis abundare? quæ ſi non aliud, quàm domicilium ſedéſq; hominum diceretur, ſatis amplo honore afficeretur: magnum eſt enim tot gentium & nationum, quæ illi vndiq; circũfunduntur, parentem & altricem vocari, vel ſi id nimium eſt, hoſpitam. At non ſolum hoc continet animal magnum atq; diuinũ, ſed plurima alia variis ornata figuris, varios etiã paſtus petentia: quoꝝ fera & immania cubilibus ſuis deliteſcunt, mitiora domibus noſtris tenentur: & alia quidem hoꝝ gregatim agunt, ciuilémq; quodãmodo & ſocialem exigunt vitã, alia ſolitudine delectantur, & ex gregalibus illis partim ſub rege degunt, vt apes & grues, partim nullius parent imperio. Singuloꝝ varia ingenia & diuerſos mores referre longũ eſſet, quãtũ enim fraudis, & calliditatis in vulpe? quãtũ in elephantis pruẽdtiæ? quantũ in equis ferociæ & ſuperbiæ? quantũ ambitionis in pauone ob ornatũ? quãtũ in lupis voracitatis? quã valde afficere nos põt coniugalis turturũ verecundia? columbaꝝ ſimplicitas? ouium manſuetudo? leonũ magnanimitas? canũ amor & obſequiũ? Et de animalibus quidẽ hactenus. At in florib⁹ ipſá ne miramur magis coloꝝ lumina? an odoꝝ fragrantiam? an figurarũ varietatẽ, elegantiã, artificémq; deſcriptionẽ. Poma verò (vt guſtatum omittam) non ne etiam odoratu ipſoꝝ & forma delectant? In frumenti ſpicis quis non miretur granoꝝ diſpoſitionem? folliculoꝝ amictum? ariſtarum vallum? & eximiam in toto illo opere venuſtatẽ? quod ad varia quoq; leguminũ genera pertinet, quoniã & illa eodẽ ferè ritu & cultu pubeſcunt, niſi quòd non ſpicis, ſed ſiliquis includuntur, veluti id agente natura, vt fruges terrę ad veſcendum homini datas varietas quoq; veſtis ornaret, & a paruarũ volucrum morſu tutas præſtaret. Quid de arboribus loquar? quarũ profectò laudatiſſima vndiq; apparet ſpecies, ſiue radicem intra terræ ſinum receptã conſideres, ſiue thoracem trunci firmiſſimum, ſiue ramorum patula brachia, ſiue altiſſima cacumina frondibus paſſim crinita, ſiue duritiem corticis idoneam quamlibet frigoris caloríſq; contumeliam perferre. Summa autem gratia, &

commen-

commendatio in illis eſt fructuum: quorum quidam pediculis, quidam racemis dependẽt diſpari inter ſe ſucco, colore, odore, figura, ligno deniq; quodã, quod alijs intus, aliis extra additum: nec vnum tegmen omnibus, ſed alia eorum habent pro veſte putamen, alia coriũ, alia cruſtam, alia cutem, alia aliud. Si quæ autem ſunt ſteriles arbores, ita vt nec glandes, nec poma ferant, non tamen omnino inutiles: nam vel liquoribus ſtillant, vel odoribus ſpirant, vel vmbris opacant. Multus deniq; fructus decerpitur, dum illarum cædua materia ad vtilitates noſtras abutimur: arboribus nanque corpora calefacimus ignibus admotis, cibiq; rigorem mollimus: eiſdem tecta extruimus, quibus aduerſus anni intemperiem defendimur: arboribus mare decurrentibus vltimarum terrarum frugifera ſpatia propius admouemus, & ad vſus noſtros adiungimus. Vnde menſas, lectos, ſedilia, vaſa, ſimulacra, haſtas, ſpicula, ſcuta, aliaq; plurima belli & pacis vſibus apta habemus, niſi de ſylua? quæ adeo parata eſt ſuſcipere omnes formas, vt proprio iam nomine materia nuncupetur: ſed vel hoc ipſum oculos paſcit, dum aſpicimus denſiſſimo arborum veſtitu, redimita montium cacumina, & opacos nemorum multis locis receſſus. Quid hortorum proſequar viriditates? tot herbarum genera, tum ſalutarium, tum ſuauiter halantium? tantam frugum copiam? tantam baccarum? tot pecudum paſtiones? tot ferarum luſtra? tot camporum æquora induta meſſibus? tot ſalinas ab ora maritima remotiſſimas? tot munitiſſimos portus? Hæc ſubiiciẽs ſibi animus, & veluti de loco ſuperiore proſpectans, non ne exclamare cogatur magnam eſſe telluris pulchritudinem tum in partibus, tum in vniuerſo? Et tamen quæ dicta ſunt hactenus præter ſpeciem, vſum etiã habent admirabilem, quod ſalutis, vel tuendæ, vel recuperãdæ ſubſidia ſunt. Illa forſitan ſolatia ſeu delitiæ quædam dici poſſunt, gemmæ, margaritæ, lapilli, & luxui domuum noſtrarum ſubſeruientia marmora: nec ſatis fuit illa nobis exhibere tellurem veluti præſentia & expoſita, ſed gremio etiã ſuo continet alia nõ minus præclara, auri dico atq; argenti opes, & debellatricem illam rerũ omniũ materiã ferri. Sed vim ſeminis quis non proſpicit quanta ſit? quod licet mole perexiguũ, tamen vbi in cõcipientem cõprehendentémq; incidit materiã, incluſa habere in ſe quodãmodo videtur & recondita illa omnia incrementa, quæ poſtmodũ gradatim & per numeros quoſdã in ipſis congruis temporũ articulis explicat & euoluit: nam in arboribus truncus, rami, frondes, poma nõ aliũde prodeũt, quã de ſemine, tanquã illic antea laterẽt: in ipſis quoq; animãtibus ſingula corporis membra vi ſeminis informantur: ſic penoris, vel theſauri potius loco fundendis & exerendis rebus ipſum eſt ſemen. Atq; inter hæc omnia illud pulcherrimum quoq;, quòd in tanta rerum copia nihil eſt, etſi eiuſdem ſit generis: quod non aliqua diuerſitate notatum inueniatur: vt in hominibus non reperias alteri ſimilem hominem, ita vt nihil interſit, quum tamen innumerabiles ſint, & ſi qui tamen primo oculorum coniectu ſimilitudinem aliquam inter ſe oſtendere viſi ſunt, mox comparati diuerſitate inſigni apparuerunt. Quamobrem non inſcitè Ouidius de Nereidibus pelagi nimphis illud protulit,

Facies non omnibus vna,
Non diuerſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.

Quid ergo? ſi non ijdem erant omnium vultus, nec diuerſi, quales erant? ſimiles intelligi voluit, & in ipſa tamen ſimilitudine non nihil differre tales frater-

nos & cognatos eſſe vultus interpretatur, idq; magis e natura, magis etiam decere viſum eſt. Quódq; de hominibus exempli gratia poſui, idem intelligatur de arboribus poſitum, deq; arborum ramis, & foliis de animalibus, & reliquis omnibus, quibus diſſimilis ſimilitudo ſemper contingit, vel colore, vel figura, vel magnitudine, vel alio quolibet. Hæc, quæ nunc in vnum congeſſi, ſi voluero veluti inuolucra colligata diſſoluere, & latius explicare, qui finis eſſet fandi? nam in eorum ſingulis poſſet quilibet, vel mediocriter eruditus, totum diem abſumere dicendo. Sed ex his tamen intelligi iam poteſt mundum egregia pulchritudine abſolutum fuiſſe, in quo etſi ſint quædam infimam habentia ſpeciem, placent illa tamen loco poſita, cogitantibus, quòd neque altius eminere debuerunt: ſi qua etiam aſpera, dura, difficilia inſunt, & quæ quis audeat vocare mala, fatebitur tamen ea facere ad exercendam virtutem, rem omnium pretioſiſſimã, reddere etiam oblatam bonorum copiam dulciorem: denique etſi in partibus vitioſa videantur, ad vniuerſitatis tamen ſtatum relata præclarè & vtiliter inducta fuiſſe. Et hoc eſt, quod dicunt religionis noſtræ alumni, quibus aſſentior, mundana omnia initio ſui bona fuiſſe condita, ſed vitio primi hominis, qui mandatum diuinum confregerat, in luctum & perniciem conuerſa: ſic deinceps diſponente Deo effectum fuiſſe, vt quæ partibus nocebant vniuerſitati prodeſſent: licet enim humanarum mentium vitia dedeceant, multáq; externa corporibus infeſta nullam habeant præclaram ſpeciem: attamen altera ex parte reſpondent pulchritudini vniuerſi, dum improbitas plectitur, & virtus exercetur. Oportuit certè hominem, ne veluti belua non ageretur, ſed ageret, liberum relinqui, dominúmq; conſtitui actionum ſuarum: hac facultate ille accepta vbi voluntario animi motu ad peiora delabitur, quod opus aliud relinquitur prouido rectori? niſi deinceps tranſponat malum in ſedem congruam, ſibíq; debitam, vbi bene iacere videatur, idq; dum fit, nonne huius vniuerſitatis ſtatus ornatur? meritò quippe odit & improbat Deus humanorum animorũ vitia, tanquam ad ſe nõ pertinentia, & a regula ſuæ artis abhorrentia, & tamen cõponere gaudet. Ne dicatur igitur, quòd vitiorum auctor ſit Deus, ſed ordinator: quamobrem iuſtis ad dextram collocatis peccatores in læuam iubet ire:

Nam læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Ordo quidem ſic habet diuinæ prouidentiæ, vt omnibus hominibus iuſta facienda ſint vel patienda: quicunq; illud primũ non ſequitur voluntate, ad hoc ſecundũ labitur neceſſitate, ſentiens pro his, quæ turpiter geſſit, pulchre & ordine pœnas dare. Nihil igitur nõ pulchrũ videri poterit, quãuis non omnia eodem modo pulchra, ſed alia pulchra ſunt creatione & ordine, alia ordine tãtũ: pulchrius autẽ, quod duplici cõſtat pulchritudine, quã quod ſimplici: cũcta tamen pulchra. Magnũ tamẽ eſt, vbi ad pulchritudinẽ ordinis, creationis quoq; accedit elegãtia. Veteres quidem homines, qui poſtea ſapientes habiti ſunt & dicti, arrexit hæc tanta cœli, maris, terræq; pulchritudo, ita vt primũ maximè mirarentur: deinde examinare cœperunt, vnde orirentur, quò progrederentur, in quod deſinerent, quæ quibus apta connexáq; penderent: in primis cœlum ſuſpicientes animaduertebant moueri incredibili celeritate, ſideráque per illud ferri magnitudinibus immenſis, ordine & conſtantia ſingulari:

tandem

tandem illorum itinera, figuras, interualla, & reliqua omnia notauerunt. Hac ſpecula primum oblectati quærenda ſibi etiam iſta inferiora duxerunt, magnis & ipſa plena miraculis: in quibus, quanuis in diſpari materia, ſimilem tamen artem, ordinem, diſpoſitionem inuenerunt: non enim veriſimile videbatur naturam rerum omnium opificem, quum in ſupernis mundi partibus tantam curam, diligentiam, prouidentiam exhibuiſſet, non idem in infernis oſtendere voluiſſe. Ergo horum omnium, quæ infra lunam ſunt, cauſas, rationes, motus, & diſpoſitionem inueſtigare aggreſſi, vnde ſcilicet aër & fluctus aëris, id eſt ventorum flatus exiſtant: vnde nubes, fulmina, tonitrua, nix, grando, imber, ros, pruina: cur oceanus terris circunfuſus tam latè tumens humili littore frænetur: quæ ratio æſtus maritimi: quomodo inſulæ ſubitò enaſcantur: quæ aquarum dulcium vis, vſus, origo. Hinc ad terram labentes, quæ forma eius: quanta longitudo, latitudóue: quæ partes humano generi hoſpitales ſint, quæ minimè, vel quòd calore nimio exarſerint, vel immoderato frigore obriguerint: quibus de cauſis contingat illam tremere, hiare, flammas eructare: tum de metallis, quæ viſceribus continet, tum de cæteris omnibus, quæ tergo ſuſtinet, montibus, campis, vallibus, herbis, floribus, frugibus, arboribus, ſyluis, tectis, vrbibus, portubus, prouincijs, gentibus, animantibus, lapillis, gemmis, marmoribus exquiſitè diligenterq; indagarunt, & varijs voluminibus deſcripta poſteris etiam reliquerunt. Hos ego viros iam laudare penè audeo, quos non voluptas corporis vinxit, non diuitiarum cura oppreſſit, ſed quòd erat in rebus ipſis, quæ cernebantur, ſpecies ſumma, & in illis magis ac magis ordo elucebat, naturæ pulchritudine capti ſunt, quam perſpectis rerum cauſis & rationibus omnem nudauerunt, & ante oculos mentis collocarunt. Magnum ſanè ac arduum opus, & verè homine dignum, ſecreta rerum rimari, cœlos ſcandere, terram penetrare, & eorum notionem traducere, quæ ab humanis ſenſibus procul mundi artifex amandarat. Certè maiori admiratione digna erant, quæ per omnem illi ætatem adhibito ſtudio atque labore contemplari voluerunt, quàm in fœmina vna aurei, capilli, roſeæ, genæ, eburneum collum, & alia quædam nullius ferè pretij, quibus nos veluti pueri obſtupeſcimus. Quòd ſi infimis iſtis ac penè nihili rebus voluptas ineſt quædam, ſi venatio, ludi, theatrum, pila, curſus, arma, militia, & reliqua huiuſmodi oblectant, quàm iucundiſſimo exiſtimandum eſt perfrui animos eorum pabulo, quibus propoſitum eſt ſpectaculum naturæ rerum? vbi etiam quæritur & inuenitur, quis ſit ille nobiliſſimus mundi architectus, vltima rerum cauſa, cuncta creans, commouens, diſponens, temperans, prouidens, nuſquam diſplicens, ſed per omnia probatiſſimus, cuius ſummæ & infinitę poteſtati etſi nihil ſit contrarium (potuit enim perficere quęcunq; vellet, nec tenetur ordine, quem ipſe conſtituit,) attamen ordinem hunc magna ſapientia ab eo inſtitutum credi par eſt, & gaudere illum omnibus, quæ ab ipſo certa ratione profecta ſunt, exiſtimandum. Etenim quemadmodum exercitus imperator, etſi poſſit pro arbitrio ordinem, quem ſemel inſtituit, conuertere (non enim ipſe propter ordinem, ſed ordo propter ipſum eſt) attamen id nunquam faciet, ſed ordinem, ſi in eius inſtitutione nihil ipſum fefellit, tenebit, atq; adeo carum habebit. Sic mundi conditor pulcherrimum hunc ordinem ab eo ſapientiſſimè inſtitutum, non condem-

nat, vt flectere, & commutare velit, verùm diligit, atq; probat, & eius proceſſum ſuſtinet ac moderatur. Nec nos ſanè præſtantiorem eidem hymnum perſoluere poſſumus, quàm ſi tam perfecti, támq; exculti operis rationem aſſiduè meditantes, tanti artificis potentiam, ſapientiam, bonitatem veneremur. Hæc habui, quæ de pulchritudine dicerem: quam non corpoream tantam, ſicut plæriq;, fore puto: ſed eò ſtatuo clariorem, quò illam magis ratio a corporibus diuellit. Si qua autem ex ſermone noſtro maior etiam inſurrexit dubitatio, aut oppugnare omnino paras, id nunc expedi, vel ſi longum putas, alio die te diligenter audiemus. D I O. Quid alio die? quid te diligenter audiemus, mihi memoras?

O inuenta, o cogitata, o demonſtrata, o diffinita,
o explicata, o verba, o reſponſa, o addita
extra cauſam, non tamen ſine cauſa,
o cuncta denique præclara.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS DE PVLCHRO
LIBER SEXTVS.

AGRIGENTINI Quo tempore vana Deorum religio humanis mentibus inſederat, ad màgnificentiſſimum & tunc religioſiſſimum Iunonis Laciniæ templum legatos cum eximijs donis mittere decreuerant: inter cætera verò Tabulam peregregiè pictam illo in fano publicè dicare cupiebant. Itaq; eius gratia Heracleotem Zeuxim, quem ad magnam gloriam penicillum peruexerat, ſummis pręmiis & honoribus aduocauerunt. Atq; is Agrigentum quum perueniſſet, contemplatúſq; primo eius aduentu fuiſſet magnitudinem vrbis, potentiam, dignitatem, quibus inter Siciliç populos beatiſſimi illi numerabantur, tandem dixit ſibi eſſe in animo formoſiſſimum mulieris corpus pingere, quod Agrigentini libenter audierunt: nihil enim illa pictura nobilius fore arbitrabantur, ſi nobiliſſimus artifex in eam ſtudium & curam impendiſſet. Itaq; adhortati ſunt hominem & rogauerunt, vt quod dixerat perficere vellet, ſe gratiam relaturos. Perficiam, inquit, ſed neceſſe eſt vos mihi opitularier. Quid nam de nobis petis? Hoc, inquit, poſtquam apud vos ſum, palæſtras ingreſſus ſum veſtras, illic puberum veſtrorum corpora nudata inſpexi: quæ mihi viſa ſunt venuſtiſſima, ſicut fama ferebat: neceſſe eſt autem ſorores eorum germanas domi vos continere non minus formóſas. Exhibete mihi igitur illas, vt illic mutuer excellentē maximè pulchritudinem, quam mox omnibus artis præſidiis expediam. Hoc audito Agrigentini publico conſilio virgines eorum vnum in locum contraxerunt optionémq; fecerunt pictori quas vellet ſumendi. Ille ex omni numero quinq; dicitur delegiſſe, eáſq; nudaſſe, atq; ibidem inſpectantem, quod in quaq; laudatiſſimum fuerat, expreſſiſſe, vt veritatem ferè in picturam transferret, effigiem deniq; præſtantiſſimam muliebris formæ abſoluit, quæ ſummam tradens ſpectantibus admiratione͂, multis poſtea ſeculis in Laciniæ delubro, quò miſſa fuerat, permanſit,

manſit, atq; etiam multorum auctorum literis celebrata, diuturnius ſe ipſa vixit. Dubitauerit hic aliquis, quò iſta pertineant: facilis explicatio: vltimo enim hoc libro de ſumma illa agimus pulchritudine, quæ cæterarum caput & fons eſt, de qua dicturos initio operis profeſſi ſumus. Hanc vt perfectius & planius exprimerem, ſummi pictoris inſtituto vtendum mihi videbam. Enimuero ſi Zeuxis non ſatis credidit ſe poſſe mortalem & terrenam formam perſpectam vndiq; & notam pictura eleganter reddere, niſi exẽplar ſibi proponens ad id artem & manum dirigeret, ego diuinam & immortalem formam latentem exprimere cupiens, non ne optare omni ſtudio debui, vt tantam illam pulchritudinem intẽtiſſimis oculis, ac ſi fieri poſſet, renudatam viderem? ſic enim ipſam veritatem in exemplo intuitus, potuiſſem nobile aliquod opus efficere, & tale ducere ſimulacrum, quale nemo vnquam antea hominum fieri poſſe iudicaſſet. Sed non mortales oculos admittit illa pulchritudo, lumina tantùm mentis requirit, nec cuiuis præbet ſe videndam, ſed paucis tãtùm, qui animum purum & caſtum ab omni labe ſeruauerunt, & ad cœleſtia erexerunt: nec tamen tunc niſi in caligine ſpectatur. Quòd ſi etiam clarè ſpectetur, tamen tanta res eſt, vt omnem ſuperet humanæ eloquentiæ facultatem, nemo eam poſſit, quanuis ad dicendum inſtructiſſimus ſit & paratiſſimus, iuſta orationis maieſtate æquare, cui ne cogitandæ quidem humana mens par eſt. Itaq; fatẽdum eſt pictoris propoſito euentum rectius reſpondiſſe: nam humanam formam perfectè retulit: at ruditer Diuinam ipſe pinxi, ac ne pinxi quidem, ſed delineaui tantũmodo, & adumbraui. Illud tamen eſt, quòd æquis iudicibus maior mihi venia debetur, quàm pictori laus: Pictor enim in vna pulchritudine, & ea tenui admodum & anguſta occupatus fuit: ego ſuperiori libro flumina ipſa pulchritudinum, & nunc latiſſimum pelagus nullis coërcitum limitibus oſtendere aggreſſus ſum. Zeuxis alienos oculos aſſimulata ſpecie paſcebat: ego eius formæ, quæ ſola veriſſima eſt, cõtemplatione animos noſtros replendos eſſe admoneo & adhortor. Quòd ſi non omnia perſequutus ſum, nõ tamen apparet me inertiæ vitio, ſed ipſa materię difficultate ſuperatum. Quis enim hoc a me poſtulauerit, vt in vnicã illã & ſimpliciſſimã omnium pulchritudinum ſimul collectarum ſpeciem ſecurè oculos mentis defigam? fateor fulgentiſſimum illum ſplendorem ferre me nõ poſſe, dico in maximo lumine tenebras mihi ingentes oboriri. Quòd ſi quidam reperiantur ſcriptorũ noſtrorum probatores, mirentur tamen, quòd ab initio ætatis aliud literarum genus tractare viſi, hęc nunc edamus, hi mirari deſinent, ſi perſpexerint non eſſe eam humanorum ingeniorũ anguſtiam, vt intra vnius tantùm diſciplinę curriculum verſari queant. Non poſſunt præſtantes cohiberi viri, quin in diſciplinas excurrant plures incognitas ante & intactas, ſeu quòd præclarum ſit variæ eruditionis ornamentis vnum hominem collucere, ſeu quòd (ſicut plærinq; diſputauere) omnes ingenuæ artes naturali quadã inter ſe cognatione continentur, quæ eò vberiores efferunt fructus cum admirabili iucunditate, quo pluresearum cognitæ fuerint & perſpectæ. Vana ſuperſtitio eſt in artibus vnicuiq; certam ſedem ac locũ aſſignare, tanquam pompa quædam circunducatur, quandoquidem id vniuſcuiuſq; maximè propriũ, in quo ſe poteſt cum laude & dignitate exercere, ſiue id vnum fuerit, ſiue plura. Cato ſuperior dictus eſt optimus fuiſſe Orator, optimus Senator, optimus Imperator: varia hæc & ma-

gna: ſed & origines idem vrbium, hiſtoriam temporum, philoſophorum placita, iura ciuilia, rem ruſticam, morborum remedia cognouerat: nec cognouiſſe ſatis fuit, multa etiam illorum literis tradidit. Ferunt paria ferè numero fuiſſe in Aphricano poſteriore. Cenſebant illi viri non dimotis aut corruptis, ſed ſaluis artium finibus, licere ſibi ad alia diſciplinarum genera, tanquã ad ignotarum gentium notitiam penetrare. Quanto interuallo armorum tractatio a ſtudiorum vſu diſiungitur? attamen Pericles, Alcibiades, Phocion, Timotheus Athenis nati & bella glorioſe tractarũt, & literas. Quo minus mirandum eſt aliquos in eiſdem literis diuerſa ſtudiorũ genera ſectari, ſicut (vt reliquos omittam propter multitudinem) Ariſtotelem feciſſe videmus, qui quum naturalium rerum cauſas ſolertiſſimè indagaſſet, animalium cunctorum cœlo, mari, terráq; peruagantium ortus, figuram, pabula, cubilia, partus, ætates, deſcripſiſſet, non tamen his ſe tenuit, ſed inſtituta poſtmodum populorum, mores, leges, virtutis vim attigit: nec in reſpublicas modò, ſed & in ſingulorũ domos viuendi præcepta introduxit: idem libros de diſſerendi ratione & de omni dicendi facultate ornatiſſimos reliquit. Ego igitur, poſtquam ita ius ciuile didici, vt reliqua tamen mihi non abrogarem, quæ cognitione eſſent & ſtudio digna liberali, ſermonem habui in amicorum cætu antea perſcriptum, quem perficere cupiens ſic ſequentia prioribus intexo. MAR. Quid eſt, quòd tam validè nuper exclamaſti? me enim adeo exterruiſti, vt nunc primum collegerim mentem: & vbi pudor? & modeſtia? nam quæ virtutes quondam tibi fuerant hoſpitæ, nunc eas fugaſti. DIO. Ignoſceres clamori noſtro, ſi videre poſſes, quanto afficior gaudio, quòd hæc abs te mihi diſcere contigit. an non fœliciter illuxiſſe mihi hunc diem putem, in quo tantarũ rerum rerum ſcientia auctior ſim factus? tu verò, quæ difficillima erant & ſubtiliſſima, adeo complexus es verbis, vt facilia eſſent cognitu, & auditu iucũda. Te beatum igitur voco, cui ſic dicere, multò magis ſic ſapere conceſſum eſt. MAR. Dicito adoleſcens, num te paulo ante lyra perſonantẽ vidi? DIO. Videre potuiſti. MAR. Eam rurſus vellem lyram ſumeres inter manus. DIO. Quam ad rem? MAR. Men rogas? vt pulſares, video enim tibi fuiſſe propoſitum aures meas mulcendi, id lyra melius foret conſequi, quàm verbis: inſtrumentum enim illud ad voluptatem natum, quod qui tractare norunt, a muſis nomen ducentes muſici nuncupantur: itaq; ſi quis eo ad voluptates cæterorum vtatur, nihil ſanè peccat. Verba autem, non quò blanditijs mutuis animum illiceremus, natura homini dedit: ſed quò vera tractarentur, & grauia & honeſta: maximè verò ſi alicubi peccatum eſſet ab amico per imprudentiam, id vt oſtenderetur. DIO. Ego verò non placendi ſtudio te paulo antè laudaui, ſed quia vera dicere arbitror, quæ vel iuratus in iudicio teſtarer, vel pro te de illis ſpondere vellem. De rebus enim tenuibus plena, de aſperis nitida, de obſcuris dilucida tua fuit oratio. Tu in propoſita quæſtione vidiſti & quid fuerit dicendum, & quo quidq; loco ponendum, & quomodo eloquendum: acutè docuiſti, aptè diſtribuiſti, ornatè explicaſti: nihil deniq; admirabilius hac tua dicendi grauitate, copia, varietate. MAR. Me miſerum, quid in me has intonas laudes? præſertim tã rhetoricè dictatas, vt perſuaſeris, quæ ſcio vera non eſſe, nihil veritus, ne ad cantum tuum ſuccreſcerem, & veluti pennis humero vtroque enatis per aëra iam curſu ferrer, quod tamen niſi per ſomnum & vaniſſi-

mam cogitationem accidere ſolet. Quamobrem vide quæ defenſionis tibi pateat facultas, qui amicum immerentem tanto in periculo collocaris: quanquam excuſatum te mihi præbent ætas tua, & amicitia noſtra: ſimul & illud, quòd forſitan te latet, quàm amicus ſim corripientibus, & quantum ipſam correptionem putem in humanis rebus eſſe bonum. DIO. Explica id quæſo, quo modo corripi bonum putas, poſtquam (vt ais) me id latet. MAR. Si quis de humanis correptionem, ſeu (ſi grauiori verbo vti libeat) obiurgationem tolleret, magno medicinæ cuiuſdam bono vitam ſpoliaret: etenim de duobus neceſſe eſt euenire alterum, vt aut vero aut falſo obiurgemur: ſi vero, non ſtultorum more improbè factum amare, obiurgantes odiſſe debemus: ſed contra dolere improbè facto, beneuolentiam obiurgãtibus reddere, cauere inſuper, ne poſthac tale quid committatur: nam quod audire timemus, multò iuſtius timebimus, ne ſimus. Sin pro falſis nata erit obiurgatio, non moleſtia tunc & dolore, ſed gaudio potius affici oportet, quòd & falſa ſint quæ obijciũtur, & ſimul oblata facultas ſe purgandi, & criminis renuendi: ſimul & illa obiurgatione admoniti erimus cautiores in poſterum ad ſuſpiciones vitandas. Itaq; vt ad hæc redeam, quærebam ego hominem, qui intentis oculis mea vndiq; omnia luſtraret, gratiáſq; tunc haberem ingentes, ſi prudenter, atq; adeo ſi ad calumniam proximè non ſententias modò, ſed ſingula penè verba cenſeret, tanquam præſenti argẽto coëmere vellet: admonitus tunc vbi crimen ineſſet, ſeu criminis ſuſpicio, ſcirem quid vitari oporteret, & quomodo eruditè magis diceremcogitandũ foret. Hoc a te antea præſtitum fuit, dum pulchritudinem ordinémq; mundi oppugnares: idem etiam præſtare aduerſus reſponſum meum debebas. Nunc quid opus fuit homine tam facili & tam parato ad laudationis opus, ſeu potius adulationis? qui ad gratiam omnia, nihil tamen gratia dignum loqueretur. Scio me habuiſſe orationem bene longam: ſed non tantò melior, quãtò longior, ſed quantò verior. DIO. Gratum igitur feciſſem, vt video, ſi verbis meis te voluiſſem pungere. MAR. Dixi antea, quòd obiurgatio medicina eſt quædam, quæ etſi guſtatu acerba, tamen viſceribus concepta & digeſta parit aliquid ſemper ſalutare. Itaq; ſi cum pueris res tibi eſſet, vinces metu amaritudinis, ne medicinam velint ſalutarem bibere: viros quidem prudentes nunquam auertas, quin grauem, liberam, fortémq; obiurgationem gratè audiant, quantum in ea inſit ſalutis proſpectantes. DIO. Aſſentior his, quæ dicis omnibus: attamen, quòd te laudauerim, magnam mihi deberi in præteritum arbitror veniam, nunc etiam maiorem: nam iuſtæ laudationis verecunda recuſatio efficit, vt magis etiam laudari debeas. MAR. Magicum fortius renouas cantũ, & callidè omnino aſſentaris mihi. DIO. Quid? tu me aſſentatorẽ putas? caue dixeris. MAR. Non igitur dixi, ſed illud, quòd eximius amor erga me illuſtre iudicium tuum obſcurauit. DIO. At amor non adduxit me, vt iudicarem, ſed iudiciũ impulit, vt magis amarem. MAR. Quid ais? nam ſi nec amore laberis, nec callidè aſſentaris, reliquum eſt igitur (quod grauatè dico) vt apertè irrideas, & illudas. DIO. Egó ne irriſerim, qui diuinitus omnino exiſtimo te locutum? MAR. Imo irrides: nam homo ego quum ſim, qui fieri poteſt, vt diuinè loquar? habés ne, quomodo hoc dictũ tuum ne abſurdum ſit, poſſis defendere? DIO. Non defendo: quod defenſione mihi indigere non videtur. MAR. Quid? ſi doceo abſurdiſſima te nunc

omnium

omnium facere? DIO. Quæ? MAR. Attende, nam demonſtrauero. Primum dico te in ea eſſe ſententia, quaſi ipſe nuper commodiſſimè fuerim locutus. DIO. In hoc abſurdus non ſum. MAR. Mane, nondum ad exitum perueni: quæro enim, ſi quiſpiam lyram nunc tuam artificioſiſſimè tangeret, ederet autem tunc ea dulciſſimos ſonos, vtrum laudares duorũ, lyrám ne reſonantem, an artificem percutientem? DIO. Abſurdus tunc eſſem fateor, ſi lyram laudarẽ tunc, quanuis meam, quoniã per ſe muta eſt illa, gratiſſimè autẽ tunc loquax, vbi artificis manus accedit. MAR. Hoc, quod abſurdum eſſe rectiſſimè putas, dico te feciſſe. DIO. Vbi? quando? quomodo? MAR. Hic, nuper, ſic: nam quemadmodum homines ſua habent inſtrumenta ad aures reſonantia, ita Deus ſua habet, per quæ ad homines perſonat: hæc ſunt ipſa humana ingenia, quæ vbi impellit ille, vt vera inueniant, inuenta diſponant, diſpoſita eloquantur, tũc digniſſimus planè & elegantiſſimus funditur ſonus: ſin autem per ſe homo ingenij ſui fides pulſare velit ceſſante Deo, tunc lyra ipſa delirat. Si tibi ego igitur commodè loquutus videor, cur lyram laudaſti artifice Deo dimiſſo, qui lyræ fides tractauit? agebat ille in me, ego me ipſum pulſanti præbui, & inſonui, quod audiebas. Itaq; vocem illam tuam non inuitus audiui, dum diceres me hominem diuinitus loquutum, ſi ita intelligeres, diuinitus, ideſt auctore Deo, ad quem laudem tunc omnem referri æquum cenſebam: opus nanq;, quod efficitur, non aſcribendum inſtrumento, ſed ei, qui vtitur inſtrumento, & cuius etiam ipſum eſt inſtrumentũ. Quamobrem non libra ponderat, ſed libripens: non vulnerat enſis, ſed miles enſe: non aratrum ſubigit terram, ſed agricola aratro. DIO. Accipio rationem hanc tuam, & eã admodũ comprobo: poſthac autem, vbi quempiam videro magnum aliquid ac admirabile tranſegiſſe, opus eſſe Dei putauero. MAR. Putato planè: Deus eſt enim ille, qui pulſat & impellit hominem, & eo vtitur, tãquam muſico & concinno inſtrumento, vbi verbis res tranſigitur. DIO. Aſſentior. Tua igitur diuina (ſic enim dicam) oratio ita animũ meum pepulit, vt nihil vnquam audiſſe videar libentius. MAR. Sed quieſce adhuc paululum, & conſidera, quod dicam, ſic forſitan orationem meam non tam valde laudaueris, & minus diuinam putabis. Magnum ſemper arbitratus ſum eum eſſe virum, qui abundantia quadam & fœlicitate ingenij ſeu perſpicacia & acumine, extundere aliquid poſſit nouum & inauditum, carpereq; iter audeat ſecluſum, nullius ante preſſum veſtigio. Hunc ego veneror: cæteros non deſpicio, ſed neq; pari honore colo: nam inuenta ſtulti etiam inueniant. Hæc ratio quęcunq; imbecillitatis ſuæ conſciũ impellit, ne velit ſibi quidquam tribuere, & ego horũ vnus. DIO. Quid ais? aut quorſum hæc ſpectat oratio? nõ enim intelligo. MAR. Dicam apertè: ſi ego, qui philoſophus non ſum, doctè (vt ais) & peritè illa diſſerui, tu me mea dixiſſe putas? equidem aſſentiar tibi, modò concedas etiam, quòd qui eſt caluus, & comatus videtur, ſuos habeat crines. DIO. Vnde te igitur illa ſumpſiſſe dicemus? MAR. A Platonicis ſumpta potes dicere & alijs ſapientibus viris, quorum per literas ſucciſiuis (vt aiunt) temporibus peregrinamur, quandoquidem princeps mihi opera in iuris ciuilis cognitione poſita fuit: nomina ſi referam auctorum, videar tibi memoriam exercere velle, adeo longum fuerit memorare: ſed ſatis ſit breuiter dixiſſe, quòd hæc omnis copia de alienæ ſapientiæ venit theſauris. Vide igitur, ne tibi, qui de me tam validè

exclamaſti,

exclamaſti, tanquam pulcher fuerim in dicendo, erubeſcere de illis laudibus neceſſe ſit, aut huiuſmodi furta comprobare cogaris. DIO. An tibi furari is videtur, qui lumen accēdit de lumine? vel qui aquas haurit de flumine? nam cuncta ad diſciplinarum facultatem facientia literis tradita tam publica arbitror, quàm flumina, quàm ſolem ipſum, quàm aërem, quàm mare, & maris littora. Neceſſe autem eſſe video, vt naturalium rerum cauſas & ſtatus expreſſerint prius, qui prius illa tractauerunt: ſed ſi quis diſcerpta colligere poteſt, & obſcura illuſtrare, ambitioſa recidere, decurtata extendere, & rectè poſita nouo aliquo argumento confirmare, is proprio in opere verſari videtur, reddens meliora, quæ aliunde accepit. Itaqꝫ & te tua locutum exiſtimo, & laudationis in te collatæ minimè pudet: non enim laudaui picam (vt opinor) quæ eadem verba ab alterius ore excepta reddit, nullo addito aut dempto. MAR. Exiſtimas igitur me mea dixiſſe? DIO. Sic equidem exiſtimo. MAR. Ego quoque idem tecum ſentio, ſed alio forſitan modo: nam quæ dicta ſunt hactenus, vterqꝫ vera credit, an non credit? DIO. Credit vtiqꝫ. MAR. Si falſa eſſent, aliena ducerem: poſtquam vera apparent, vt mea complectar, hácqꝫ regula veri falſiqꝫ meum alienúmqꝫ diffinio. DIO. Et rectè tu quidem diffinis. Sed non quieſcit adhuc animus ingratitudinis crimine aſpergi metuens, niſi te aliquo pulchro nomine hodie donauero, tanquam corona, pro opera, quam egregiè modò nauaſti. Libenter doctum vocarem, ſed repudiabis: diligentem igitur vocabo, & omnis ſapientiæ ſtudioſum, ſi permittis. MAR. Voca vt libet: non enim hic magiſtratum gero, vt interdicto vetare poſſim. Attamen o amice hæc tanta tui animi erga me propenſio, quò vehementior, eò odioſior, ſi a veri iudicio recedit: in errorem enim blandè me traheres verbis tuis, niſi quòd qualis ſum non me latet. Nam reſpiciens in antiquorum labores lucubrationéſqꝫ illorū doctiſſimas, videor mihi dies totos noctéſqꝫ ſtertere: & tamē tanti viri non aliud appetiuerunt nomen, quàm id, quod ad me defers: philoſophos ſe appellabant, ideſt ſapientiæ ſtudioſos: illi duces ſunt, & præceptores eorum, quæ audiuiſti. Scio paſſim exiſtimari hoc philoſophi nomen mediocre eſſe nomen, minimè ferox & elatum, atqꝫ ita modeſtiæ principio ferunt repertum: nam quū inueſtigatores naturalium rerū vulgo ſophi, nuncuparentur, poſteriores inuidiæ declinandæ gratia ſe philoſophos dici maluerunt: pleriſqꝫ tamen ne hoc quidem poſtremū nomen ab arrogantia videtur eſſe procul, philoſophóſqꝫ inſectantur, quòd ſibi hoc nomen arripuerint, quod nulli vnquam ſummates viri, quanuis conſilio prudentes, & in rebus gerendis induſtrij, vendicare ſunt auſi, non quia optimis non intenderent, ſed ea facere, quàm promittere mallebant. Ego verò, qui nunquam talibus incubuerim ſtudijs ex profeſſo, ſed veluti præteriens quædā tantùm aſpexerim, quomodo non iuſtius detrectauero id nomen, quod magnis viris penes quoſdam inuidioſum fuit ſumpſiſſe? Sed forſitan callidior es, quàm putaram: nam ideo in meas proueheris laudes, quòd earum te quoqꝫ putes participem, quaſi nō minimi momenti tua fuerit oratio, cui refellendæ tā acriter vacaui. Etenim quòd antea dixi, nunc quoqꝫ dico, & ita iudico, a te nihil prætermiſſum eorū, quæ pro illa cauſa dici potuerunt: magna item ſubtilitate, magno & ornatu abundauit illa omnis oratio. DIO. Quaſi dicas ea me iam diu meditatum, & in commentarijs habuiſſe. MAR. Rem ipſam liquidò tenes: attamen ſuſpicio-

nem facit, quòd videris tam paratus veniſſe, adeo vt ſi hæc literis traderentur, non deeſſent, qui dialogos hos eſſe fictos opinentur. DIO. Opportunè allata eſt a te mentio dialogorum ſcribendorum: nam audeo abs te petere, vt iſta, quæ hodie inter nos contulimus, literis mandare velis: nã mihi & his omnibus gratam rem, atque dignam feceris. MAR. Præclarè, quaſi non idoneam nuper attulerim cauſam nihil ſcribendi, ne me irrideant, qui me cõmentitiam fabellam attuliſſe putent. DIO. Quid refert factáne an ficta accipiantur? quando etiam fabulas fictas cum voluptate legi videamus, modò fœlicibus contextæ ſint verbis & ſententijs: & nemo mea ſententia futurus eſt tam emotę mẽtis, qui non intelligat hanc fingendi licentiam ſcriptoribus ſemper omnibus patuiſſe. MAR. Si id me vis efficere, quod nũc poſtulas, adiuua tu me quoque, & affer huc omnes neruos cogitationis tuæ, vt illud conſideres, num quippiam deſit orationi meæ ſuperiori, vt illud addere, & abſoluere rem poſſim: turpe enim fuerit vtrique noſtrũ, ſi contigerit fabulam mancam & imperfectam vulgo oſtendi, & meliore forſitan ſui parte carentem. Enimuero mihi adhuc videor medijs in fluctibus verſari, nec adhuc oſtendere ſe portus videtur, quẽ peto. Sed longius etiam abeſſe. DIO. Mihi & his omnibus pleniſſima oratione tua ſatisfactum fuiſſe arbitror, veruntamen nunc me quædam percutit cogitatio reuoluentem ſuperiora dicta. MAR. Quænam ea eſt? DIO. Audies: nam quum hoc omni ſermone patefactũ ſit corporis nullam, vel tenuem eſſe admodum pulchritudinem, animi verò admirabilem, cogitabã quanta in hominibus foret peruerſitas, qui animis neglectis corpora ſic in honore haberẽt: quanta enim pro illis molimur? nos pretioſas induimur veſtes, auro gemmiſque tegimur, & perfundimur vnguentis, vt elegantia appareat nobiſcum, & munditia, & gratioſus ornatus: nos piſcationibus profunda ſerutamur aquarum, venatu ſyluas & campos fatigamus, artificia adhibemus coquorum, demum voluptaria vndique obſonia ventri paramus: nos marmora domibus noſtris, & picturas parietum, & laquearia aurata addidimus. Quid ita? quia inter clariſſima quædam inhabitare libuit & cõmorari. Daretur neceſſitati venia, ſi non qualiſcunque veſtis, quilibet cibus, & omne tectum ſufficeret: nunc corpus honoramus pretioſiſſimis rebus, vt dominum, cui vilia quæque, vt ſeruo, præſtanda erant, atque adeo debebantur. Eſto, concedatur tantarum rerum luxus corpori, modò æqua animi cura ſit: ſed eius magna eſt incuria, quandoquidem bonis illum artibus & cogitationibus fraudamus: nam vbi eripueris animo intelligentiam rerum magnarum, actionem honeſtarum, & inquiſitionem verarũ, tunc planè concidit ille veluti inopia bonorum ſuorũ preſſus, & quodammodo exanimis (vt ſic dixerim) redditur, nec tunc quantam a natura pulchritudinem fuerit conſequutus, nec quibus augere illam rationibus valeat, percipere poteſt: quomodo igitur nõ dolendum corpus ſuperfluis abundare, animo neceſſaria deeſſe, vtrum horum præeminet? At illud perſpicuum eſt animum præſidem eſſe corporis: quis præſtantior? dignior? nobilior? diuturnior? eodẽ modo animus. At corpus ſuis gaudet voluptatibus, in hoc verò vincit animũ, qui ſuis non gaudet, quoniam nec præbentur: meliori igitur parte neglecta deteriorem curare, quid aliud, quàm totius hominis vituperium eſt? MAR. O rectam querimoniam tuam, quã iam facio meam, illi enim aſſentior, Sed valde augeres ipſam, ſi ſcires, vbi vera illa ineſt pulchritudo, quæ ſola veriſſimum

eſt ani-

eſt animo noſtro indumentum, pabulum, hoſpitium, hanc enim derelinqui nihil aliud flebile magis ac lugubre. DIO. Eſt ne ex alio genere pulchritudo vlla, quam non attigeris? MAR. Fortaſſe, ſed poſterius videbimus: nunc verò cenſerem relinquenda nobis hæc ſedilia, & veluti loci mutatione animũ reficiendum. DIO. Præueniſti: ego enim idem fieri oportere iam mihi ſumpſeram. MAR. Conſurgamus igitur: iam enim calor ita ſeipſum infregit, vt nihil tam opaco opus ſit loco. Ecce egreſſos ſylua nos hæc attonſa pratorum gramina læte ſuſceperunt: cœlo nunc magis libero fruimur & aperto: iuuat virides has herbas pede calcare. DIO. Quid tu? diſputaturus deambulando id munus explere malles, ſicuti nunc facis, an ſedendo? nam quibuſdam viſum fuiſſe ſcio, dum ſedemus, ſapientiores nos fieri, non ſic dum deambulamus. Hinc ſella attribuitur doctoribus in gymnaſiis, iudicibus etiam in foro, quò hi in dirimendis controuerſiis, illi in docendo fiant ſapientiores: ergo ambulationem cenſent importunam eſſe ad iudicandũ, & rectè ſentiendum. MAR. Quid cauſæ? an quia motu corporis huc illuc pariter cum illo mouetur ingenium, & pedum itinere mens fatigatur? DIO. Minimè quidem hoc exiſtimabant: abſurdũ enim illud, ſed id, vt opinor, ſecuti ſunt, quòd dum incedimus, viſorum multitudine ſolicitatur animus, qui per oculos videt, adeo vt ſapientiæ nequeat fungi munere, quod in diuinarum humanarúmq; rerum contemplatione ponebant. Quod ſi ita eſt, non reperio quomodo defendam Peripateticos qui diſputationes ſuas ſic deambulando conficere ſoliti traduntur: ex quo nomen etiam duxerunt. MAR. At fortaſſe ſe illi ita defenderent: nam corpus exercitatione & motu incaleſcere ſentis, quod etiam ingenium excitat, & vegetum magis reddit: hinc aſtutos viros & verſutos proprio iam nomine callidos vocamus, & in calidis regionibus ingenia hominum acuta, ſicut in frigidis ſtolida & obtuſa videmus, & mares fœminis prudentiores ob calorẽ: nec id latuit ſummum illum poëtam noſtrum, dum hæc cantaret,

Sin, has ne paſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis,
Arua mihi, & rigui placeant in vallibus amnes.

Et reliqua. Vides ne quàm ſcitè expreſſerit gelu ſanguinis intelligentiæ rerum officere? Illud autem vulgatum, fieri animum ſedendo ſapientiorem, quicunque ad animi magis ipſius ſeſſionem retulerit, is rectius ſentiet. Nam animus tunc ſedet, vbi ab omni perturbatione vacuus & ſecurus eſt, fruitúrque placidiſſima pace, qua ſanè illi opus eſt, vt perfectè omni ſapientiæ fungi queat munere. Sin aliter, quid refert ſedere corpore, ſi animo fluctuamus? Nemo inuenitur tam amicus corporis quieti, vt non illam multo magis in animo requirat. Verùm quoniam propoſita eſt quæſtio de corporis ſede & ambulatione, quæ ſibi ipſis inuicem repugnant, vtraq; autem videri ſe vult meliorem, tantam autem litem diffinire ad nos non pertinet, vel ſi ad nos, non ad hoc tempus, ideo nunc neutrum ſequemur. DIO. Quomodo id ais? MAR. Quia nec ſeſſionibus vtemur nec ambulationibus, ſed intonſis his ſub lauris ſtantes circum ſe fundente hoc iuuenũ grege reliquũ ſermonem perficiemus. DIO. Cenſeo, facilius enim hi ſtantem excipient, quàm deambulantem ſermonem. Sed quibus agetur nunc de rebus? MAR. Intende animum: nempe in ſylua dixiſti, dum illic, quæ de pulchro videbantur, tractaſſem, oratione mea ſatisfa

ctum animo tuo fuiſſe. DIO. Ita ſe habet. MAR. Quandoquidem tibi per me ſatisfactum eſt, viciſſim per te mihi ſatisfieri velim. DIO. Ergo nondum ad ſummam peruentum eſſe, & quęrendum vlterius aliquid intelligo. MAR. Quid eſt, quod quærendum tibi videtur? DIO. Neſcio. MAR. Quærere ergo vis quid neſcis? DIO. Hoc ſcio quæri poſſe, quod ipſe animo tecum voluis. MAR. Attende igitur: nam ego ita interpretor, voto noſtro petendum eſſe id tantummodo, quod omnibus numeris abſolutiſſimũ ſit, quoniam id ſolum requiem fixam ſolidámq; præſtabit: hoc quò facilius intelligatur, ſic conſiderare oportet: Oculos noſtros, quorũ vnũ munus eſt videre, ſi interrogemus, quo nam modo ineſſe poſſit illis ſtabilis ſufficiénſq; tranquillitas, reſpondeant arbitrari hoc euenturũ, vbi quiſpiam colorem obiecerit eum, qui omnium fuerit optimus & in toto genere præſtantiſſimus. Aures pariter ſi idẽ rogemus, non qualemcunq;, ſed perfectiſſimũ illę requirent ſonum, quem vbi hauſerint, tunc dicent, hic immorari iuuat, nihil præterea audire libet. Roga quoq; fauces atq; palatũ, tanquã animal quoddam, quod vinũ expetant ad potum: non quodcunq; expetere dicent, ſed non niſi generoſum, & tam generoſum, quod vel ebrius quiſq; laudare poſſit. Eadem demum reliquorũ ſenſuum erit ſententia, vt quod ament, in vltima ſui ſpecie tradi velint, ſi fateri habeant inuentum ſibi placidiſſimæ quietis locum. Animum verò noſtrum ſi ſic interrogemus, Amas pulchritudinem, ſed quæ nam pulchritudo tibi tradiderit, vt illic quietè tanquam in centro recumbas? nonne fatuus eſſet ille ac demens, ſi infimas has pulchritudines terrenas ad fœlicitatem ſibi proponat? & videatur eſſe ſenſibus imbecillior, qui modò ampla & perfecta bona ad ſe explendos petebant? Reſpondeat igitur ille, ſi bene ſui fuerit compos, ſe tum demũ id, quod quæritur, habiturum, vbi reiectis inferioribus ſupremæ omnium & perfectiſſimæ inhæſerit pulchritudini, leues & vulgares pulchritudines nõ ſatisfacere. DIO. Veriſſima mihi nunc dicere videris, quòd ſummæ & perfectę pulchritudini, quæ numeros omnes habeat, hærendũ ſit. Sed num hãc ſermone præterito relictam, an inuentã dicemus? MAR. Relictam planè ſentio, quoniã nihil eorũ, quæ dicta ſunt, tanti eſt, vt quietem animo præbeat, vel præbiturũ verè ſpondeat. DIO. Moleſtè igitur fero, ſi relicta & nondum inuenta ſit. MAR. Si inuenta eſſet, omni nos in poſterũ diſputandi onere ſubleuaſſet: nũc ſtudio opus eſt & inueſtigatione ſumma, vt inueniatur: quinimo iã inuenta eſt & manu quodammodo tenetur, ſi fortaſſe potes, quod quæro, docere, quod vt planius faciam, exemplo vtar: nam ſi quærerem, vt oſtẽderes mihi, quæ eſſet vera & princeps in corporibus lux, nõ tu quidẽ mihi auderes oſtendere frondoſas has arbores, nec herbam hanc virentem, quoniam illa nõ ex ſe, ſed per lucem aliam viderentur: ſed nec tum mihi aurũ, vel argẽtum, vel gemmas proferres, quæ corpora, etſi lucida ſint, tamen niſi luce alia adhibita nõ effulgent. Oſtenderes mihi igitur ignem ſilice excuſſum, quem arida materia exceptũ aleres ac foueres, & tunc flammarũ radios ſpectare iuberes: Reſponderem ignem hũc humoris copia extingui poſſe, & pabulo ſubtracto vel cõſumpto cadere, arbitrari me veram illam & primã lucem, quã quærerẽ, ſine vllo interitu manere. Hoc animaduerſo, oſtendẽtibus ſe nocturnis tenebris iuberes oculos attollere, vt tot illa ardentia cœli ſigna ſpectarem. Hic ego tantã illam multitudinẽ ſiderum cernens dicerem non eſſe vagam & diſperſam, & diſiectam illam lucem,

quam

quam videre optarem, eſſet enim infirmior, & in tanta æqualitate ſiderum alterum alteri cauſam fulgoris non præſtare: quærerem ergo adhuc vnicam illam lucem, propter quam cætera fulgerent. Tandem oſtenderes mihi ſolem, vbi ſuum terris lumen explicuiſſet. Et hic eſt (inquies) omnis corporeæ lucis caput, fons, origo. Aſſentirer, & quod quærerem vlterius, nihil eſſet. Sic faciendum nunc eſt, dum quæro, quid ſit pulchrum, nolo mihi numerari rubri maris lapillos, non aurum, non ebur, quod aiunt indicæ pecudis eſſe dentem, non ſtatuas, aut picturas, non alia formoſiſſimarum mulierum corpora: nolo item dici, pulchra humana ingenia, pulchræ virtutes, pulcher ordo rerum, & ſibi ipſi concinens variarum partium contextus: hæc enim pulchra & commutari poſſunt, & interire, & in multitudinem diſiecta ſunt. Illud quæro pulchrum, quod neceſſe eſt ita eſſe vnum, vt nihil illi par, aut ſimile ſit, & ita ſuperius eſſe cæteris, vt de illo pulchritudo omnis effluat: quod niſi extaret, nihil eſſet in rebus pulchrum: quia extat, quæcunque pulchra ſunt, per illud talia ſunt. Nempe ſuperius concluſum eſt pulchrum eſſe id omne, quod venuſtatem quandam receperit propter formam. Quæro vnde hæc ſit venuſtas formarum, quin etiam vnde ipſe formæ, horum omnium cauſam & originem, nullam putare non conuenit: ſi eſt vlla, credo quòd ſingularis erit, quòd immutabilis, quòd infinitis partibus omnia pulchritudine ſua vincet. At nomen eius vel naturam potius requiro: id enim intelligere noſtra valde refert: quomodo enim dicere poſſumus inuentam eſſe pulchritudinem, ſi ſupremam illam & excellentiſſimam ignorauerimus, quæ ſola reiectis cæteris amari debeat? Vbi enim erit conſpecta, non iuuabit vlterius ire in alia, arbitrantes nos iam ad vltimos pulchritudinis fines perueniſſe, & ex eo amore nos ad ipſam fœlicitatem eſſe venturos; hoc ſolum ſat erit, nõ vltra habebit quiſquam, quod appetat, quod inhiet quod requirat. DIO. Video quàm alte ſpectes: hoc longè ſuperauit expectationem meam: quando enim vnquam tale cogitaui? aut cogitari poſſe credidi? & nunc etiam quid opus factu ſit, ignoro. MAR. At ego ſcio: opus eſt enim, vt me doceas, quod requiro. DIO. Nihil aliud aſſequor verba tua repetens, niſi quòd intelligo, quantum aberam a ſummo, dum alias pulchritudines tantopere probarem. Itaque pudet iam deceptionis vel potius leuitatis meæ. MAR. Non admiror deteriora nos hactenus ſequutos eſſe, poſtquam ignoratione id contigit. Enimuero multa liberali ſpecie prædita tenent animos, quæ mox vbi comparatio alicuius maioris acceſſerit, modico æſtimantur: ſic æs, quod alicuius vtilitatis & gratiæ antea videbatur, redditur argenti contemplatione viliſſimum: rurſus auri comparatione meritum euaneſcit argenti: aurum quoque ipſarum gemmarum collatione contemnitur: & ipſarum quoque gemmarum ſplendor ſolis radijs collatus hebeſcit. Rerum autem omnium, quas mundus continet, longè pulcherrimæ virtutes humanis animis infixæ: quis enim ſatis admirari queat prudentiæ acumen? fortitudinis robur? temperantiæ pudorem? liberalitatis gratiam? miſericordiæ pietatem? iuſtitiæ ſanctitatem? Veruntamen vbi forſitan ſub conſpectum venerit ea res, quæ elucet ipſa per ſeſe, & cætera elucere facit ſuæ lucis radio, reliqua omnia videbuntur ſordere: ſolam hanc ſplendere exiſtimabimus. Ipſæ humanæ virtutes, quas non pulcherrimas modò,

ſed cum additamento longè pulcherrimas eſſe dixi, tunc decident a ſui dignitate maiori obrutæ lumine, & in vilium rerum parte, & (vt ſic dixerim) venalium reponentur. Quicunque igitur dixit magna multa videri his, qui maiora ignorant, prudenter cenſuiſſe credetur. DIO. Obſecro igitur te rogari patiaris. MAR. Quid rogaturus es? an vt dimittam te, ne me aliquid horum doceas, & credam te tantæ rei explicandæ non fore idoneum? DIO. Imo, quod his conſequens eſt, ne erudire graueris, quem tantarum rerum rudem & ignarum acceperis. Ego enim non mediocriter æſtuo ambiguitatis vndique pleniſſimus, quam ſi diſcuſſeris, non minus, quàm mulier partu leuata, gaudebo: nec rectè feceris, ſi deſerueris ac non extricaris. MAR. Quid igitur? rectè fecero ſi tractans quæ ignoro, de his dicam tanquam ſciens? DIO. Si nõ vt ſciens dicere vis, ſaltem, vt de his aliquid opinans dicere potes. MAR. Vtinam ambo nanciſceremur doctiſſimum aliquem & ſapientiſſimum virum, eũdémque eloquentiſſimum, qui hæc nobis pro dignitate aperiret, adeo alta eſſe & ſublimia ſuſpicor. Quin, vt intelligas magis quid & quantum petas, iam illud confirmo tibi, quod nemo ſufficienter explicare iſta poſſet, non ſi etiam omnium ſeculorum, omnium gentium pectoribus & linguis polleret, & in hac ſimul niteretur: quid me facturum putas, qui paruula cymba nauigo? & quomodo non impudenter docebit is, qui diſcere cupit? Attamen precibus nunc tuis accedens exponam rem, vt potero. Adeſſe autem oportet intentiſſimè, quin pro viribus exacuere aſpectum debemus, ſi illud eximium & ſingulare decus videre volumus, cuius imitatione nitent cætera, comparatione ſordeſcunt: nec mihi oculis opus eſt corporũ, quos ſtulti ſapientéſque promiſcuè vtuntur, ſed illos mentis requiro, quos omnes quidem habent, pauci autem exercent. DIO. Ecce mentis aciem quantum poſſum intendo: oſtende iam quod dicis. MAR. Quid hi reliqui? num ſimiliter intenderũt? DIO. Satis (vt opinor) habes theatrũ ſpectandi cupidiſſimũ: itaque omittas licet quodcunque procemium: longũ enim id fuerit videre iam iámque cupientibus, & rem oſtendi affectantibus. MAR. Rectè ſermonem meum nudatis proœmio, ſi vos ſponte attentos & dociles præbetis lumine mentis ad aſpiciendũ præparato. Verũtamen, quid ex hoc euenturũ putem, ſciré ne potes? DIO. Si dixeris. MAR. Vereor, ne celſa illa pulchritudo immẽſo rutilans fulgore mẽtis noſtræ aciem quãuis claram excęcet, quò magis ad videndũ ſe intenderit. DIO. Quid narras? MAR. Id, quod audis. DIO. Cur ergo ſuadebas aſpectum illuc conuertere? MAR. An non optima ſuadebam? quoniam nihil oberit illa cæcitas ſic parta, ſed proderit potius, reddens nos ad mortalia hęc inſpicienda ſapientiores, & (vt ita dixerim) oculatiores: magna enim videntur, quæ præ illis infima ac penè nulla ſunt. DIO. Gratias tibi habebimus ingentes, ſi hoc modo exoculabimur. Itaque aggredere. MAR. Aggredior. Enimuero locutus ſum hactenus de ea, quæ artificioſa eſt pulchritudo, non de ea, quæ eſt artifex. Magna illa prior: ſed hæc, quæ illius lex & regula eſt, infinitè ſuperior: ſicut enim nulla vera eſſent, niſi veritas vna emineret, de qua quæcunque vera effluunt, ſic nulla pulchra, niſi ſumma quædam eſſet pulchritudo origo omnium pulchrorum. Nempe quicunque aſtatis illud mihi (vt opinor) conceditis, de quo antea dictum eſt, quòd quum æternitas extaret, & præter eam nihil, res omnes tam quæ aſpectum & tactum morantur, quàm quæ effugiunt

ſubſti-

ſubſtitutæ ſunt a Deo, & origo temporis cum illis iuxta cœpit. Deus ad perfectionem ſui operis nihil inuenit paratum, nec aliquid aliunde mutuatus eſt: an non conceditis? quod quoniam aſſentiri mihi vultu ipſo videmini, conuincerem enim ſi negaretis, vel ipſa vos potius conuinceret ratio, & ratione omni valentior auctoritas, exquirendum eſt, quomodo res ipſę antea non extantes fuerint prolatæ. Et forma quidem rerum omnium, quæ in tempore fabricatæ ſunt, ante tempus omne diuinæ intelligentiæ inſederat: ſicut nec homo ipſe ædificaret domum, niſi formam, quam domui tradit, animo teneret. Quamobrem videtur quodammodo e domo domus procedere. Sed inter architectum hominem, & Deum intereſt, quòd homo, etſi millies diceret, fiat domus, non fieret, propterea quòd etſi domus forma menti inſidens ad nutum pareat, tamen cunctatur materia, quã conuehere & componere manibus oportet. Deus autem verbo ſolo non ſonabili, ſed intelligibili, quod aggrediebatur, confecit: quoniam materia omnis, tametſi non extabat, imperanti ſtatim præſto fuit: nec forma antea perſpecta defuit. Nullus artifex æquè laborat, quàm vt opus ſuum formæ reſpondeat, quam mente concepit, quia quanto magis reſponderit, tanto eius pulchritudo fuerit grandior. Ex quo intelligi poteſt cuncta meliori nota in animis artificũ, quàm in rebus ipſis ſedere: nam forma corporibus adacta lãguentem præbet & hebeſcentem oculis venuſtatem, ita vt quanto decore ornet corpora, tanto ab his detrimento afficiatur: per locorum enim ſpatia diſcerpitur atque detrahitur, & materiæ ſqualore obſcuratur. At humano incluſa animo, nec mole turgida, nec locorum interuallis diſtenta, vno nexu ſe tenens & conuertens, tunc veluti domi ſuæ poſita puriſſimè effulget, & gratiſſimè eniteſcit. Inſuper forma illa iuncta corporibus ruinæ vnà cũ illis ſubiacet, & vetuſtati: hæc verò in mente artificis poſita nunquam ſeneſcit. Quid iam de ſuprema ſapientia Dei loquar? quæ non vnius aut alterius rei, ſed ſpeciem, ſeu ideam (quomodo vocat Plato) complexa eſt vniuerſi. Hæc vniuerſi idea meritò mundus dicitur, & nobilior quidem & perfectior mundus, quàm hic, quem incolimus, qui ab illo ſumit imaginem: habet enim quæ hunc noſtrum habere videmus omnia, ſed meliore nota, illic adeſt germinans terra veſtita herbis, floribus, virgultis, frugibus: adſunt animalia cuiuſcunque formæ & mitia & ſilueſtria: adeſt mare piſcibus opulentum, immenſis claudens liquoribus terrarum extrema: his circunfunditur aër, ſupra quem ignis, ſupra quem luna, ſupra quam ſol & reliqua ſidera: demum ſupra omnia vltimus cœli complexus. Hæc & in hoc ſunt orbe: at in illo non areſcunt gramina, non langueſcunt flores, non ſeneſcunt arbores, nõ occidunt animalia, non mare concitatur, non aër: nihil circunuoluitur, nihil errat, nihil prę terit, nihil futurum eſt, nihil proximũ aut remotum, nihil breue aut longum: omnia illic quieta, ſtabilia, immortalia, nec locis vllis, aut temporibus dimenſa. Hæc forſitan obſcuriora ad intelligendum ſunt, intelligi tamen qualia ſunt poſſunt: ſed quomodo deinceps explicabo, quæ videre potius conor, quàm video. Ecce mentis noſtrę lumina in tantã pulchritudinem defixa nimio ſplendore repercuſſa caligant: non enim illic aut multitudo aut diſtinctio eſt vlla variarum formarum, ſed quomodo vniuerſum eſt vnum, ita ſpecies illa vnica eſt. Qui oculi tam fulgentem pulchritudinem ferre valent, vt nõ vincantur? Sed hoc, quod ſequitur, vereor ne iam ſuperioris pulchritudinis luce cæcatis

tenebroſum videatur. Nam quum vniuerſum ipſum partibus & numeris ſuis conſtet, diſpareſq; ſint rerum gradus: attamen tam ſimpliciſſima eſt in Deo huius imago, vt totum ſit idem, quod pars, & pars idem, quod totũ. Hoc, quod dixi tenebroſum nobis viſum iri, ſi quiſpiam ſanatis renudatíſq; oculis cõtemplari, & re ipſa cernere in clariſſimo illo vniuerſitatis ſpeculo valeret, abſorberetur profectò gaudio tam immenſæ pulchritudinis ſpectatæ. Ipſe autem iſtis de rebus quoquomodo poſſum eloquor, imperitiſſimè ſcilicet, rudibus tãtùm vtor lineamentis, & ſigno potius, quàm pingo: nec adhuc tamen planè ſignaui, niſi lineam aliam duxero. In homine præclara eſt admodũ rerum ſpecies, ſed tamen & dignitate & venuſtate inferior multo eſt hominis mente, cui deſeruit. At quum diuinæ ſapientię Platonica illa idea datur, non quidquã aſcribitur Deo, quo augeatur eius ſapientia, nec duo ſunt, idea & ſapientia, ſed vnum, ita vt nihil interſit. Nec tamen hoc cogitandum vobis, quòd propter vniuerſi formam & exemplar ſapiens tantùm fuerit Deus, ſed quòd quum ſapiens eſſet ille, vniuerſitatem hanc rerum creandarum ex æternitate ſua intellexit: quod intelligebatur tamen, ab intelligente nihil diſtabat, quia quum in Deo nihil aliunde accedat, quicquid in illo eſt, non aliud quàm Deus ipſe eſt. Quæritis arcem pulchritudinis, oſtendam, indicabo, proficiſcendum eſt animo ab omni mundo, cœlum tranſcendere oportet, ad Deum tandem veniendum: illic habitat quod quærimus. Eſt ergo vera & ſumma pulchritudo ſapientia, quæ eiuſdem naturæ & æternitatis cum Deo, genita ab illo eſt, nec fruſtra hanc ſapientiam ſacræ literæ Dei ſplendorem vocauerunt, quũ ſummam eius pulchritudinem mortalibus notam eſſe vellent: dicerem maiorem hac neq; dici nec cogitari poſſe, ſi præter hanc alia vera eſſet pulchritudo: reliqua enim omnia, quæ pulchra videntur, effigiem tantùm, & eam tenuem admodum ac inopem, referunt immenſæ huius pulchritudinis: ab hac ſumunt quod placere poſſunt: tantùm habent luminis, quantum clariſſimum hoc & veriſſimum iubar aduerſus illa inferiora refulſerit. Cæteræ quidem pulchritudines ſunt terminatæ, ſuiſq; circunclusæ finibus, & ſunt (vt ſic dicam) pulchritudines quædam, veluti virtutes ſuam habent pulchritudinem quandam, gemmæ quoque ſuam habent ab alijs differentem: ſic licet de auro dicere, arboribus, animalibus, & reliquis, vt proprio quodam ornata ſint decore, nulla res creata vniuerſam poſſidet pulchritudinem, ſed vnaquæq; ex diſtributione partem. Iſta autem pulchritudo, de qua loquor, indeterminata eſt, immenſa, extra quã nihil eſt pulchrum, imo omne pulchrum ſola eſt ipſa, & quodcunq; aliud pulchri nomine cenſetur ab ea defluit, nõ pendens ab altero, ſed per ſe ſubſiſtens, ita vt quod in cæteris eſt contingens, illic ſit ſubſtantia: ideo inextinguibilis, quia nihil ſe ipſum deſerit. Hinc etiam fit, vt reliquas pulchritudines cum ſuis nominibus appellemus, veluti pulchritudo hominis, angeli, equi, ſtatuæ. at vbi ſine additamento alterius rei nominatur pulchritudo, hæc vocata cenſetur, quæ abſoluta eſt vndiq; & perfecta, & cæterarum pulchritudinum domina & regina, atq; adeo regula & menſura: nam quodcunq; cum ea conuenit, pulchrum: quodcunq; diſcrepat, fœdum, turpe, maculoſum. DIO. Si rectè quæ dixiſti percipio, iſta eſt pulchritudo, quam ſacra nobis tradunt myſteria Dei eſſe filium. MAR. Rem tenes, ſed nec ignoras hunc eundem verbum Dei nuncupari, verbum enim incorporeum nihil aliud eſt, quàm cogitatio: hinc

tio: hinc ſcriptura inquit vnumquenque verbis ſuis fore iudicandum, id eſt cogitationibus propriis, quæ enim alia ſunt animæ iudicandæ verba? quod ne philoſophos quidem latuit, qui animam libri perſimilem dixerunt, in qua longæ cogitationum noſtrarum orationes inſcribantur: fieri autem non poteſt, vt anima verbum ſuum habeat, Deus non habeat. Hoc igitur æternum Dei verbum, quod caro poſtea factum eſt, illa eſt, de qua agimus, perfecta pulchritudo, quod dum hæc infima pulchra dixit effudit. Sed nunquid rhetorum epilogo vtendum? quo nos ipſos quantum poſſumus excitemus in amorem largifluæ huius pulchritudinis. DIO. Non ego aliud magis audire expecto. MAR. Nec ego aliud magis dicere affecto. Conſideremus igitur quàm multa bonus ipſe Deus excitarit monitoria pulchritudinis ſuæ: nam quum ex animo homines conſtemus & corpore, corpus de parentibus mortalibus ſumimus mortale, æternum ipſe animum æternus dedit, vt miſer fieret, ſi peritura: beatus ſi ſtantem, quæ ipſe eſt, pulchritudinem ſequeretur. Et quoniam clauſus corpore veluti tetro carcere prioribus infantiæ annis nihil aut parum proſpicit, ſed poſtea progrediente ætate incipiunt formæ hæ, quæ in corporibus his inferioribus cernuntur, ſenſibus lenocinari & blandiri, excitare voluit animum ſpectaculo digniori, vt a miſeria illa deduceretur. Cœlum igitur extendit aduerſus capita noſtra, quod puriſſima natura præditum eſt, quod latiſſimè patet, quod celerrimo commeat rotatu, quod variorum lapſu ſplendorum ornatur, quod ſolem fert eorum ducem & moderatorem, omnia larga luce replentem. Hæc ſpectans animus, inferiora iſta terrena veluti anguſtiora & viliora abijceret: nec tamen adhuc in cœleſtibus illis corporibus gradū figeret, ſed inoffenſo ignium illorum errore & luminum claritate parumper delectatus, aſſurgens deinceps cogitaret pulchriora eſſe multa, quæ non viderentur: in quorum numero ipſe eſt animus, omnibus corporibus ſe longè anteponens, quorum ipſe eſt cognitor, diſtinctor, & contemplator: ideo ne illa quidem cœleſtia ſupra ſe ducens, niſi forſitan loco, quū infra ipſum valde iaceant dignitate. Veruntamen multiplices in ſe ipſo partes agnoſcens, variámque animorum multitudinem conſiderans, quæ ſubſiſtere per ſe nequeat, huc illuc affectibus moueatur, nūc in ſapientia proficiat, modò deficiat, tandem ad vnum immutabile bonum aſcendat ſummè viuens ſibíque ſufficiens, quod omnis pulchritudinis iubar exiſtit. Quid videre igitur, quid cognoſcere poſſumus, quod ad contemplationem illius celſiſſimæ pulchritudinis non ſe nobis ducem præbeat? quid enim clamat vniuerſus mundus innumerabiliū rerum ordine perfectus, niſi hoc? Ego pulcherrimus ſum omnium, quæ oculi oberrant, qui quæcunque pulchra contineo: vos coniecturam nunc facite, quàm multo antecedat me decore, qui me cōtinet, a quo & figuram iſtam accepi & ſtatum, qualem videtis. Sed omittamus mundum, & mente æthercam regionem petamus fulgentibus: in primíſque ſol occurrat, cuius nomine, dum hæc tractamus, carere non poſſumus: nam ſicut feræ ſetis amiciuntur, ita ille lumine: qui quotidianum peragens iter nulla ſegnitie, ſuperiori de loco concionari mihi ſemper, & in hæc verba prorumpere videtur, O miſeri quid vana ſectamini in terris formarum munera? quid immortalem & cœleſtem partem, quæ in ſingulis habitat, luto inuoluitis? vos diuina animalia, non vt reliqua pecora abiecit humi Deus, ſed ad conſpectum cœli erexit. Aſpicite igitur quanto fulgo-

to fulgore rutilem meridie, & quàm aureo vultu oriar decedámq; terris: vbi verò me abdidero, aſpicite altera ex parte nocturno in frigore argenteum lunę ſpeculum: tum puro in cœlo tot flammarum globos, quos aſtra vocatis: illa noctu effulgent, ego interdiu, ne vllum efflueret tempus, quo nuntios non videretis ſummæ illius & beatificæ pulchritudinis, quæ ab oculis ablata eſt. Nam vbi tam pulchra oſtendimus corpora, nonne nuntiamus admirabili pulchritudine fore præditum rerum omnium patrem & dominum, qui tales nos effecit? cuius legibus parent nobiſcum vniuerſa: ipſe ego, quòd tam decorus incedo, ſui muneris eſt, cui collatus tenebræ & obſcuritas videbor. Quòd ſi quæritis, cur non oculis ſpectatur ipſe, cogitate non miniſterio corporis, quæ in homine viliſſima pars eſt, ſed nobiliſſima tantùm mentis acie, quod omniũ optimum eſt, ſpectari oportere. Hæc & talia ſol ipſe diceret, ſi loquẽdi habeat facultatem. Sed admonet tamen progreſſu hoc ſuo tacito, vt amore incendamur illius pulchritudinis, quam vel ipſe (vt ita dixerim) ſummè veneratur. Sed quid ſolẽ appello? qd æthera? nihil eſſe nobis poteſt ꝓpinquius aut vicinius, ꝙ noſmet ipſi ſumus. Quid ergo? animus ipſe noſter non agnoſcet, ꝙ immenſa ſit illius lucis pulchritudo, cuius ſe videt eſſe radiunculũ & tenue ſimulacrũ? hũc ne amabimus quidem, qui nobis formæ ſuæ ſpeciem altius infudit? an non in amore ſemper reſpondet, & obſequentem ſe præbet amatoribus ſuis? Quid facilius, quàm velle? nuda delectatur voluntate: non fortunam, non ordinem, non ætatem, non genus curat: neminem pauperem, ſenem, plebeium ducit, cui placeat, nudus ſi fueris, accedere etiam potes. Sed neq; internuntio opus eſt vllo, aut interprete, non epiſtolis, non deniq; linguæ ſono, vt indices quid velis, & quantum ardeas. Introſus ille inſpicit, & vota mentis omnium & deſideria ſemper audit. At nec armatorum præſidium habendum, nec tranſcendere clanculum ædes alienas oportet, nec longinquæ vrbes & regiones petendæ: præſto eſt omnibus locis quod amatur. Multi amauerunt honores, ad quos tamen nunquam peruenire potuerunt, quis autem amauit vnquam hanc pulchritudinem & ad eam non peruenit? Amicitias potentum ambire ſæpius cogimur per inferiores: at clamat de cœlo hæc pulchritudo, Me ipſam per me pete: ipſe amor me tibi exhibet vndiq; præſentem, vt liceat etiam complecti ſi velis. At huius complexus coninquinant: minimè vero, quin fragrant caſtitate, & eam munditiem inferunt cordibus, vt poſt illa nihil impurum libeat ſentire: ipſa autem vndiq; mundiſſima eſt omnium, ita vt eius in conſpectu cœlum ſordeat, nec pura ſint ſtellarum ipſarum lumina: nec quum amplecti cupis, dicendum eſt alteri, qui iam teneat, recede vt ego accedam: quod enim ille tenet, eiuſdem tibi integra manet copia: ſicut enim cantantis ſonus in turbam miſſus, totus ſingulorum aure capitur: & ænea equitis effigies columnæ impoſita medio in foro plenè ſimul tangitur oculorum plurium conſpectu: ſic pulchritudo illa ſpectandam & contrectandam integre omnibus vno tempore ſe præbet. Quanquã in his ſimilibus illa inſit diſſimilitudo, propterea quòd cantantis ſonus aëri impactus per tempora tenditur & ducitur, vt aliud prius, aliud poſterius veniat ad aures: & equeſtris ſpecies tanquam intumeſcit per locos, & quaſi per membra diſcerpitur, vt vbiq; tota non ſpectetur. Quæ cõtrario modo habent ſe in iſta pulchritudine, de qua loquor, quæ nec partibus, nec locis, nec temporibus diuiditur, ſed ſimplex & integra vndiq; ſtatim arripi poteſt,

pi poteſt,

pi poteſt. Deinde terrenis iſtis in rebus præpedimur maximis anguſtijs: nam vbi in theatro ſpectaculum ludorum indicitur ad oculorum & aurium voluptatem, concurrit certatim plebs, quæ quò maior, eò plus ſe coarctat, pugnatur de ſedibus, nec quem volunt omnes, ſed quem valent, locum occupant, & fit, vt minus bene videant & audiant longinqui, alii autem referto theatro penitus excluduntur. Non ſic in Dei forma, quæ omnia tenens patere poteſt populis, nationibus, gentibus vniuerſis: nullæ anguſtiæ ad contemplandum lædunt, nulla longinquitas: dicerem ſimiliter ſolem ſpectari (nihil enim illo videtur humano generi communius) niſi quòd ſolem & nubium & opacorum omnium corporum denſitas interiecta ab aſpectu noſtro ſubducit, & ipſe occaſu ſuo ſpectandi cupidos deſerit. At quæ nubes, quæ aëris tempeſtas, quæ nox, qui paries, quod tectum, qui mons, quod profundum terrarum, qui clauſus ſinus, quæ abdita ſpecunca obex eſſe poteſt diuini luminis, & animi in illud tendentis? Sed ſuperueniet duriſſimũ hoſtile bellum. ne curandum quidem de humano bello, quod a ſpectaculo & amore cœleſtis formæ poterit deiungere neminem. Quid? quòd abducent forſitan hoſtes in captiuitatem. rem miſeram, ſiquidem eò abduxerint, vbi diuinæ pulchritudinis radij nequeant penetrare: ſed quis eſt is locus? & ad quas partes? & quæ via fert ad illum? equidẽ nullum puto. Non poteſt hæc tanta pulchritudo ab eius cupido amitti, non inquam: vitat ſolum peccatum, tanquam rem fœdiſſimam, peccatum autem voluntarium. Ergo, niſi vis, non amittis: quicquid enim geritur, aut defendendum non eſſe peccatum, aut ſi peccatum eſt, fatendum natum eſſe voluntate: quanquam peccati ipſius conditio hanc amiſſionem facit. Nam peccare nihil aliud eſt, quàm auertentem ſe a ſumma huius pulchritudinis ſpecie animum inferioribus adiungere, quod faciunt hi, qui honores, pecuniam, voluptates, & alia ſeculi bona inſano amore perſequuntur, tanquam præ omnibus expetenda. Hinc auaritia, ſuperbia, luxuria, & alia vitiorum genera gignuntur. Corpora amata intereunt, & omnis eorum pulchritudo vaneſcit: at æterna & ſtabilis Dei imago, cuius immenſus fulgor ſi vincit mentis aciem, meminerimus quia nec cœleſte hoc ſolis iubar mortales oculi ferre valent. Quod quiſque poſſidet priuatum, id cæteri vel vi, vel clam auferre moliuntur, & ſi non auferatur, moleſtum eſt tamen, quòd auferri poſſit: ſolus qui hanc amat pulchritudinem inuictus eſt, quia eripi ei non poteſt quod amat, nec vlla prætcrea torquetur inuidia, quum non minus habeat, acceſſu aliorum, quos tantũ abeſt, vt repellat ab amore, vt eos potius adhortetur, quantum poteſt, & quò plures venerint, tantò vberius illis gratulatur. Si vaſculum aliquod proferrem inſigne, in quo delectaret materiæ pretium, artificis manus, operis pondus, omnes habere cuperetis donatione vel emptione, & improbior quiſpiã, etiam furto. Nunc oſtendo vobis eminentem vndique pulchritudinem, omnia ingenia, omnes diuitias, omnes magnitudines vi ſua ac poteſtate complexam: nonne multo magis hanc amare debetis, præſertim quum haberi poſſit ſine ſumptu, & ſine cuiuſquam iniuria? non emere, non cogere, non fraudare quẽpiam, ſed nec ſupplicare cuiquam neceſſe eſt. Quis enim tam emotæ fuerit mentis, vt petat ab altero, quod æquè promptum ſibi ſit, ac illi? & præſertim, quod rogatus tradere nequeat, ipſe autem rogans poſſit, ſi velit, confeſtim ſumere? Quamobrem ne inuidæ quidem ciuitatis leges hunc amorem prohibeant;

beant: non enim habent, quo reprobent: quem enim lædimus, ſi id amamus, quod poſſideri non minus ab omnibus, quàm ab vno poteſt? ſed nec Tyrannus hanc facultatem nactus eſt, vt prohibere poſſit, niſi ſi forſitan animis iubere poteſt, & illorum internos motus compeſcere: ſed ſi talia agere tentauerit, meritò demens fuerit, quum impoſſibilia ſibi aggrediatur, nec minus iniuſtus eſſet, qui de natura hominum tantum bonũ vellet auferre. Decebat inter prima illud laudare, quòd hæc pulchritudo creat & efficit omnia: ideo reficere ſola & recreare poteſt. Credo equidem, quòd ſi homo ſeipſum gigneret nullis omnino anteſtantibus cauſis, amor a ſe profectus & ad ſe relatus, ſummam pararet illi fœlicitatem, nullius egens alterius trãquillitatem & beatitudinem ſibi ipſi perſolueret, quam tantopere affectat: ſed id non factum eſt antea, nec in poſterum ſpes reliqua eſt fieri. Quis igitur hominis auctor? principium? origo? nonne ſumma hæc pulchritudo, quam eiuſdem ęternitatis & naturæ cum Deo ponimus, genitam ab illo? huic igitur omni voluntate incumbere nos oportet, quoniam congruit illic quietem expectare ſupremam, vnde promouimus: non enim ſuſpicari poſſumus eſſe quandam naturam, & multo minus hanc pręſtantiſſimam omnium & excellentiſſimam, quę gignat aliquid, quod deinceps nõ alere ac ſaturare queat. Sed quid hęc tam tenuiter argumentis ago? ſi enim idem, quod Deus, eſt hęc pulchritudo, quicquid ille eſt, hęc etiam fuerit: quicquid complectitur ille, hęc non minus complectetur. Ponite igitur vobis ante oculos, vt refertiſſima ſit omnibus bonis, imo potius omne bonum: hæc creat vt principium, noſcit vt veritas, amat vt charitas, tuetur vt ſalus, prouidet vt ſapientia, delectat vt fœlicitas, fulget vt maieſtas. Hanc ſpectantes non ne reliquam omnem pulchritudinem caſſam & inanem dicemus? quid enim mortalium rerũ formę ſunt aliud, quàm excelſę huius & colluſtrantis vndiq; pulchritudinis imago? & quid imagine vanius? nihil mirum ſi deinceps humani animi ſitim nequeãt explere. Accidit igitur, vt ſi quiſpiam ſitiens ſomno oppreſſus videatur ſecundum quietem ſe de puriſſimo fonte potare, gaudio ſe tunc quodam perfundi ſentit, & leuatum ſe moleſtia ſiccitatis arbitratur: poſtmodum verò vbi experrectus eſt, eadem ſiti manente eluſos ſenſus agnoſcit, qui non imaginem potus, ſed potum quærebant: ſic male peruigil animus noſter, dum inhæret ſimulacris iſtius pulchritudinis terrenæ vanis & fallacibus, non alitus nec ſatur, ſed proditus & deceptus non reſtinctis cupiditatibus diſcedit. Enimuero, vt ad principia ſermonis noſtri redeamus, quò extrema primis iungendo, veluti in orbem circumagatur diſputatio, facite adeſſe mulierem, in qua inſit quicquid pulchritudinis in muliere fingi & optari poſſit, & quò ſine legum metu habeatur, legitimo ſit nobis vincta tori fœdere, & quando vxor eſt, dotem afferat copioſam, ne oneri ſit: volo eadem pudicitiæ ſit tenax, obſequens, morigera, literis inſtructa, vna concordia ſit, morum vnus animus. Hæc quàm difficulter, imo quàm nõ omnino reperiri poſſint vna in muliere, nemo ignorat. Nam vt mittam dicere de corpore, quod nulla in muliere menda caret, quando vnquam eadem in duobus animi reperietur affectio? quum ſæpe nobiſcum ita pugnemus, vt aliquando alium animum ſibi ipſi magis conſentientem optemus. Sed demus hanc fœminam inueniri poſſe, imo iam inuentam eſſe, ſi huius pulchritudine ad arbitrium nullo prohibente frueremur, per hunc modum inſurgeret ne quies vltima? ſatiſ-

fieri

fieri ſibi animus arbitraretur? non profecto: nam vel cupiditatibus aliarum rerum incenderetur, vel eadem in muliere auguſtius quippiã optauerit, quod humanam tranſcenderet facultatem, vel tanta in vbertate nimia eius elangueſceret & eneruaretur voluptas. Videmus nanque gratiora eſſe, quæ cum labore & periculo parta ſunt: quod mirum videretur, niſi imperfecta mortalium rerum eſſet conditio: voluptatis enim copia voluptas augeri deberet, ſicut numerorum ſumma numeris additis: quod contra accidit: quoniam non optanda ſubeãtur neceſſe eſt, vt optãtam ãdipiſcamur voluptatem. Dulciorem reddit quietem, inquies, cibum fames, potum ſitis: ſic non ſatis diues aduentat voluptas, niſi ex indigentia naſcatur. At vbi Deus ſuam dederit fruendam nobis pulchritudinem, plena reficiemur quiete, & fœlicia decerpemus gaudia, quæ nec labor atterat, nec luxuries corrumpat. Amare autem hanc nunc poſſumus, & debemus, & ratione ducente aſſiduè contemplari: fruemur autem pleniſſimè, vbi anima corporis vinclis leuata in auctoris ſui ſinum reuolauerit. Nam quæ interpoſito nunc velamine tractandam ſe præbet amatoribus ſuis, tunc nuda membra omni beatitudine ſtillantia exhibebit. Quanquam reperiantur nunc plurimi, qui exuentes omnem terrenarum rerum cupiditatem oppreſſis corporis ſenſibus animam puram vſque eò tollant, vt quaſi oſculo ſe illi gratiſſimè iungant, qui guttulis aſperſi illius beatitudinis, ebrij magis atque magis amore diuinorum euadere iſtic cupiunt, & tanquam aues effractis corporis huius clauſtris in liberum cœlum euolare, ſupernè aſſiduo intuitu ſpectantes. Non iſtos viros exilium, non paupertas, non carcer affligit, quoniam & patriam, & domicilium, & diuitias non aliunde, quàm in pulchritudine illa ſibi poſita ducunt, ad quam cæteris reiectis multo etiam fletu profuſo anhelant, illò referũt cogitationes ſuas omnes, tanquam ad perfectiſſimum finem, quem vbi comprehenderint, non habent optare, vnde magis fieri poſſint beati. Riſerint hæc fortaſſe illi, quos terrenæ pulchritudinis fucus cepit, quaſi æternitas animis eorum fuerit præbita, quò fugaciſſimas ſpecies perſequantur, melius fuerat cœleſti & diuina parte caruiſſe, quàm illam ſordidis, & ancillaribus muneribus mancipaſſe: & haud ſcio an iſtis idem fiat, quod Paridi (ſi modò vera ſunt, quæ de eo nonnulli poëtæ tradunt) illum ſcilicet, quum Lacedæmonem perueniſſet, Helenæ tantummodo ſimulacrum abſtuliſſe, ipſam nequiuiſſe. Similiter pro vera pulchritudine, quam aſſequi nequeunt, lineamenta quædam ipſius pulchritudinis & effigiem vnam nudam & inanem ſectantur, & vt Virgilius inquit de Turno aduerſus vanum Æneæ ſimulacrum luctante,

Nec ferre videt ſua gaudia ventos.

Quòd ſi illos inter amores ſuos tantopere delectant mulieris oculi ad fletum paratiſſimi, quos mors iam iam inuadet: ſi lingua, quæ paulo ante balbutiebat, nec multo poſt longum ſilebit: ſi tota denique corporis forma deformanda leto: credant maximam ſuauitatem illic aſſiſtere, vbi æterna ſunt omnia, & diuina: illic enim nihil formidatur, nihil faſtidit, nihil deficit. Sed hæc illi quodam mentis errore non intelligunt. Quis autem intelligens pro magno duceret, non dico pulchritudinem mulieris, ſed quas opes? quas diuitias? quã potentiam? quũ videat, quàm miſera regum etiam ipſorum his locis ſit conditio, quanta in imperijs laborum & moleſtiarum ſeruitus, quanta fortunæ

mutabi-

mutabilitas, quàm breuia & quàm omnium rerum caſibus propoſita vitę huius ſpatia. Quod autem in ſeculo tantum bonum, vt non pariter cum ipſo ſeculo prætereat? quemadmodum aqua, etiam ſi manu premas, nihilominus effluit, ſic mũdana omnia, quò arctius retinere ſtudeas, eò facilius elabuntur de manibus: res autem vbi effluxerunt, oſtendunt facile, quàm penè nihil eſſent, dum etiam nobis adeſſent. Cur igitur hæc quiſquam cõplecti aut cupere omnino velit? an vt pœniteat poſtmodum, & iniquum ſe oſtendat? fit quippe iniquus qui deſerto ſplendidiſſimo & beatiſſimo bono ad hæc inferiora vana & egena conuertitur, & ea miris modis inſectatur. Mores noſtri nõ ex eo, quod quiſq; nouit, ſed ex eo, quod quiſq; diligit, dijudicari ſolent, nec bonos maloſue mores faciunt, niſi boni prauiq; amores. Quanquàm qui deteriora concupiſcunt, mihi verius furere, quàm amare videantur: quò autem maius & honeſtius eſt quod amatur, eò melior amor. Qui ergo in terrena furit auri pondera, quid aliud, quàm terrenus homo habendus eſt? qui in cœnoſam furit corporis voluptatem, non ne cœnoſus erit? qui præclaram amat virtutem vir fuerit præclarus. At qui cum diuina luce mentis iunxerit aſpectum, illic amores ſuos collocans, diuinus proculdubio dicetur. Huic clariſſimæ & fulgentiſſimæ luci, quæ pulchrorum omnium mater eſt, quæ cunctorum extitit formatrix bonorum, ipſa ſummum & perfectiſſimum bonum, inhærere totis præcordijs, prudentiæ eſt: ſubijci velle, iuſtitiæ: nullis hinc auelli terroribus, fortitudinis: nullis dimoueri illecebris, temperantiæ: tantũmq; abeſt aliud in diligendo præponendum eſſe, vel æquandum, vt ſola affectus noſtros ferre debeat, quum ſola omni beatitudine, lætitia, voluptate circunfloreat: reliqua omnia præter illam moleſtiis, acerbitatibus, miſeriis pleniſſima ſint, & ne guttulam quidem veræ & ſolidæ ſuauitatis amatoribus ſuis inſtillent. Danda igitur opera eſt, dum ſuppetit facultas, dum extrema dies moratur, vt nobiliſſimo hoc ardore teneamur: vbi enim ex his locis effluxerimus, nihil nuda anima ſecum quidquam feret, præter amores ſuos, qui ſi minutarum rerum fuerint, minuemur & ipſi & cruciabimur. Sin propter æterna & diuina vera florentia pulchritudine exardeſcere nunc voluerimus, nos illa tunc domicilio ſuo excipient & gaudio perfundent ſempiterno, nec eo leui atq; mediocri, ſed quod tale ac tantum eſt, vt ſi vel vna die fruendum eſſet, innumerabiles anni huius vitæ circunfluentes delicijs & voluptatibus rectè meritóq; contemnerentur: quanquam rectè dici poteſt, quòd vna tantum tunc agetur dies, ſed neſciens occaſum, hæc numero carebit temporis, non habens ante ſe heſternum, nec poſt craſtinum, & fruemur tunc Eo, quod verè eſt, Eo, quod cauſarum omnium eſt extremum, Eo, qui magnus, potens, bonus, ſapiens, verus, pulcher, fœlix ſeipſo: non enim hæc aliunde accepit: qui pater & mater eſt mundo & reliquis rebus omnibus, pater creatione, cura, regimine, imperio: mater geſtatione, complexu, fœtu, lactatione, charitate: vbi non fluxus, non mutatio, non tempus, non maius aut minus, non generatio & corruptio, non vlla denique imperfectionum genera aſcendere vnquam potuerunt: ſed vbi plena ineſt & rotunda vndiq; (vt ſic dixerim) bonitas & perfectiſſima pulchritudo: nihil vltra, aut extra quærere aut ſperare licet, gaudium prębet ſpectata veritas, at illic princeps ineſt veritas, de qua quæcunq; vera ſunt, dependent, Hæcq; non per partes, ſed in vniuerſum ſpectanda, ita vt nihil latere valeat ſpecu-

leat ſpeculantem. Iucunda vita, quæ illinc nobis defluxit: qui tantum gaudet de riuulo, quid faciat vbi de puriſſimo fonte biberit? Suauia nobis videntur eſſe alia plura in hoc infimo mundi loco luctus pleniſſimo: quàm verò purus erit riſus illius animæ? quàm immenſus, ſi contingat ea perfrui, quod qualencunque ſuauitatem illis omnibus inſtillauit? Idem enim erit remunerans & munus, & ſe ipſo coronans coronabit. Si cui hæc mortalia & terrena commoda magna, florida, ſpecioſa, multa videntur, quid dicet de immortalibus illis & cœleſtibus? quę illa erunt, ſi iſta tot, & talia ſunt? O quantum illic quietis, quantum gaudiorum: longius etiam ſupra, quàm petiuimus, & fieri poſſe putauimus: non enim in mortales ſenſus cadit illa fœlicitas. Denique ſapiens, potens, bonus, æternus, pulcher, fœlix, beatus erit, qui ipſa ſapientia, potentia, bonitate, æternitate, pulchritudine, fœlicitate, beatitudine perfruetur. DIO. Optima quidem tua hæc eſt exhortatio: itaq; ſuſcipere eam neceſſe. Quod ſupereſt, illud explanes velim. Nam quæ reſpondiſti magnificè aduerſus orationem meam turbantem ordinem mundi & pulchritudinem, dixiſti de plurium ſumpta fuiſſe lucubrationibus: videor etiam audiſſe, quòd a Platonicis ea fueris potiſſimum mutuatus. Hæc quæ poſtremò dicta ſunt a te de eminentiſſima hac pulchritudine, quæ cæterorum caput eſt & regula, quam Dei dicimus filium, ſicut ſacra nobis indicant eloquia, vnde habes? Num etiam aliqui veterum philoſophorum hæc tanta viderunt & attigerunt? id audire a te quoque deſidero, niſi moleſtum eſt, atque adeo, ne moleſtum ſit, magnopere peto. MAR. O paratiſſimi animi Dionyſi ad inquirendum, cui non ſatis fuerit rem intelligere, niſi etiam auctores tradantur: nihil de me vereris, qui ita interrogas, quaſi ſecurus, quòd idoneas habeam ad reſpondendum facultates, locupléſque ſim & ſoluendo. Decretum eſt autem reſpondere, ne ſi ceſſaro, exiſtimes non tam ingenij facultatem, quàm obſequendi voluntatem defuiſſe. Primum tamen a te illud peto, ne putes ſermonibus idem contingere, quod puteorum aquis: nam hæ quò magis extrahuntur, eò fit, vt meliores ſint quæ ſequantur. At in loquendo non ita: nam ſuccedens ſermo viſus eſt ſæpe priore deterior: id ſi contigerit, nihil eſt, quòd exclames poſtea te a me in extremo fabulæ actu proditum fuiſſe & circunuentum: quia id fieri poſſe præmonui. Duo magna nunc occurrunt, vt mihi meritò videar in dicendo diffidere: magnum ſcilicet quæſtionis huius pondus, & magnum tuũ audiendi ſtudium. Quamobrem, quum ſit exculpendum neſcio quid inſigniter in graui difficiliq; materia te poſtulante, opto vt dignum aliquid & deſiderio tuo & voluntate erga te mea per me nunc tibi efficiatur, digna deniq; & par rebus ipſis ſuccedat oratio. Quæris igitur vnde quæ modò expoſita ſunt de perfectiſſima hac pulchritudine, quam Dei dicimus filiũ, ſumpta mihi fuerint, & vtrũ veteres philoſophi de his aliquid ſenſerint, & hi præcipuè, quos ego maximè amplector, platonici. Ego veteres philoſophos, quorũ non ignoras quantus fuerit olim grex, perſpexiſſe talia nego, præter hos, quos nominatim appellaſti, platonicos, & nõnullos his antiquiores, a quibus forſitan iſti ſumpſerũt: neq; tamen omnia, quẽadmodum a me expoſita ſunt, ſed particulas tantùm quaſdam tetigerunt, ita vt non poſſim dicere rem eos prorſus ignoraſſe, neq; rurſus ſciſſe: & hoc difficiliorẽ reſponſionẽ meã, vel certè faciet longiorem, dũ expono, quid illi dixerint, quid

prætermiſerint, & in quo deliquerint. Maximæ quondam tenebræ in genti-
bus, Chriſti lege nondum promulgata, veritatis tamen modicus quidam ful-
gor ſubluxit in pluribus. Sed ſingula perſequi immenſi eſſet operis labor: vt
autem id, de quo nunc agitur, complectar, videntur mihi Platonici medita-
tionibus animaduerſionibúſq; ſuis perduxiſſe hominis naturam, quò potuit
viribus ſuis vtens perduci, diuino deſtituta fauore. Etenim illud videbant ho-
minem velut animal prouidum, & qui ordinare poteſt rem vnam ad alteram,
vltimum præſtituere finem actionum ſuarum, vt ſit beatus. Hanc autem bea-
titudinem non poſſe contingere, dum mortali hac vita tenetur, quia beatitudo
nullum habere poteſt commercium cum laboribus & doloribus, in quos ne-
ceſſe eſt paſſim incurrere. Simul & illud, quum aduerſus vitia & ignoratio-
nem virtute & doctrina adhibita quotidie ſuſcipiatur certamen, quis in certa
mine beatitudinem ponat? Deinde ſi beatitudo eſt, vt plærіq; dixerunt, viue-
re vt velis, quomodo viuit quis vt vult, quum quàm diu vult ne viuere qui-
dem poteſt? ſed videt indies vel per momenta potius ſingula vitam pereun-
tem, & ex hoc celeriorẽ ſibi aſſiduè fieri ad mortem gradum. Occidit ergo vita:
& beata vita ſine vita eſſe nõ poteſt: oportet nanq; viuat homo, ſi beatè habeat
viuere: quũ autem moriendo deſerat vitam, beatam quoq; vitam amittit. Sed
vtrum amittet inuitus, an volens? ſi inuitus, nõ eſt beatus, cui cõtingit quod mi
nimè vult: ſi volens, iam non eſt beata vita, quæ non amatur. Nulla igitur in
terris homini beatitudo: & tamen hanc beatitudinẽ humanus animus arden-
ter expetit, ſic vt nihil magis: inquirit eam vndiq; hoc ipſum præſagiens, quòd
alicubi ſit, & eam ſuſcipere poſſit, & non inueniens affligitatur, tabeſcit, requie
ſcere neſcit. Tandem ratiocinãdo eò deuentũ eſt, vt intelligeretur, quoniã mo
tus hic parandę fœlicitatis nõ fruſtra humanis mentibus eſſet impreſſus, & hic
eam expectare ſummæ eſſet imprudentiæ, tum fore demum hominũ animas
fœlices, vbi de corporibus ipſis veluti de compedibus quibuſdam elapſi, in re
gionem puriſſimam omni veritatis luce fulgentem liberi auolauiſſent, illic
perfuſos iucundiſſimo rerum omnium ſpectaculo cũ dijs immortalibus bea-
tum æuum agitare: omnibus verò iter illud patere, quicunq; in terris poſiti vi
tam optimam pro viribus ab omni iniuria & libidine omniq; fœditate vitio-
rum procul exegiſſent. Occurrebat deinceps illa cogitatio, quoniã animus li-
ber a corporis huius compagibus tanta frueretur fœlicitate, támq; immenſo
inundaretur gaudio, vtrum particeps eorum fieri poſſit, ſi per ſeipſum able-
gato omni ſenſuũ miniſterio cũ eo, quod veriſſimè continet rerum omniũ for-
mas, ſuũ iungeret aſpectum. Tentandũ id igitur rati illi primi philoſophiæ hu
ius duces, & viſa tentantibus res ſuccedere, idq; exponam, quemadmodũ ab
illis expoſitũ eſt. Deum, quem primũ & ſummũ vocant bonum, aiunt in illo al
tiſſimo diuinitatis receſſu non eſſe ſterilem, ſed magnopere vberem & fœcun-
dum, & ex ea eminentiſſima fœcunditate genuiſſe filium, qui græcè λόγος di-
citur, nobis mens, ratio, intelligentia, ſermo dici poteſt, vt eandem rem plu-
ribus vocabulis notemus. De hoc filio ſummi boni ea prædicantur, quæ ne-
ceſſe eſt de tanta maieſtate prædicari, quòd pulcherrimus ſit ſcilicet, ſapientiſſi
mus, optimus, ſolus omnium plenam referat parentis ſimilitudinem, ſolus ex-
emplar verorum ſit omniũ, fons & ſcatebra quorumcunq; bonorũ, & eam in
iſtis, quæ notione percipiuntur, vim habeat, quam ſol in his, quæ oculorum

ſenſu

ſenſu cernuntur: vt enim ſol efficit eius lumine, vt oculus apprehendat colores ex aduerſo iacentes, ſic iſte lucem præfert menti, cuius beneficio rerum ſpecies in vnum collectas intueri ſpeculariq́ue poſſit. Rurſus quemadmodum ſol in iſtis inferioribus ad ſentiendum expoſitis generationis eſt pater, & quæcunq; genita ſunt fouet, nutrit, ad incrementum perducit, ſic iſte quæcunq; notioni ſubiacent extra materiam poſita efficit, vt ſint, bonáq; omnia humano animo elargitur, ea præcipuè, quæ ad virtutes ſpectant, ipſúmq; animũ vi ſua fulcit & corroborat, melioremq; reddit & maximè illuſtrat. Nam lunæ ipſum humanum animum dicunt perſimilem, propterea quòd ſponte ſua tenebroſus & opacus omne lumen ab hoc ſole mutuatur. Quin animam idẽ mundi condidit, primordialémq; illam materiam rudem & incompoſitam in ordinem & ornatum redegit: mundũ deniq; hunc, & quæ ille continet, fabricauit, ſequutus exemplar formarum, quod in ipſo erat præſtantiſſimũ, quod ſimplicitate ſua, ſtabilitate, luciditate placere omnibus poteſt. Id Ideam vocauerunt: nam Idea nihil aliud eſt, quàm (vt Senecæ vtar verbis exponentis dogma Platonis) eorum, quæ naturaliter fiunt, exemplar æternum, veluti hominum, piſcium, arborum, ſtirpium, quadrupedum, & cæterorum. Hoc eſt (inquiunt) illud, ad quod aſcendere animus noſter debet, ſi cupit ſapientiæ repleri lumine, & beatiſſimo ſpectaculo perfrui: illic enim eſt & formarum omnium forma & veluti vnicum illud ſigillum, a quo reliquæ profluunt imagines, efficiens vt vnumquodque deinceps eorum, quæ conſpiciuntur & intelliguntur, tale ſit, quale eſt: deniq; ipſum eſt determinans, circunſcriptéq; diffiniens omnia. Sed quia nullis oculis, nullis ſenſibus percipi poteſt (eſt enim ea res notionis & intelligentiæ) educendus eſt animus a corpore, cuius eſt inquilinus, & altè ſenſus ipſi deſerendi, minus quidem, quàm in morte, magis tamen, quã in ſomno: ſic enim cenſent. Quod vt fiat (eſt enim difficile factu) iubent nos ſilentio plurimũ & ſolitudine vti, victum tenuem & inopem perſequi, vigiliam crebrã exercere, deſerere omnes ſenſuũ illecebras, omnes carnis ſuauitates abijcere, prȩter modicas quaſdã, quas neceſſitas efflagitat vitæ, animũ inſuper purgare omni vitiorũ labe, omni cupiditatũ cȩno, ita vt diuitias, honores, imperia, cæteráq; externa cõmoda, quȩ reliqui mirantur, vilia putet, nullo numero habeat. Iubent quoq; diſciplinis inſiſtere, his prȩſertim, quæ res ipſas abſtrahunt a corporum complexu, eáſq; per ſe omni materia vacuas ſpeculantur. Hic iaci videtur gradus quidam, quo intelligitur incorporeum eſſe aliquid, quod ſit longè præſtantius his, quæ in ipſis corporibus exhibentur, & quaſi figuli manu ficta & ſimulata oſtenduntur. Volunt præterea, vt a multitudine, quantum fieri poteſt, recedentes, ad vnum magis atq; magis ſpectemus, vt quæ plura ſunt numero, vna ſpecie colligentur, & quæ ſpecie plura, vnius generis communione conſtringantur, & quæ multa ſunt genere, ad vnicum aliud principium referantur, idque potiſſimum Dialecticæ artis munus eſſe arbitrantur. Poſtremò admonent, vt ab his, quæ generata ſunt, & quæ aſſiduè fluunt & refluunt, viciſſimq; de alijs in alia tranſeunt, & continenter in varias voluuntur facies, abducamus noſmetipſos pro viribus, quaſi in iſtis apprehendendis non ſit ſcientia, ſed opinio quædam non minus fluxa & lubrica, quàm ipſæ res, circa quas vertitur. Ergo dirigenda

mentis acies ad id, quod vnum eſt, & idem ſemper, quod eodem modo aſſiduè ſe habet, quod fixa & immutabili lege continet rationes rerum omnium, quæ factæ ſunt, quæ fiunt, quæ futuræ ſunt, cum earum initijs determinatiſq; curſibus. Hoc eſt demum illud, cuius gratia ſuperiores labores ſuſcipiuntur, ſi dũ hic agit animus in corpore, minimum illius contagione laborans, poſſit ipſo pauliſper deſerto vſq; eo ſe tollere, vt ſpectet per ſe ipſum in illud auguſtiſſimum ſpeculum, quod rerum omnium ideas continet, quod filium Dei dicimus, illo adiutus lumine, quod idem filius optimus beneficentiſſimúſq; effundit. Hoc qui poteſt, immenſam (vt aiunt) hauriet ſapientiam, & tanta perfuſus dulcedine dimittitur, vt corpori deinceps redditus ſeipſum lugeat, nihilque magis cupiat, quàm eò redire, humana velut ſterilia & ingrata damnat, nec vlla publica aut priuata ſuſciperet poſtmodum negotia, niſi humanitas ſocialiſque pietas cogat: miſericordia tangitur reliquos inſpiciens mortales, primùm eos, quos videt vana & peritura huius ſeculi bona flagranti cupiditate complecti: deinde ſi qui ſunt ſapientiæ ſtudioſi, eos putat non res ipſas, ſed vmbras rerum & imagines ſectari, hiſque teneri, propterea, quòd quęcunque ſenſibus ſubſunt in quorum inquiſitione illi verſantur, non ſunt vere & propriè, ſed quodammodo ferè ſunt propter ipſorum fluxum lubricúmque curſum & eam imbecillitatem, quam degener materia facit: demum nihil tale arbitrantur, quàm cũcta intelligere in arte, in qua facta ſunt, quia melius illic intelliguntur, quàm in ſeipſis, quemadmodum rectitudo lineæ & circuli rotunditas, & veritas reliquarum figurarum melius intellecta conſpicitur, quàm vbi in puluere deſcribitur, vel ſaxo inciditur. Accidere autem putant ſibi in hæc breuia, fluxa, caduca defixis, quemadmoum accidere his ſolet, qui mare ingreſſi aduerſa tempeſtate iactati inter denſas nubium tenebras ſurſum deorſúmque feruntur, & laborante nauigio huc illúcque inclinante, nec mente, nec corpore conſiſtunt, vel in proſpera nauigatione, maris agitationem non ferentes nauſeant, & ſentinæ vitijs conflictantur, nec ceſſant a moleſtia, donec terram tetigerint, ideſt ad ſtabilem inconcuſſámque ſedem peruenerint, tunc enim, vbi in ſolido ſtant & immoto, recreant ſe & reficiunt: ſic fit contemplantibus ipſis corporea hæc mole turgida, ſpatio diffuſa, quæ mutatio ſibi habet ſubdita, perenniter ex alio in aliud fluentia, vt vertiginem tunc capitis ſentiant, & rebus cum ipſis circumuerti pariter videantur: multoque magis reſpicientes ad lapſum peccatáque multorum ſtomachantur. Vbi igitur contingit quies? vbi reſpiratio? vbi ſcilicet locum hunc erroris pleniſſimum relinquentes, motúmque omnem, tam qui in rebus, quàm qui in ipſis eſt, tranſcendunt omnia corpora, dirigúntque mentis obtutum in id, quod ſimplex, & vnius modi eſt, a quo vt a principio omnis progreditur natura: illic nihil inſtabile, nihil confuſum cernentes, ſed vnumquodque tale, quale eſt in ipſa ſui origine, apprehendere ſcientia aliquid videntur, antea tantummodo opinari: contrario autem inſtituto vtendum putant, quàm quo olim Scythæ vtebantur in ſagittando: nõ enim in fixa & ſtabili manentes ſede aduerſus immobile ſignum dirigebant ſagittas, ſed ab equis in feras & volucres & animalia quæq; ſoluta, nec alios peritos arbitrabantur ſagittarios, niſi & qui ipſi commoti, & in ſe mouentia arcu

pollerent.

pollerent. Hic contra cenſent fieri oportere, ſi modò aliquis prudens & peritus haberi vult in ipſis rebus perſpiciendis: nam & incommotum ipſum eſſe oportet, ab omniq́ animi perturbatione vacuum, & in ipſum incommotum & ſtabile rerum ſignum mentis aciem tanquam telum dirigere, vt quicquid in illis verè eſt, apprehendat: ſin autem & commotus ipſe, & ſe mouentia perſequatur, falli eum, & illudi, nec veritatem rerum, quam ſibi propoſuit, attingere poſſe arbitrantur. Hæc deniq́ omnis eſt machina Platonicæ philoſophiæ, hæc iſtorum virorum prouincia, vt eum, qui verè philoſophus futurus ſit, deducant in ea ſtudia, quæ excitare valeant animum purum atq́ a corpore ſegregatum ad contemplandum diuinas ſpecies, in quibus ſolis veritatem habitare arbitrantur: vbi id aliquis adeptus eſt, nō eum quidem iam perfectè beatum, ſed beatitudinis tamen veſtigium aliquod in hac miſera ærumnoſáq́ vita inueniſſe credunt. Quamobrem philoſophia ſic ab iſtis diffinitur, vt ſit ſolutio animæ a corpore, & conuerſio ad ea, quæ vera ſunt atq́ diuina. Huc referunt officia quatuor illarum virtutum, quæ diuerſa ratione cenſent eſſe in philoſopho, quàm in ciuili viro: nam in philoſopho Prudentia id agit, vt mundum & quę in mundo ſunt omnia, negligat, ſolis diuinis inhæreat, ſola intuitu digna putet. Temperantiæ munus relinquere omnia, & obliuiſci quodāmodo, quantum natura fert, quæ corporis vſus efflagitat. Fortitudinis eſſe aiunt non terreri animum a corpore recedentem, nec altitudinem illius ad ſuperna aſcenſionis perhorreſcere. Iuſtitiæ cum ſupera & diuina mente ſociari, ita vt ſeruet cum ea perpetuum fœdus, eiúſque legibus pareat. Huc etiam pertinet, quòd ijdem aiunt totam philoſophi vitam nihil aliud eſſe, quàm mortis commentationem: nam non aliud eſt mori, quàm animum a corpore diuellere: hoc autem continenter agere, quum ab auditu, & viſu, omniq́ dolore & voluptate ſeuocans ſe animus, ſecúmq́ conſiſtens, fugit, quàm maximè a corpore, & vix vlla ipſum communione pertingens, aggreditur ſecūdum ſe ipſum rerum ſubſtantias & rationes conſiderare, quæ ſola vera eſt conſideratio, ea excepta, quæ poſt mortem contingit, propterea, quia dum id agunt philoſophi mori quodāmodo videntur: negant eoſdem aduentu mortis terreri, quoniam ſtultum eſſet, cuius imaginem quotidie induebant ſtudio adipiſcendæ ſapientiæ, exhorreſcere venientem, quæ illos in meliorem ſinceriorémq́ longe cognitionem reſtitueret. Habes quid Platonica philoſophia ſpectaret, quidue ſequeretur potiſſimum, tanquam ſummum bonum in vita hac mortali, & quo omni conatu contenderet. Quæ ſanè illi vberius multò & luculentius, quàm a me expoſita ſunt, demonſtrabant: neq́ hæc ad omnes, ſed ad paucos quoſdā efferebant, quos tantæ rei percipiendæ idoneos intelligerent: temeritatis autem ſummæ putabatur in vulgus tradere, quia videretur tunc quis hæc, quæ ſumma veneratione digna erant, obiicere cōtemptui & irriſioni populari, quoniam quæ non nouit nec capere poteſt populus, ea contemnere & ludificare ſolet. Nec verò iſti, qui humano penè omni cultu deſerto huic ſoli vacant cognitioni, populo (vt aiunt) placent, nec populus ipſis, ſed populus in eos fertur acerbius, nec ſatis dignam refert gratiam illorum pietati: nam inſaniens ipſe inſanire eos putat, interdum odio habet, contumeliis afficit, necat: nec id illi admirantur, qui norunt non aliunde improbitatem, quàm in terris inter ho-

mines verſari. Veruntamen homo Deo deuotus, quàprimum diuinam illam prægustauerit viſionem nihil curat reliqua, quin quæ cæteris hominibus ſunt mala, huic vt bona contingunt, quoniam oblata & illata omnia (quæcunque ſint ea) ad virtutum ſuarum vſum & profectum ſapienter conuertit. Et hæc quidem omnia & plura his eodem ſpectantia Platonici constanter aſſeuerant. Quid dicam? vtrum mirer prius in iſtis ſolertiam, qua tanta inueſtigare aggreſſi ſunt? an fœlicitatem, qua multa vera viderunt? Primùm quantum illud eſt, quòd intellexerunt Deum de Deo genitum, quem eadem appellatione vocant, qua noſtri, patris ſapientiam, mentem, veritatem, verbum, & reliqua alia? Addunt quòd mundum fabricauerit mandante patre: hinc ipſum vocant patris fabrum, quod veriſſimè dici nemo non ambigit. Quid? exemplar mundi ineſſe illi, quod ſequutus ſit in ipſa fabrica, ideo cunctarum formarum ideas continere, quis non dixerit rectiſſimè expoſitum fuiſſe? Quid? aſſerentes eundem vitam eſſe rerum omnium, humanarum mentium lucem, nonne tibi ſacris literis concinere videntur? Et hæc quidem de diuinis. Ipſum verò hominem, dum ad hæc diuina attollere ſtudent, quos gradus iaciunt? quàm aptè diſponunt? nam magna morum purgatio antea indicitur, & a ſenſuum illecebris diſceſſio, affectuum omnium & pertubationum obliuio, & quaſi interitus quidam iubetur. Poſt hæc multitudinem rerum effugientes ipſa potius genera quærere, & ad vnum quid reſpicere præcipiunt. Similiter generantium ſe inuicem & corrumpentium omnium præteritis formulis rationes ipſas per ſe rerum omnibus locorum & temporum exutas compedibus tractare aſſiduè atque verſare: ſic fieri paulatim poſſe cenſent, vt animus euadens corporis huius clauſtra, totúſq; in ſe ipſo conglobatus, ad diuinæ illius lucis intuitum perueniat: non enim, vt perfectè videat, ſenſus huius corporis deferre illuc oportet, quibus per hæc innumera vagamur; ſed tantùm mentis oculus figendus ad vnicum illum bonorum omnium fontem, curis aliis depoſitis. Fruſtra (inquit Iamblicus) Deum quærit, qui non ſe exhibet ſolũ ſoli, immobilem ſtabili, ſimplicem ſimpliciſſimo. Quemadmodum enim non poſſumus enti per non ens coniungi: ſic neque per multitudinem vnitati, neq; per motum ſtabilitati, neq; per mixtionem ſimplicitati coniungemur. Inter cætera verò illud eorum valde probo, quòd fœlicitatem in hac vita homini contingere non poſſe tradiderunt. Reliqui autem philoſophorum greges, Peripatetici, Stoici, Cynici, Epicurei, & alij infiniti, dici vix poteſt quàm habuerint ſe ridiculè, dum ſapienti in humanis agenti vitam beatam aſcribunt contra omnium ſenſus, contráq; ipſam naturam: quærebant in terris, quod nuſquam erat: ſi inueniſſent, nonne illorum temporum homines illos magis, quàm aurum complexi fuiſſent? vel quos alios Deos potius coluiſſent? Et vt hac de re aliquid etiam dicam, quod ſuperioribus reſpondeat, ipſe Ariſtoteles, de quo magna eſt ſapientiæ opinio, quum in Ethicorum libris ſummum bonum, quod omnes appetunt, vt finem actionum, poſuiſſet in fœlicitate, & fœlicitatem non ſolum in animi bonis, ideſt virtute, ſed in corporis & externis bonis, occurrebat illud, hominem hoc fine, dum viueret, carere propter innumera incommoda, quæ quotidie vitam noſtram afficiunt, idq; abſurdum putabat: quod vt euaderet, dixit multa & magna aſpera, quæ contingerent

inqui-

inquinare fœlicitatem, eam tamen adeſſe virtutis compoti, quia ſemper hone-ſta gereret, & illa triſtia leuiter ferret, non quia non ſentiat, ſed quia forti perſtet animo & generoſo. At nemo fœlicitatis eſſe ducit leuiter ferre mala, ſed ea omnino non videre, & contrariis bonis potiri: nam fœlicitas, quæ non modo vt bonum ponitur, ſed vt ſupremum bonum, nullum cum malo commercium habere poteſt: quòd ſi habet, non eſt illa ſupremum bonum, ſed eſt bonum quoddam malignum, & erit hæc fœlicitas maligna: quemadmodum & lux maligna nuncupari meruit a Poëta, quæ tenebrarum aliquid admixtum haberet. Ariſtoteles certè ipſam inquinatam vocat, extra tamen rem id dicens: nam inſtitutus fuerat ſermo de ſolida & perfecta fœlicitate, quam omnes affectant, non de hac inquinata, quæ non expetitur: illa prior expetita vtrum homini contingat viuenti quærebatur. Tu excellens ingenio hac in re terguiſerſaris, vnum oſtentans aliud tradis, nec ſatisfacis hominibus aurum cupientibus, ſi ære contaminatum perſoluis, quanto minus nunc, ſi aliquid vicij fuerit in fœlicitate: & nihilominus tentas efficere ſermone, vt vir ſapiens, quanuis multis & magnis corporis & fortunæ oppreſſus malis, fœlix ſibi videatur: quam ſanè fœlicitatem nulli inuideo, ſi modo opinio fœlicem facit. Vis enim, contra quàm res ipſa ferat, actiones noſtras dominas eſſe fœlicitatis, & pudet ſapientem ſubiicere fortunæ, vt e beato miſer fieri queat. Hæc audiens magis laudaueris Solonem, qui beati nomen ante vltimum vitæ diem nemini tribuit, quia fieri poteſt, vt qui beatus nunc appareat, in magnas poſtea incidat calamitates, ſicuti Crœſo contigit, quem ille id monuit, & Craſſo Priamoq; & aliis plurimis. Quanquam illud verius id nomen nulli in vita exactè competere, quæ multis premitur miſeriis & ærumnis, & premi etiam his potuit, quæ præteriere. Sed magnum erat, & glorioſum fœlicitatis nomen: hoc homines ſapientia ſeculi tumentes auferre ſibi noluerunt. Plæriq; vſq; eo deſipuerunt, vt dicere audeant ſapientem, cuius ſit beata vita, inter tormenta quoq; & cruciatus, ſi tamen prematur his durius & vehementius, quàm ferendum putet, perfugium illi paratum, vt ſponte de vita exeat. O ſententiam ineptam, & de mendacij errore neceſſario confuſam: ſi enim beata vita non deſerit ſapientem, etiam inter tormenta, cur ipſa deſeritur a ſapiente? An ſapientia oſtendit beatum eſſe eum, qui beatitudinem reliquerit? Imo miſerum eſt beatitudinem alicui finiri, quia hoc ipſo incipit fieri miſer, quòd deſinit eſſe beatus: ſi ergo beata eſt vita, maneatur in ea: ſin diſcedendum eſt, quomodo beata? vtrunq; enim abſurdum, vel fugere rem gratam, vel rem fuga dignam amplecti, vt gratam. Etenim quum dicant fugiendam eſſe vitam ſapienti, in qua cum maximis doloribus & cruciatibus tenetur, occurrit in audientium animis illa cogitatio, hanc eſſe miſeriam, nec leuem quidem miſeriam, ſed magnam, cui fortitudo ſapientis ſuccumbat, & propter quam cogitur homo contra dulciſſimam commendationem naturæ, qua vnuſquiſque ſibi ipſi conciliatur, ſe ipſum vita exuere, nec aliunde oblatam expectare mortem, ſed hanc vltro ſibi inferre. Magna miſeria, quæ ad id compellit: negant iſti, cum quibus res eſt, ſed contra aſtruunt, beatitudinem ſapienti inter tormenta contingere. Cur igitur ad fugam hortaris? ſi effici poteſt, vt ſit illa beatitudo, iam non eſt fugiendum, quis enim non dico ſapiens, ſed quis tam ſtultus, qui velit

in mortem incurrere, quum ei liceat in vita beata manere? At ea ſaltem beatitudo eſt vitæ, quòd, quum grauius vrgetur doloribus, facile & penè pro arbitrio deponi a quolibet poſſit. Hoc dicentes duo quædam proponunt: vnum, quòd vita facile extinguitur: alterum, quòd id ſit beatitudo: quorũ prius concedimus, poſterius negamus: nam vitam facile extingui cuilibet perſpicuum; at tantum abeſt, vt beatitudo ſit vlla, quòd facile extinguatur, vt hoc ipſum inter reliquas miſerias aſcribatur, eam ſub incertis caſibus aſſiduè fluctuare, & quanlibet leui impulſu cadere, confringi, deleri. Hoc etſi optabile eſt in miſeria, non tamen ex hoc contingit beatum fuiſſe, ſed miſeriam fuiſſe breuem: nec ſi breuis miſeria, propterea nulla debet videri, quæ vt finita ſit, nõ tamen id habendum pro beatitudine, vbi non adeptio ſummi boni, ſed miſerię tantum finis inuenitur. Simile videtur ac ſi quis ſummam adeſſe beatitudinem nauigantibus dicat propterea, quòd ſi ſentinæ vitium vel aduerſarum vim tempeſtatum nequeant perferre, facile ſit exilientes e naui in profundum ſe demergere. Quòd ſi nemo hanc fœlicitatẽ putat, ne illud quidem pro fœlicitate habendum, vbi quis propter triſtium acerborúmq; intolerabilem moleſtiam vitæ ſuæ vim inferre compellitur. Vbi igitur beata vita, ſi nec antequam finiatur, nec in ipſo fine beatitudo apparet? Sed & illud, quod de conſciſcenda ſibi ipſi morte dicunt, quale eſt? vt enim miſerum non ſit vitam eripi alterius manu, miſerum tamen fuerit, ſi propria auferatur: nam quum id non virtute aliqua animi, ſed non niſi furore & impatientia contingat, & maxime miſerum faciant animi vitia, miſerrimus habendus eſt, ſui ipſius homicida. Quicunq; autem alieno facinore periere, ſi iniuſtam necem forti pertulerunt animo, dicantur hi quidem fœlices propter virtutem, ſed ea fœlicitate, qua mala moleſtiam afferentia vincuntur. Nam plena & integra fœlicitas eſt omnibus defunctum malis, iam virtutis perfrui pręmijs immortalibus atq; diuinis. Rectè Platonici, qui quod res ferebat pronuntiabant, non eſſe hoc ſeculo fœlicitatem expectandam: nam dum moramur in terris, grauiori opere munereque perfungimur. Nec verò de ſtadio vitæ huius ſponte diſcedendum cenſent, in quod numinis cœleſtis cura collocauit, donec idem numen, tanquam legitima poteſtas, ab hoc curriculo reuocauerit: poſtquam verò expletum fuerit fatale tempus, eos beatos & fœlices fore iudicant, qui congrua veneratione & pietate Deum fuerint ſequuti, hanc ſummam ſapientiam, hanc maximam eſſe omnium virtutem, ad quam reliqua referre conueniat, diuina cognoſcere & venerari. Hic nobiſcum faciunt, dum pietatem in Deum non virtutis eſſe partem, ſed reliquas virtutes, huius pietatis partem eſſe docuerunt. Hactenus præclarè iſti: cur hactenus? quia non ſinceram in omnibus incorruptámq; veritatem tenuerunt, ſed in pluribus peccarunt. Nam Dei filiũ, quem quoquo modo noſcere potuerunt, diſiungunt a patre, ita vt patre ſit minor atq; poſterior: quod qui ſentiret & defenderet, delaberetur in hæreſim, quæ fuit Arrij: qua nulla vnquam vehementius & multitudine ſequentium, & auctoritate fauentium, & ſubtilitate diſputantium eccleſiam vexauit. Veritas tandem multis exagitata difficultatibus ſuperauit, quæ oſtendit patris & filij vnam naturam, æquam potentiam, eandem æternitatem: hoc tantum differunt, quòd ille eſt pater, hic filius, ideſt ille hunc generat, hic ab illo generatur: quicquid

autem

autem filius habet, a patre habet: nec ideo minor patre, quia tantundem habet. Eſt ergo pater a filio alius, ſed non aliud: & quum pater ſit Deus, & filius Deus, vnus tantùm eſt Deus. Illum deinceps mutuum patris & filij complexum, quem Spiritum ſanctum vocamus, & eſt tertia in diuinis perſona, nihil differens natura a patre & filio, niſi quòd ſpiritus eſt patris & filij, & ab vtroque tanquam ab vno principio procedit, philoſophi neutiquã viderunt. Nos autem diuinitus edocti diuinam ponimus ſubſtantiam in tribus iſtis perſonis, quarum nulla præcedit aliam poteſtate, aut ætate: æqualitas ſumma horum trium, adeo quòd non minor eſt ſubſtantia in ſingulis, quàm in omnibus, nec maior in omnibus, quàm in ſingulis, ſed tãta in ſolo patre, vel in ſolo filio, quanta in patre ſimul, & filio, & tanta in ſolo ſpiritu ſancto, quanta ſimul in patre & filio & ſpiritu ſancto: vnum denique in diuinis omnia, eo excepto, quòd relatio de perſona ad perſonam diſtinctionem facit. Vituperamus autẽ eos, qui horũ trium alium alio faciunt minorem in diuerſa ſubſtantia, veluti gradibus quibuſdã iactis, & tres inæquales Deos in eccleſiam miſerunt: eſt enim ſimplicior natura Dei, quàm vt poſſit partitione communicari: nam ſi diuidi poſſet, incorruptibilis non eſſet, quia quicquid diuiſionem capit, idem capere interitum poteſt. Eſt igitur in diuinis perſonis ordo, non inæqualitas: diſtinctio, non diuerſitas: numerus, nõ diuiſio. Diximus antea ſummam eſſe & perfectam pulchritudinem Dei filium. Sed dicet aliquis, quid? illa pulchritudo, a qua hæc mittitur, nonne maior? nego. nonne diuerſa? minimè, ſed vna tantùm eſt & eadem: nam ſicut in diuinis tres perſonas ponimus, Patrem, Filium, Spiritum, & hi tres vnum ſunt, ſic in Deo pulchritudo eſt a ſe, pulchritudo ab altero, pulchritudo ab vtroque: nec tres hæ pulchritudines, ſed vnica tãtùm & ſimplex eſt pulchritudo. Itaque dum commendo pulchritudinem filij, ideſt pulchritudinem ab altero, eadem opera commendo pulchritudinem a ſe & pulchritudinem ab vtroque, quia vnum & idem ſunt, nõ locis, non temporibus, non magnitudine, non ſubſtantia differunt: plenitudo pulchritudinis, quæ eſt in tribus ſimul, eadem eſt in duobus, eademque in ſingulis: non enim vt in ſtatuis auri æqualibus plus ineſt auri tribus, quàm duabus, & minus habet auri vna, quàm duæ: at ibi non maius aliquid duo, quàm vnus eſt, nec maius aliquid omnes, quàm ſinguli, propter ſummam quandam & ineffabilem coniunctionem, qua altera perſona ineſt alteri, quia in patre eſt filius, & in filio pater, & in vtroque ſpiritus ſanctus, & in ſpiritu ſancto vterque. Denique cœleſtis veritatis auctoritate roborati, tribus in perſonis ſimplicem indiſcretámque ponimus diuinitatis naturam, ita vt nec ſolitarius nec multiplex relinquatur Deus, quem a ſolitudine perſonarum trinitas, & a multitudine vendicat ſubſtantiæ vnitas. Sed quãquam pulchritudo ſit æqualiter in tribus perſonis, attribuitur tamen magis filio, quia per ipſum creata ſunt omnia, & inditæ rebus formæ, & ars ipſe Dei, & archetypus dicitur eſſe mundus: quanuis etiam quæcunque fecit filius, eadem fecit pater, & ſpiritus propter eorum indiſcretam vnitatem, & complexionem. Et nos quidem ita dicimus & tenemus, eadem ſenſerunt veteres Hebræi: nam (vt reliqua omittam) Moſes in mundi creatione, pluralitatem deorum ſingulari ſubiecit verbo, indicans plures eſſe Deos in vnitate ſubſtantiæ: non enim ſcriptum eſt, In principio creauit Deus cœlum &

terram,

terram, quemadmodum græci latiniq; habent codices, ſed (vt ab hebraicarum literarum peritis audio) Creauit Dij, tanquam mundus creatus fuerit a pluribus, qui tamen plures vnus eſſent: pari ratione in ſubſequentibus ſcriptum, Dixitq; Dij, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrā: & paulo poſt, Et creauit Dij Adam ad imaginem ſuam, ad imaginem Deorum creauit eum. Pſalmographus quoq; tres illas perſonas concurriſſe ad creationem mundi indicat, dum inquit, Verbo Dei cœli facti ſunt: & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorū. Exercitum cœlorum vocat ſolem, lunam, ſtellas, & quotquot ibi ſunt virtutes, ac vniuerſos Angelos. Quid dici potuit apertius? nam cœlos cum inſigni eorum exercitu conditos ait verſiculus prophetæ verbo Dei. Hic duæ perſonæ, Deus ſcilicet, & verbum, quod ab eo profertur, deinde ſpiritus, qui tertia eſt perſona, clarè nominatur. Sed & perſuaſio ſerpentis facta ad mulierem, quòd ſi comederent de fructu ligni eſſent ſicut Dij ſcientes bonum & malum: item illud, quod Deus Adæ dixit cum amara irriſione, Ecce Adam vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum, pluralitatem oſtendit diuinis ineſſe: & idem multis aliis ſcripturæ locis inuenitur, quæ tamen pluralitas ad perſonas tantùm referenda eſt, non ad diuinam ſubſtantiam, nam plura principia ponere non mediocris eſſet inſanię. Ipſi veteris legis interpretes (de Hebræis loquor, quos Talmudiſtas illi vocant) planiſſimè de his loquuntur, perſonas etiam ipſas nominatim appellantes, quo fit, vt vbi oſtendere volunt aliquid de ſententia Dei conſtitutum, dicant id Deum & domum iudicij id conſtituiſſe, domus iudicij non erat penes eos, niſi pluribus iudicantibus, quorum numerus non erat ternario inferior: ternarium nanq; ipſi quoq; vt imparem magis probabant. Ergo hoc ſermone trinitatem perſonarum in Deo denotabant. Addunt præterea futurum, vt ſanctiſſimum hoc trinitatis myſterium Meſſię opera cunctis gentibus & populis innoteſcat, quod iam dudum impletum videmus. Quamobrem qui antiquitus extitere philoſophi, horum fuere neſcij: ideo non perfectè Deum cognouerant: quod tamen præ ceteris maximè cupiebant. Ex hac ignoratione illud deſcendit, quod ipſi ita forſitan ponerent formarum ideam in Dei filio, tanquam illi aliquid extrinſecus additum fuerit, vbi de mundi fabrica cœperit cogitare. Ego autem (ſi meminiſſe potes) dixi antea nihil differre hanc ideam ab ipſo Deo, quia intelligentiam non aliunde accepit, quàm a ſe ipſo: non enim res, quæ poſtmodum prolatæ ſunt, fuerunt in cauſa, vt Deus eas noſceret: ſed quòd ab æternitate ſua illas nouerat, ideo cōſtiterunt: nobis hæc, quia facta ſunt, nota ſunt: illi niſi nota fuiſſent, facta non eſſent. Ille verò intollerabilis & ad impietatem magis ſpectans error, quòd animatum eſſe mundum crediderunt, & Deum tertium fecerunt, atq; adeo diuino cultu dignum iudicauerunt: eadem ſuperſtitione de ſingulis aſtris ſenſerunt, Deóſq; alios infinitos habuerunt, quibus diuinos honores vni illi vero Deo debitos aſſignauerunt: Dæmones quoq; ſacrificiis colēdos tradiderunt, & ipſi imprimis eos coluerunt, & bonos quidem vt prodeſſent, malos autem ne nocerent. Ipſe Pythagoras, qui nihil ſcripſiſſe dicitur, tamen in aureo carmine, quod eius fertur titulo, & in quo pulcherrima mortalibus ſapientiæ oracula edidiſſe putatur, ſtatim primis verſibus ſecundum Deos & heroas, venerandos terrenos Dæmonas cenſet legittimis ſa

crificijs:

crificiis: terrenos (vt opinor) hos vocat, qui circum terram verſantur: adeo cæca fuit ſapientia huius ſeculi, vt inferiores etiam has ſpiritales naturas, quia aliquid poſſent, & penes eos iræ eſſet & gratiæ locus, colendos cenſuerint quicunqꝫ habiti ſunt ſapientiores, cum quibus etiam multitudo faciebat. Sed materiam quoqꝫ primam, quā græci Hylen, chaóſqꝫ vocauerunt, non a Deo conditam, ſed æternam poſuerunt; volúntqꝫ inueniſſe Deum præiacentem illam molem rudem atqꝫ informem, e qua mundani operis figurā ſuſtulerit, & cuncta in partes aptáqꝫ mēbra ſpeciéſqꝫ rerum ac formas digeſſerit, nihil addens ad acceptam materiam, nec auferens: nolunt enim Deum potuiſſe omnia, ſed eius, quod fierit potuit, melius delegiſſe, & ad id materiam aptaſſe: quod eſt ſanè omnipotentiæ Dei & eius gloriæ derogare, quem non creatorem faciunt mundi, ſed ſcalptorem tantummodo & fictorem. Neque proba vlla admittit ratio rem conſtitiſſe vllam, quæ quum omnibus aliis inferior ſit, æternitate par fuerit ſuperiori natura. Et in his iſti quidem non mediocriter errant.

Quid dicam de illa beatitudine, quam pijs omnibus ab hac luce diſcedentibus proponunt? illic quoqꝫ, vt in cæteris, error inualuit. Aiunt enim hanc beatitudinem, quam rite ſitam prædicant in diuinorꝫ contemplatione, non fore perpetuam, ſed defuturam aliquando reuolutis aliquot ſeculorū ſpatiis, tunc enim animæ, ipſæ mortalia repetent corpora, rurſus in hanc miſeram ęrumnoſámqꝫ vitā ab illo beato æuo detrudentur: ex quo fit, vt beatitudo illa eſſe non poſſit: aut enim verè exiſtimabunt ſe quandoqꝫ redituros ad priorem miſeriam, & beati eſſe non poſſunt, ſi quidem proprium beatitudinis eſt eſſe ſecurum, nec caſum vllum metuere: ſin autem falſa opinione inducti nullum caſum metuunt & expectant, falò quoqꝫ erunt beati, quoniam verè, cōtra quàm expectant, fient quandoqꝫ miſeri, quando ſcilicet ad hæc mortalia deſcendēt. Nec fieri poteſt, quin ſi fallendi ſint illi, vt beati ſibi videantur, ſit inanis beatitudo, quæ veritate non cōſtat, ſed exiſtimatione. Ergo ſcientes terror, neſcientes error beatos eſſe prohiberet. Coëgit autem iſtos traſmigrationem hanc de corporibus in corpora inducere illa cogitatio, quòd mundi huius ſtatum, qualem nunc videmus, nullo fine claudendū ſibi perſuaſerant, ſed in omne tempus manſurum; animas etiam non de nihilo fabricari, ſed de aliquo educi crediderunt. Hinc vt euitarent immenſam quandam & infinitam animarū multitudinem, ſi ſingulis quibuſqꝫ corporibus noua anima illaberetur: & quia in tā immenſo temporis ſpatio animis aſſiduè creandis nulla materia ſuffectura videretur, ab initio conditi orbis certum animarum numerum conſtitutum, qui circuitum hunc aſſiduè peragat, de corporibus in corpora tranſeundo, non de humanis modò in humana, ſed de humanis in ferina, & de ferinis in humana: & hæc conuerſa eſſe inter ſe: vt enim ex viuis mortuos, ita ex mortuis viuos procedere: ſic etiam effectum eſt, vt crederent ante nouam corporum molitionem animas extare, eáſqꝫ illuc delapſas non tam diſcere quàm reminiſci. Hæc abſurdè nimis illi crediderunt & tenuerunt: tantum impoſuit illis ignoratio animarum, neſcientibus vnde eſſent, quo fine conditæ, quid mundi ſtructura ſibi vellet: ad quæ ſanè omnia religionis noſtræ alumni conſtanter reſpondent, expediúntqꝫ ſe de talibus dilucidè: cuncta deniqꝫ de fœlicitate hac, quæ ſanctis animis poſt vitæ huius obitum donatur, certius illuſtriúſqꝫ pronunciant. Quæ quum ita ſint, ſi quid tamen illi veri dixerint, id tenendum, lætiſqꝫ

vlnis

vlnis ſuſcipiendum reiectis erroribus. Semper hoc habuerunt Chriſti fideles, vt nullum verum reijcerent a quocunque diceretur, quia diceretur auctore Deo, quẽ ſequimur. Ille enim princeps eſt veritas, a qua quæcunque vera profluunt, etiam impiorum ore prolata: ille nos aurum iubet colligere de luto, & roſam relictis ſpinis perſequi. Quæcunque igitur vera alieni extra eccleſiam poſiti dixerunt, non modo negligenda non ſunt, vel reijcienda, ſed rapienda potius, & ab eis tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus in noſtrum vſum vendicanda: noſtra ſunt omnia, quæ illi vere ſonuerunt, quibus abuſi ſunt, dum ea nõ ad veræ pietatis officia referrent. Quamobrẽ nunquam noſtri abſtinuerũt a gentium poëtis, oratoribus, philoſophis, nec eorum opiniones ſolum, verũ etiam verba proferebant, ſi quando in aliquam incidiſſent ſententiam, quæ illis placeret. Non parua tamen ſæpius (fateor) admiratio me tenuit, vnde Platonici hæc, quæ de Dei filio aſſerunt, déque mundi fabrica, deque fœlici piorum exitu in alteram vitam, hauſerint: mordebar ea cura, vt ſcirem, qui nã primi auctores ea gentibus infundiſſent: nam plæraque eorũ humani ingenij fines tranſcendere aduertebam. Et Pythagoreos quidem Platonicis longè antiquiores philoſophos eadem ſenſiſſe palam erat: nam Platonem Pythagoreorum diſciplina imbutũ, Pythagorámque in diuinis & naturalibus ſequutum nemo non nouit, tantum intererat, quòd Pythagorei ea literis committere fugiebant, ſed nullis commentariis intercedentibus de animo in animũ tranſmittebant: Platonici eadem latius ſcripto ſerere cœperunt. Nempe Pythagoram & Platonẽ Ægypti ſacerdotes adiuiſſe, & vtrunque ab illis hæc ſumpſiſſe, doctorum penè omnium conſenſu video conſtare. Quòd autem illorum ſacerdotum literis talia continerentur, facit vt credam Mercurius cognomine Triſmegiſtus, qui de collegio illorũ fuit, tanta ſapientiæ opinione, quanta ipſum cognomen indicat. Huius libellos lectitaui duos latinè redditos, quorum vnus Pimander alter Æſculapius inſcribitur. Nihil vidi penes Platonem de Deo, de mundi origine, de ideis, de hyle, de Dijs inferioribus, de Dæmonum natura & poteſtate, de pleno atque inani, de corporearum rerum tranſmutationibus, earúmque lubrico & perenni fluxu, de animarũ migratione in corpora, de mentis ad ſuperna conſenſu, de piorum fœlicitate, ſuppliciiſque improborum, quin ille prior dixerit. De Dei autem filio latiſſimè diſſerit, quem adeo cõplexus eſt, vt proprium ei rei volumen dicauerit, quod de verbo perfecto inſcripſit: quod maximum ſanè eſt arcanum, vt pote quod infra ipſius diuinitatis geritur penetralia. Et quoniam huc reincidi, Orpheũ Thracem ferunt nonnulli Ægypto peragrata huius Mercurij doctrinam tenuiſſe, & hunc Dei filium agnouiſſe, ſed vt poëtam imagine quadam velaſſe, dum de Iouis capite finxit Mineruam ſine matre natam, & apertè quandoque idem protuliſſe oſtendunt. Sed vt ad Mercurium reuertar: quàm multa ille proxima noſtris & affinia cõmemorauit? veluti illud, exquirere nos debere cœleſtium terreſtriúmque rerum magnitudinem, motum, diſpoſitionem, conſtantiam, vtilitatem, pulchritudinem, temperationem, vt cognoſcentes hæc mirabili ratione conſtare, collaudemus atque veneremur artem mentémque Diuinam: ſolum enim verè philoſophiæ delectum eſſe ſanctam religionem, & frequentem diuinitatis obtutum: reliquam inquiſitionem, quæ aliò tendat, captioſam & ſophiſticam fore interpretatur. Qua ſententia quid potuit dici magniloquentius? quidue religioſius? Atque

eodem

eodem loco idem Mercurius quaſi prædiuinans ventura, Homines (inquit) qui poſt nos erunt, ab hac vera, pura, ſimplici philoſophia auertentur: deſinent ſophiſtarum calliditate decepti ſummũ orbis parentem agnoſcere, neque amplius tantæ beneficentiæ gratias habebunt, quod contigit multis poſt ſeculis Græciæ philoſophis, qui mundum ipſum cognoſcere tentarunt, varietate operis pulchritudineq; delectati, non in laudem venerationémq; artificis: nam multi eorum, ne artificem quidem eſſe vllum, ſed cuncta fortuitis agitari caſibus, vel æterna eſſe hæc omnia, & abſq; vllo initio ſic ſemper con ſtitiſſe dixerunt. Alij iſtorum elementorum quatuor vnum aliquod, veluti aërem, vel aquam principium omnium poſuerunt, vana demum multa ſibi ipſis illi finxerunt ab artifice recedentes, quem ſolum operæpretium fuerat cognouiſſe. Horum diſſimilis Mercurius, qui & piè patrem & conditorem omnium cognouit, & veneratus eſt, & tantam reliquorum impietatem futuram proſpexit atque defleuit. Idem in mundi fabrica quàm multa protulit noſtris ſimillima? nam humidam quandam inducit naturam fluentem & incompoſitam tenebris obumbratam, quam ſpiritale Dei verbum fouebat: hanc vt materiam ponit elementoꝶ omnium: nam ex eius viſceribus ait ignem alta petiuiſſe, aërem medio loco conſediſſe iuſſu diuino, & quum terra & aqua ſic inuicem cõmixtæ iacerent, ita vt terræ facies aquis obruta lateret, hæc quoque duo diſtincta fuiſſe & ſeparata dicit, quemadmodum diuinæ, placuit menti: mox prodeunt ſtellæ cum ſuis orbibus, inde aër protulit volatilia, aqua natantia, tellus gradientia. Poſtremus omnium formatur homo Dei ferens imaginem, ob eam rem Deo gratus & acceptus, quòd ſibi eſſet ſimilis, adeo vt ei tã quam filio mundana omnia permiſerit atq; ſubiecerit. Hæc nempe omnia cõgruere penè ad verbum his, quæ nobis tradita ſunt ſacris literis, animaduertis. Sed quòd ait Deum quoq; animantibus omnibus iam perfectis, & in marem fœminámq; diſtinctis clamaſſe, Pullulate, adoleſcite, propagate vniuerſa germina, atq; opera mea, nonne illi noſtro reſpondet? Creſcite & multiplicamini & replete terram. Vnde autem iſte didicit, tam occulta, tamq; altè petita myſteria? in quos alios referre hæc poſſumus auctores? etenim dici illud rectiſſimè poteſt, poſt eluuionem terrarum, quæ vniuerſum hominum genus perdidit, in Noë & liberis eius veram perfectámq; Dei cognitionem extitiſſe, háncq; ipſorum poſteritati tradidiſſe. Sed neſcio quomodo citiſſimè homines in falſorum Deorum cultum conceſſerunt vera reiecta religione, adeo vt tempeſtate Abrahæ ſolus ille vir eam retinuerit, qui natus eſt anno quadrageſimo ſecundo Nini priſci Babylonici Regis, qui primus libidine dominandi arma finitimis intulit, & a cuius regno græci ſuas hiſtorias exordiuntur: & ab aquarum inundatione anni effluxerant ducentum & nonaginta duo. Is quum terram Chaldęorũ incoleret, diuino iuſſu excitatus relictis paternis laribus omniq; cognatione deſerta, in Cananæam, quæ poſtmodũ Iudæa fuit, ſe tranſtulit. Verum quũ fame Cananęa premeretur, & Ægyptus rerum copia affluere diceretur, illuc deſcendit, vt ſacræ perhibent literæ: addit Nicolaus Damaſcenus in quarto hiſtoriarũ (quemadmodum ab Euſebio relatum eſt) illum libenter quoq; cum ſuis eò profectum, vt Ægypti ſacerdotes de Dijs dicentes audiret: aut enim (inquit) aliquid ab illis accepturũ, aut meliora ſe tra-

diturum ipſis arbitrabatur. Hunc ego fontem, hoc principium fuiſſe arbitror Ægyptijs ſacerdotibus, vt verè tunc ſcire de Deo aliquid potuerint, & quum poſtmodum Abrahæ poſteritas magna hominum multitudine Ægyptum tenuerit, inter quos magnus quoq; ille Moſes floruit, qui diuinas cōdidit literas, credibile eſt hæc eadem latius ſparſa fuiſſe: nam hunc Mercurium ætate poſteriorē Moſe fuiſſe tradunt. Quæ igitur de Deo dicuntur, ab Iudæis viris emanarunt, illi verò ab ipſo ſuſceperant Deo, qui ſe illis infuderat, & interno motu agitabat. Vt enim oculus lumen videre nō poteſt, niſi lumine plenus: ſic nec perſpicere aliquis Deum, niſi Deo plenus. Scientia igitur diuinorū a Deo fluxit ad illos primos humani generis ſatores, & alios pios viros, quorū poſteritas Iudæorum nomine nuncupata: ab illis ad Ægyptios peruenit, quam mox varijs mendacijs corruperunt, quod Dæmonum aſtu factum crediderim, quos nulla æquè gens coluit: ab Ægypto deinceps multorum diſcentium ſtudijs in Italiam Græciámq; delata. Et ea quidem vulgo non innoteſcebant, ſed intra paucorum notitiam tantùm vertebantur, & vt veriſimilia nonnulli ſequebantur: nam vera non audebant aſſeuerare, nec mirum, quia nondum ſatis ad purum fuerant digeſta, nec bene perſpici poterant a veræ religionis ignaris. Et hæc quidem prius fuere. Poſtquam verò Chriſtus ad homines venit, diuinæq; legis diſciplina latè reſplenduit, omnia certius, clarius, incorruptius tenentur, maxima myſteria populis & gentibus reuelata, nunc in ampla veritatis luce verſamur. Caue Dionyſi putes vllos vnquam fuiſſe mortales, qui pulchritudinem hanc, de qua agitur, de fulgentiſſima pulchritudine natam, quam Dei progeniem nuncupamus, noſtris hominibus lucidius inſpexerint, religioſius adorarint. Nam ſi morum purgationem requiris, qui magis puri, magis ab omni mortalium rerum contagione ſecreti, quàm hi, qui vaſtiſſimas ſollitudines, horrida vel feris ipſis habitacula pſequebantur, ne vlla ſeculi cura eorum meditationibus obſtreperet? Quos reperies magis contempſiſſe corporis illecebras, quàm eos, qui viliſſimis contegebantur indumentis? qui ſomnum ad quatuor, vel quinq; ſpatium horarum contraxerant? qui paucis arborum baccis & riuulorum potu victum tolerabant? Num vlli ęquè pij, ęquè in omne hominū genus officioſi, quàm hi, qui quæcunq; quę ſierant manum labore egentibus erogabant? claudos, cæcos, ſurdos, & alijs peſtiferis oppreſſos morbis, eorū miniſterio ſubleuabant? Illud verò præcipuū ipſorū munus, errantes in viam æternę ſalutis monitis dirigere, exemplo hortari, oratione crebra iuuare. Nec dici poteſt non præſtantiſſima animi fortitudine præditos eoſdem, qui quotidianis prælijs aduerſus Dęmones & nequitias cœleſtes acriter decertabant, illorúmq; fraudes, vim, inſidias, impetus propulſabant. Ergo his virtutibus eorū animi informati facile ſe a corporibus ſeiungebant, & vſq; eo attollebant, vt Deū ipſum clarius ſpecularentur, qui ſolus perfectiſſima eſt pulchritudo, ſolus omni beatitudine redundat. Hæc vel exigua ſummi illius boni contemplatio tantum præbebat recepta gaudium, quantū non omnes mortales alijs de rebus ſimul percipere poſſent, tantū infundebat veritatis lumen, tantum charitatis incendium, vt reliqua abiicerent, tanquā triſtia & miſera, quæ aliorſum, quā ad illam pulchritudinem ferrent. Quantam cognitionē rerū illic accipiebant, qui futura quæcunq; pronuntiabant? quantā

poteſtatem,

poteſtatem, qui pro imperio de corporibus Dæmones excutere, morbos depellere, vitam decurſam defunctis poterant reſignare? hoc deniq; humanæ fœlicitatis eſt culmen (ſi modò vlla humana eſt fœlicitas) totis præcordijs totáque animi inductione diuinæ hærere pulchritudini. Hæc inquam princeps eſt vita, ſiue voluptatem quis ſpectet, ſiue cognitionem rerum, ſiue potentiam, & ſi dici fas eſt, hunc ſolum, qui tali vita teneatur, inter mortales eſſe arbitror Deum. Plures autem tales vtroq; in ſexu religio olim habuit noſtra, & nunc etiam credibile eſt quoſdam extare: non illi tamen philoſophorum inſtar ſe ad tantæ rei contemplationem attolli arbitrantur humanæ naturæ facultatibus, ſed non niſi eius beneficio, quem contemplantur: nihil illi ſibi aſcribunt, quod ſupra hominem ſit, imo ne humana quidem, ſed omnia diuinæ accepta ferunt largitati. Quòd ſi infima bona non a nobis, ſed a Deo ſunt, quomodo ad illa maxima aſcenderent pedibus ſuis, niſi traherentur? ergo domeſticæ imbecillitatis ſibi ipſis conſcii, vt trahantur, quotidianis precibus efflagitant, & vt virtutum dona, quæ gratos faciunt, in dies augeantur. Annuit modeſtiſſimis votis Deus, quorum ipſe eſt auctor, illorúmque virorum pectoribus ſe infundit, ipſoſq; de ſe ipſis excuſſos ad ſe rapit, pulchritudinem ſuam oſtendens, non nudatam quidem, ſed neſcio quomodo adhuc velatam: nam reiectis inuolucris ſpectandam ſe conſtituet, & contrectandam, vbi de corporis huius vinculis emiſſi fuerimus, & in puram illã lucem euolauerimus: præmium ſane immenſum & ingens ſanctarum & fœlicium animarũ. Nunc pro ſtatione mortalis huius vitæ collocati ſatis eſt, ſi poſſumus guſtũ tantùm quendam tantæ fœlicitatis præcipere, ſatis ſi poſſumus beatiſſimum illud os quaſi ſobriè oſculari, vt ante dixi. Quod tamen mel, ſi quis experiatur, ſuperat omnes vitæ huius ſuauitates: paucos tamen experiri credo: etſi mox ita verba faciebam, quaſi noſmeptipſos in hoc numero ponerem: ſed non nos tunc, qui adſumus, ad eos tantùm reſpiciebam, qui experti ſunt, vel experiri poſſunt: paucorum autem hominum hæc res eſt, quia magnum & excellens requirit ingenium: plures autem obtuſo adeo & hebeti illo præditi ſunt, vt ne parua quidem capere poſſint: multos etiam inuenies, qui, quoniam omnis noſtra cognitio a ſenſibus proficiſcitur, nunquam poſſunt ipſos ſenſus deſerere, & aliquid corpore vacans cogitare. Vides ipſe plæroſq; (de rudioribus loquor) quibus aër ipſe, tametſi inter elementa ordine & dignitate locum obtineat ſecũdum, tamen propter ſubtiliſſimam eius naturam, aliquid eſſe non videatur, ſed inane putent, quomodo etiam poëtæ illum vocant, & eſt in communi loquendi conſuetudine, veluti quum lagenam dicimus inanem, quia vino non ſit plena, quum ſit tamen aëre plena: quanto magis putabunt inane, quod omni corpore caret? Hos quomodo efficere poſſis, vt Deum videant, qui ſupra omnia humana eſt, & ab omni materia maximè auulſus? Opus eſt etiam ab aliis curis ſe auertentem inſiſtere frequenter meditationibus ſupernorum bonorum, ſacrificiiſque crebris & ſupplicationibus clementiam diuinam aduocare: & ne tunc quidem niſi diuturno tempore aliquid effici poteſt. Nobis, qui ſeculo vtimur, quæ ſpes relinquitur, vt illuc euadamus? alium rei familiaris procuratio ab hac cura retrahit, alium reipublicæ gerendæ cupiditas, alium militiæ ſtudium: me verò ius ciuile, te muſica philoſophiáq; detinet.

Neque tamen cognitio hæc diuini numinis, quæ ecſtatico mentis aſcenſu hic contingit, propoſita eſt nobis veluti finis & extremum bonorum, quod ſequamur: tenue enim id quidem eſt & imperfectum. Et hoc etiam ipſi Platonici ſenſerunt, dum aſſerunt Deum homini non miſceri, quod ita accipiendum eſt; non quia ille ſui præſentia & auxilio humanas res deſtituat, vel vota hominum ſine interprete non exaudiat, ſed quia homini, dum homo eſt, non niſi per imagines quaſdam & veluti velo propanſo, quando etiam multum proficitur, ſentiatur, tenebroſa, & ſubnubila cognitio contingit nunc his, qui certius aliquid deſpiciunt. Hoc etiam ſacræ teſtantur literæ, quibus proditum eſt, quòd Deum nemo vidit vnquam. Ipſe Moſes, qui contra Deum fertur conſtitiſſe, & cominus alloquutus, tamen, quaſi non planè videret, rogat, vt ſe ipſum oſtendat illi, & audit ab eo, quem rogabat, quòd nemo ipſum videret & vita viueret. Non igitur quicquid cognoſci de Deo hic poteſt, habendum eſt vt extremum bonorum, ſed illa, illa inquam cognitio propoſita eſt nobis pro fœlicitate & termino cogitationum & actionum omnium, vbi decurſo vitę huius ſpatio ſummus ipſe & immortalis Deus, qui genuit, qui ab omni ſcelere abluit ſemetipſum purum atque nudum cum omni ſua pulchritudine ſpectandum exhibebit. Huc ſpectare omnes, id ſequi potiſſimum debemus: negocia, quæcunque tractamus ita tractanda ſunt, vt nos ea firmius copulent Deo: nam quicquid rectè agimus, dicimus, cogitamus, Deo aſcribenda ſunt, a quo defluunt: huius vnius impulſi charitate innocentiam tueri debemus, & ea gerere, quibus reliquo hominum generi fructus vtilitáſque pariatur. Si dictorum factorúmque omnium hæc fuerit meta, id propoſitum, is vltimus finis, vt Deo placeamus, o nos fœlices, o pluſquam dici poteſt beatos, ſpe quidem nunc, re autem mox, quum finita vitæ huius militia excipiet nos Deus, nec alia quædam donauerit externa, ſed ſeipſum, qui incommutabile eſt bonũ, infinita pulchritudo, inſatiabilis voluptas. Huic igitur toto amore, totóque (vt dicitur) pectore inſeruiamus: quid enim prohibet? quam excuſationem afferimus? an non dignus is, quem ſequamur? an non immenſum propoſitum præmium? an non breuis futura militia? O ſanctæ fœlicéſque animæ, quæ ad ſuperna conſcendiſtis, quæ iam pulchritudinem illam tenetis, ad quam anhelamus, ſuſcipite queſo legationẽ hanc pro nobis, vel vltro potius impetrate precibus veſtris a ſummo imperatore cœleſti, vt vniuſcuiuſque noſtrum pectus ſuccedãtur eo charitatis igne, quo vos, dum hic agebatis, exarſiſtis, ne libeat mundanis frui rebus, ſed vti tantummodo, frui autem velimus ea pulchritudine, quæ ſola verè eſt pulchritudo, cui reliqua omnia collata turpia, deformia, fœda, ſordida, triſtia, luctuoſa videntur. Nihil ſit tantũ in humanis, quod affectus noſtros moretur, ſed id veluti in via oblatum tranſmittat ad diuina, vbi permanendũ eſt. Si tantum non ineſt animo roboris, tantúmque neruorũ, vt humana negligamus commoda, quod plures e noſtris generoſè fecerunt, at ea diuinis ne præferamus. Illa igitur propter hæc, hæc propter ſe ipſa appetantur, ordo hic maneat in amando, vt ſumma ſummo amore, infima infimo proſequamur: non autem infima pro ſummis, & ſumma pro infimis amemus. His rationibus fiet, vt Deum patrem, Deum filium, Deum ſpiritum ſanctum, vnicum Deum, altiſſima fulgentem pulchritudine, quam nunc in ſpeculo & tanquam in ænigmate cernimus,

nimus, reuelata aliquando facie intueamur, quo vno ſpectaculo omnium concentus bonorum, omnibus abſoluta numeris voluptas, fœlicitáſque continetur: ad hoc geniti, ad hoc Chriſtianis myſterijs inſtituti imbutíque ſumus, huc præſens vos meus ſermo, ſuperiórque etiam inuitauit adhortatio. Fruuntur autem hac ſumma pulchritudine, ad quam nos aſpiramus, non animæ ſanctorũ hominũ modò, quæ illuc aſcenderũt, ſed ſpiritus quoque illi corpore vacantes, quos philoſophi nõ admodum clarè cognouerunt, ſed cognouerunt tamen, Dæmones bonos vocando. Nos ab officio Angelos nuncupauimus, propterea quod enũcient Dei iuſſa mortalibus, & emittantur ab humanarũ rerum tutelam, fidámque cuſtodiam, referántque hominũ vota & preces ad Deum. Quicquid Deus ſancit hominibus, quicquid patrat miraculorum, id agitur iſtis adminiſtrantibus: quoniam ita placuit Deo non per ſe ipſum nullo intermedio prouidere rebus a ſe conditis, ſed ſuperioris naturæ viribus vti ad inferioris gubernacula: hoc enim præſtantius videbatur. Hi ergo ſpiritus cum mundo ſimul editi ſingulari pollent ſapientia, velocitatéque motuum ſunt admirabili: nam ſtatim adſunt ac penè momento, vbi vſus tulerit. Intelligunt porrò res ipſas ſecũdum ſe ipſas, nõ vt nos nunc, qui de notioribus argumẽtamur ad minus nota, & quibuſdã poſitis ex his aliud quiddam ab his, quæ poſita ſunt, elicimus: & multis particulatim collectis, in vniuerſum deinceps de omnibus, quæ ſunt eiuſdem generis, ſtatuimus. Iſti non ſic, ſed ſingularum rerum vim, proprietatem, ſpeciem, ordinem, differentiam, nouerunt, ſicut ipſis inſunt rebus, non vt ineſſe poſſibile eſt, & probabile videtur: eſt autem eorum cognoſcendi excellentior modus. Sed eſt & alia in illis cognitionis melior ratio, dum in Dei ſapientia, tanquã in arte, in qua facta ſunt, clarius certiúſque omnia ſpeculantur, & ſecundũ æternas illas & immutabiles rationes, & cauſas, cauſarúmque progreſſus iudicant. Nouem autem ordines ipſorum eſſe perhibentur: & vnuſquiſque ordo proprias quaſdam habet functiones, quas ex ipſorũ denominationibus notiſſimis licet cognoſcere, nec æquales ordines omnes loco aut dignitate, ſed alius alij ſupereminet, ſicut in gradibus fit theatri. Quò autem quiſque vtitur propinquius Deo, ita pulchrior, perfectior, illuminatior, & omnibus bonis cumulatior.

Supra Angelicos hos choros qui aſſiduè perſonant diuinas in laudes, ſedet MARIA Domini mater, cuius pulchritudinem nemo mortalium oratione exæquare poſſit. Multa in hac præcipua: ſed illud primum, quòd creata increatum, finita infinitũ, poſterior priorem genuit, & quem cœlum & cuncta elementa non ſuſtinent, ipſa vtero geſtauit: hoc effectũ eſt, dum concepit eum, qui in homine pariter erat Deus. Quid eſſe poteſt ſpecioſius, quàm cõmune parentis nomẽ habere cum Deo? quod ipſa diuino munere recepit. Is etenim qui Deum patrem vocat, idem hanc vocat matrem. Deinde quantũ illud alterum, quòd & flos illi virginitatis manſit, & fructus nuptiarũ? fructus omnino amatũ, ſed flos quoque diligitur: vterque gratus, hic nitore ſuo, ille ſapore. Hęc & in virgine eſt mater, & in matre virgo, ita vt dici poſſit in hac vna & fructui ineſſe florem, & flori fructum: in alijs flos virginalis prius occidit, quàm fructus matrimonialis decerpatur. Sunt iſta quidem pulcherrima, quæ nemini vnquam contigerunt, nec contingent. Sed quicquid virtutis quoque, quicquid gratiæ, quicquid beatificæ gloriæ effingi in rebus creatis potuit, id in hanc vnam

omne collatum: nemo propinquius tractauit Deum, dum in humanis eſſet: nemo arctius in cœleſti patria eidem copulatur, nemo ab illa ſumma pulchritudine ardentius inflãmatur, nemo clarius illuminatur. Ergo ſole amicta candidiſſimo, ſtellis coronata radiantibus, cœleſtia terreſtriáq; cuncta ſuis premens veſtigijs tanta fulget maieſtate, vt præter Deum eiúſq; filium nihil maius aut præſtantius dici ac cogitari poſſit. Itaq; ſupremæ illi & perfectiſſimæ pulchritudini, quã dicimus Dei eſſe filium, hæc proxima eſt pulchritudo, quãuis longo interuallo proxima: ex quo fit, vt ordine ſit ſecunda, prima tamen omnium, ſi cum reliquis rebus creatis conferatur. Hinc ſi quæratur quid in hac rerum creatarum vniuerſitate ſummè pulcherrimum (quod quærendum ſanè videtur, ſi huic ſermoni, quem de pulchritudine habemus, nihil ferè deeſſe cupimus) non aliò, quam ad Mariam reſpiciendum. Hæc quæcunq; fuerunt, ſunt, erunt (de conditis loquor) omni elegantia, virtute, forma antecedit: omnia pulchritudine ſua & bonitate infra ſe relinquit. Ab hac & Angeli fiunt illuſtriores, & homines meliores: non enim fruſtra tantam pulchritudinem genitam fuiſſe & nunc fulgere credendum. Sed quãtum in ea ſalutis quoq; ſit & præſidii rebus hominum merſis & afflictis, ex hoc oſtenditur, quòd miſericordiæ reginam, maris ſtellam, paradiſi ianuam nuncupamus: exemplis quoq; indicatur plurimis, quoniam multorũ aduerſis inuocata caſibus facilem ſe præbuit, præſentiámq; ſuam & numen longè latéq; declarauit. Satis, abundéque pro ingenij noſtri paupertate hæc dixiſſe ſufficiat. Si qui autem iſtis de rebus altius aliquid contemplari, & vlterius poſſunt dicere, diſputationem hanc illis tradamus, paremúſq; nos viciſſim ad audiendum, precati illos antea, vt imperitiæ dent veniam, quam non ſpontè ſuſcepimus, ſed quia tardi ſumus ingenio, etſi ſtudio flagrantes: vel ſi fœlicitate opus eſt quadam in capiendo, quæ venamur, meliora, hac certè caremus. Sed & illud finire cogit orationem, quòd veſpera iam ſurgente his locis decedere, & ad propria remigrare tempeſtiuum duco. DIO. Dici vix poteſt, quàm intente & ſtudioſè te audierim, adeo vt cadentis obliuiſcerer lucis. Equidem vel noctem totam in his ſermonibus tecum libenter ducerem: quæcunq; enim alia auditu digna nunc mihi gelida fore videntur, ſi quidem cum iſtis conferantur, præſertim quum elata fuerint cum hac copia & dignitate dicendi. Nec verò te excuſaueris, quaſi minus plenè fueris locutus: cui enim hominum tu, quod adijci poſſit, reliquiſti? quod prætermiſſum? æquare te veteribus poſſe videor laboris & induſtriæ ſimilitudine. Exclamaueram antea, nunc nequeo: nam maiorem in admirationem dictorum tuorum trahor. MAR. Quid miraris? quæ noua ego produxi miracula? nonne quæ dixi omnia, rebus ipſis inſunt? Quòd ſi rectè iudicares, illud diceres de maximis modica, de grandibus humilia, de copioſis teuuia locutum. DIO. Et montes marmoris altos natura extruxit, & múlto tamen honore dignos dicimus, qui de illis breuia ſimulacrorum corpora ſolerti manu effinxerunt. MAR. Video te omnino laudibus intentum meis, quãquam, ne id fieret, commonueram: nec dum tamẽ intelligis, quod nunquam his tuis efficies artibus, quin huc conueniamus alio die, & tibi dicendi onus de materia aliqua valida & graui imponamus. An dicta aliorum tantùm laudare potes? ipſe dicere nihil potes? num quia ego hodie verboſiſſimus

mus fui, idcirco tu alio die mutus & elinguis redderis? Quia? quòd referendæ gratiæ ſtudio laudare diligenter & operoſè eum cupio, qui me hodie laudibus ſuis tam latè peruexit? quin igitur dicturum polliceris. DIO. Ego verò taciturnitate vſurum me potius puto: nam humile & anguſtum ingenium natura conceſſit, opibus erga me ſuis vtens malignè, & poſt talem dictionem tuam ſi me oſtenderem, quid aliud, quàm anſer viderer obſtrepens cantui cycneo? Demum ne fruſtra ſis, occaſionem non præbuero, qua veras tuas laudes falſis meis rependas.

FINIS.

Series.

* a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z A B.

Omnes ſunt terni, præter * B qui ſunt duerni.

ALBERTI CARRETI EX MARCHIONIBVS SAVONÆ DISTICON.

VT grata eſt his lux, quos longo è carcere ſoluunt,
Sic luce hæc gaudent, quæ latuere diu.

FRANCISCI BECII CASALENSIS IVRECONS.

DE pulchro ſcripſit tam pulchrè Marcus & aptè,
Vt nihil in toto pulchrius orbe micet.
Omnia ſunt miro comprehenſa hic ordine pulchra,
Quæ terra & cœlum continet atque mare.
Quin igitur properas penetralia uiſere lector,
Si pulchro exoptas condecorare animum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA	SIC CORRIGITO	PAG.		LIN.
illic	*illuc*	5	A	28
gentibus	*gerentibus*	20	B	16
maxime	*maximi*	21	B	12
ego	*ergo*	22	A	2
fulgentibus	*fungentibus*	27	B	41
principatum	*capiti principatum*	35	B	14
etiam	*& iam*	38	A	17
ualde	*ualide*	46	A	22
non	*nam*	47	B	24
lapidoſam ſcilicet	*lapidoſam*	47	B	37
terram	*terram diuidere? perforare?*	55	B	10
ſub	*ſunt*	65	A	36
fiat	*fuit*	66	B	31
mollior	*melior*	66	B	39
in odore	*& in odore*	66	B	39
uerborum	*morborum*	69	A	42
omne	*omnia*	75	B	15
uenerationibus	*uenationibus*	79	A	31
infra	*intra*	82	A	41
terreſtribus	*pedeſtribus*	83	A	27
infra	*intra*	83	B	24
laicorum	*Lanionum*	96	A	6
graue alterum	*graue ad alterum*	106	A	20
illic	*illinc*	106	A	24
neſcimus	*noſcimus*	110	A	15
eadem	*cædem*	113	B	9
plus	*plus ad hos quos habeo*	115	B	8
eſſe fortuitóq;	*eſſe fortuitò, fortuitóq;*	118	A	31
detrahitur	*diſtrahitur*	135	A	21
fulgentibus	*fulgentiſſimam*	136	A	40
illi paratum	*habere*	142	A	29
iudicij	*iudicij eius*	142	B	45
illuc	*huc*	144	A	40
infra	*intra*	144	B	34

A, *primam partem paginæ.* B, *ſecundam ſignificat.*

Reliqui errores, quos unuſquiſq; facile dignoſcere poteſt, prætermittuntur.